

MARTÍNEZ DE PRADO, Juan (O.P.)

Quaestiones Logicae : in tres libros  
distributae / authore R.P.M.Fr. Ioanne  
Martinez de Prado... Ordinis  
Predicatoru[m]... -- Compluti : Typis  
Mariae Fernandez, 1649

[16], 584 p., @8, A-Z8, 2A-2N8, 204 ;  
8° marquilla

Port. con anagr. xil. de la Orden de  
Predicadores. -- Texto a dos col.

1. Aristóteles. Organon-Crítica e  
interpretación 2. Aristotele. Organon  
-Kritika eta interpretazioa 3. Lógica 4.  
Logika I. Título

R-6148 An. ms. en port. -- Enc. perg.

QVAESTIONES  
LOGICAE.  
IN TRES LIBROS  
DISTRIBVTÆ.

AUTHORE R. P. M. Fr. IO ANNE MARTINEZ  
de Prado, Vallisoletano, Ordinis Prædicatorū, Sanctæ Inquisitionis  
Qualificatore, in Complutensi Academia publico Theologia  
professore in Cathedra Vespertina, & insignis  
Collegij Sancti Thomæ Equi-  
natis Regente.

SANCTISSIMÆ VIRGINI, ET MATRI  
Teresiæ; & clarissimæ, ac obseruantissimæ eius  
familia PP. Discalceatorum B. Mariæ de  
Monte Carmeli dicatæ.

*Habitu Religiosis ad Thom. de S. Thoma hinc Almar =*

Anno



1649.

CVM PRIVILEGIO.

COMPLVTI, Typis Mariæ Fernandez.





EXCALCEATI CAR-  
MELITANI ORDINIS  
MAGNÆ MATRI, DIVÆ TERESIÆ  
VIRGINI, DIVINÆ TRINITATIS  
TRICLINIO;  
HUMANÆ SACRARIO;

Quam sibi despondet Iesus; Maria adfiliat;  
Ioseph protegit, &c.

**S**ACRIS tuis ignibus, vel in mini-  
mis applicatus animus ( fumosa  
stirpe Virgo clara, Carmelitani  
Excalceati Ordinis vsque ad  
portentum famosa Parens) men-  
te fumat. Dum viridioris scientiæ densa arbo-  
ribus, tota in clibanum cordistui ad fines vsque  
orbis, summumque cœlum flammam producen-  
tem, sese conijcit. Halat humidum in fenum  
excoctum viride lignum, in pabulum ignis cum  
excoquitur; cibatur istud, cui illud decorē infert,  
à quo flammatur, si incendatur: impinguatur, au-  
get, cuius & in novas lignorum strues crebro  
admotas, incertis finibus ventrem comparat,  
& vorandas, vel inuitum agit crepitantes. Flam-

Calepintis  
V. flam-  
ma.

ma materia fumus est, si *fumum accensum flammam* credis; foelicius deuouetur igni, dum incendi-  
tur, quam propriam rationem seruat, longius  
dum attollitur; quippè qui incensus rutilat,  
splendet, & rubicundus est: aspernabilis verò,  
inciuilis, ater, amarus, tetra inuoluens caligo,  
& ad lachrymas totus, si constet. ¶ En totius  
mundanæ nobilitatis emblema. Fumum tecta,  
& imagines denigrantem. Virgilium memora-

2. Georg.

*Collaque praelorum fumosis deripe testis.* Græcos confu-  
le, apud quos fumosæ imagines in eos, qui ge-  
neris vetustam iactabant nobilitatē, in prouer-

Satyr. 8.

bio erant. Nec Iuuenalē præteri: *Fumosos equitum*  
*cum Dictatore Magistros.* Perinde fumosos, ac famo-  
los habētē, quasi denigricatē imagine, & obscu-  
ro pariete diuturno fumo obductis clari, certa  
replēdeant ratione. Quos merito ridēdis præf-  
tigijs laborantes, cuspidato scomate Tullius

In Pisonē

carpit; *Obrepisti ad honores errore hominum, commenda-  
tione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil præ-  
ter colorem.* Is cum aterrimus, splēdores adstruit  
mundanos, qui ceu fauillacea fuligo, vel leui ta-  
ctu præssus, fumum exhalat inutilem, vanum,  
& vilem. Tales auj à vera longe ratione uagan-  
tes profani homines, colunt imagines, in singu-  
lis formam incisam deiferam, humo impressam  
foedissimo inueterantes, & dehonestantes fu-  
mo; dum de tectis carie attritis, nutante, & pe-  
nè ruente domo vnde nati ( quia obscuris ) ma-  
gis quam de solida spiritus claritate, vnde pri-  
mam

primam originem nacti, gloriantur.

2 Ipsa in millibus speciali ratione (*Virgo Teresia de Abumada*) præter morem auitum, & patrium, agnatæ tui generis fumofitati generosius consulens, *quam pulchra sit casta generatio cum claritate*, mente voluens quomodo in longicrem vetustatem, & pulsis fumiferis vmbriis, irradiantē illam tuam proueheres, diuinitus afflata excogitasti. Quippè quæ mundi eiaculata falo in Heiopolim depurato antiquitatis fumo, à longissimis Heliæ diebus, Soli sacram, tuum genitalem fumum fumo accenses, & de comercio igniferi Ordinis igne accendis. Spirat contra Subsolanum carnis, & sanguinis diuini spiritus Fauonius totius spiritualis genituræ Parens. Mouet Carmeli prunas, & crebris flatibus proxima prouocat, vt incendant. Admota fumigas, exhalas sæcularis nobilitatis fumum; & cui nec parcat, de potentissima Zephyri adspiratione impulsus ignis, hunc inflammat, hunc incendit. Flammas tota, & quam fumolæ imagines mundo præformabant, viuissimæ Dei Imaginis, quæ

Sap. 47

Sap. 7:

Ad Heb.

1.

Hug. de S. Vict. in sicut. mon. de Artha Anima.

*candor est lucis æternæ, & figura substantiæ eius splendidissimum nomē, tuo fœlicissime Cœlo reformat adiectum: dum Teresia de Abumada in flammam de Iesu tendis cognomento. Affulges orbis vel de splendore nominis: Elegit enim Te, prælegit Te Sponsus tuus, Amator tuus, Redemptor tuus, Deus tuus, elegit Te in omnibus, assumpsit Te ex omnibus, & amauit Te præ omnibus; nomine suo vocauit Te, vt memorialis eius sem*

per essit apud Te, voluit Te participem esse in nomine, parti-  
cipem in nominis veritate, quoniam unxit te illo, quo &  
ipse unctus erat, oleo letitiæ, ut ab uncto uncta fieres.  
Inquam, & nominis potentiam deriuaret, & de  
Heroicorum facinororum potenti facultate, ra-  
tionem ipsam superares.

3. Illa maxime, qua vix excussa ab vberibus  
tenerrimis maius annis, omni ætati maximum  
martyrium subitura, in Africam trajcere per-  
tentabas; illa qua Carmeli instituto dedita im-  
portunis afflictata morbis, tentationibus fatiga-  
ta, nullo refecta cœlestium consolationū pabu-  
lo, quibus in terris solet sanctitas victitare; nul-  
la militari stipe capta, vel gregali stationario  
solita, in castris asperimæ pœnitentiæ octode-  
nio strenuum militem actitabas; illa qua lumi-  
nibus teneris lachrymarum explosis globulis,  
& sæua proprii corporis pertusione sæuentiū  
hæreticorum cuneos retundebas; illa qua Om-  
nipotentis sagittas, supra trifurca summi Iouis  
arma acutas, virili æstuanti amore cordi infixas  
viriliter sustinebas; illa qua in apes irruens (dis-  
criminum inquam, agmina) humanis destituta  
auxilijs, renutu Principum duo supra triginta  
monasteria inops adiuuens. Virgo ædificasti;  
in quibus alueorum instar, Hyblæis apibus argu-  
mentosior, Carmeli mōtis florum depasta mel-  
liginem, in solitudinibus, & nemorosis, ceufa-  
uos dulcedine ad alloquia affluentes cera ad in-  
cendia si ius cellulares; illa qua, supra mulie-

bris

bris sexus fragilitatem, viriles mentes institue-  
re nunquam desinis; illa qua, vel ipsi Deo modum  
vniuersis imponenti, quasi suorum charismatum  
thesauri prodigo, quod in te largiter effunde-  
ret, modum quoque ipsa imponere, erecta qua-  
dam humilitate, presumebas; illa qua tota di-  
recta in Caelum, pyra amoris flammans, pignora  
vltro citroque, ac scintillas in lucem gentium Sap. 32  
euibraisti: *Fulgebunt iusti, semper, et tanquam scin-  
tilla in arundinetis discurrent;* de Hyssopo ad Cedrum,  
humilitatis iure, incorruptae doctrinae perenni-  
ter medulla donati, iam eruditione multorum  
ad *Stellas in perpetuas aeternitates* prouecti; illa qua  
vel ipsos iustificationis ministros precario quo-  
dam molimine iustificabas; quorum nostri Or-  
dinis non pauci Te suae aeternae salutis veneratione  
redemptricem; & omnes eiusdem instituti  
quotquot sumus, quotquot erimus nouissimae  
reparationis nostrae ad finalem puluerem con-  
tra haereticos praedictricem; illa tandem, qua  
beatissima tua Anima carnis enodata nexibus,  
visibili columbae specie caelum aduolante ene-  
ctae arbori de vicino corporis exuuiis renoda-  
tur vita flores. Sic utinam *Prati* vacuo meo no-  
mini rem adhibeas, quae iam regnas, & arden-  
tissimis filioli votis grata dicas: *Rigabo ortum meum* Eccles. 24  
*plantationum, et inebriabo Prati mei fructum.*

4 Ergo o Diua, o Mater, quidquid in me fa-  
tum, aut de irriguis tuis natum fontibus, en ma-  
turandum, & excoquendum ad flammam recur-

rit pectoris tui, quō & ingenium ab ipso lare se  
repperat adolendum. Tanto igni admota fu-  
migant cūcta nostra (habent Sacris & Diuis ad-  
huc datę humanę mentes suos fumos) non illos  
gentiles, quorum obscura caligine, & tetro ma-  
iorum vestigio inflantur profani, iactamus; sed  
qui Spiritu Sancti aura affecti, & incensi de an-  
tiquissimis Patribus flammam gerunt. Hij no-  
strę fumosę imagines sunt, quorum vim, & do-  
ctrinā effingere gloriosius enitimur, quam va-  
cua placendi cupiditate innouare satagimus.  
Fumigat, inquam, ò *Teresa* scintillanti, & arden-  
ti sanctitati tuę nostri ingenioli semper se de-  
uouens viride lignum tetrum, & caliginosum,  
neget nemo, qui Logicam, quam emittimus, no-  
uerit exhalare, vel Gellio credant; *huius discipline*  
(Dialecticę scilicet) *cognitio, in principijs quidem te-  
tra, est aspernabilis, insuauisque, & inciuilis videri solet,*  
omnes proprietates fumi in eam quadrant.

Lib. 8.  
cap. 16.

5 Absit caligari, amarescere, & inciuili af-  
fici inspitudine, quos dulciter, & rationaliter  
nitimur oculari. Flammam fumus cum incendi-  
tur, incenditur ad flammę tactum; vel millies  
osculādo pede, hoc nostrū tenebrosū, noctur-  
numque opus semel tange, vt & de tuo diurno  
lumine lucē videat, de tuo flamine ardorem in-  
duat, & qui ei incumbēt nouelli, de tua celsitu-  
dine præmoniti, & tuis radijs præmuniti, de Te  
lucendo ardeant, & ardendo luceant.

Minimus seruilus ad sanctissimos pedes tuos pronolatus.

*Fr. Ioannes Martinez de Prado Ordinis Præd.*

# Sūma Priuilegij Regis Catholici.

**P**hillippus III. Hispaniarum, & Indiarum Rex Catholicus  
Priuilegium ad decenniū concessit P. M, Fr. Ioanni Marti-  
nez de Prado, vt possit imprimi eius liber, cuius titulus est, *Que-  
stiones Logica*, vt latius patet in litteris datis Matriti 27. Iulij  
1649.

---

## Summa taxæ.

**S**Vpremi Senatus Regij decreto sancitum est, vt li-  
bri huius quælibet carta, tantum quatuor moraueti-  
nis venudetur; vt testatur Franciscus de Sandoual Qui-  
xano, in litteris datis Matriti 9. Augusti 1649.

---

## Errata.

**P**Ag. 2. in fin. lesimus. l. legimus. p. 53. n. 17. opu. 7. l.  
70. ibi infine apparerēt. l. appellarēt. ibi n. 1. de ipsa  
l. ad ipsam. p. 61. n. 9. Magister. l. Magistro. p. 105. col. 1.  
infine, momimus. leg. monuimus. p. 151. in titulo 6. sa-  
tisfacit. l. satisfit. pagina. 159. n. 6. non equitur. l. non  
sequitur. pag. 131. q. 27. l. quæst. 26. pag. 371. num. 16.  
quod l. quem. ibi circa finem. eum. l. cum.

**H**is demptis mendis, cætera suo res-  
pondent exemplari, datum Compluti anno  
1649.

*Dr. D. Franciscus Ignatius de Porres  
Corrector Vniuersitatis.*

**APPROB.**

APPROBATIO D. D.  
Ioannis de Lagueruela, & Mon-  
forte, dignissimi Cathedræ Du-  
randi moderatoris in Vniuersitate  
Complutensi, & Canonici  
SS. Iusti, & Pasto-  
ris, &c.

**L** Vstræ Institutiones Dialecticæ, & Quæstio-  
nes Logicæ, elaboratas à R. P. M. Fr. Ioanne  
Martinez de Prado, in hac florentissima Vni-  
uersitate Complutensi Meritissimo Theolo-  
giæ Vespertino Regente: in quibus syllogistica  
ars, si concludere docet, & in se omnem conclu-  
sit laudem: viget enim ingenij ardor; exundat  
ratiocinandi fons, & quò auidius rapiaris,  
orationis, & mentis perspicuitas, nubila disij-  
cit logicalia, magno laudis incremento. Paucis  
hec in Logicis S. Thomæ æque felix arrisit for-  
tuna, cum multi profundo tanti Doctoris pela-  
go immeriti, audaces animos ostentent, vt alto  
se credant; per pauci vero portum salutent, &  
pharum ostentent: lucem scilicet, immania æ-  
quora secantibus; sed vere

Georgius  
Craco-  
uius.

*Sustulit interpres nobilitatem, veterique nigrore  
Deiuitos, fecit luce nitere noua.*

Tan-

Tantæ lucis iubarî , lux debetur , ne tenebris  
oboluetur, qui tenebras fugat; quin Typis mâ-  
data Commentaria tam splendida; ad se com-  
munis plausus radios retorqueant , beneuola  
præconiorum reflexione, & morum , & fidei  
commendatione non impari: sic sentiò, Com-  
pluti Kalendis Octobris, 1649.

Dr. D. Ioannes de Laqueruelas  
& Monforte.

# Facultas Ordinarij.

**D**octor D. Ioannes de Narbona Vicarius  
Generalis Archiepiscopatus Toletani  
facultatem concessit librum imprimendi 22.  
Iunij anno 1649.

---

## Licentia R. A. P. Prouincialis.

**F**R. Andreas Carrillo in Sacra Theologia  
Magister, & huius Prouintiaë Hispaniaë  
ordinis Prædicatorum Prior Prouincialis fa-  
cultatem concedo, vt *Quæstiones Logicæ* elabora-  
tæ à R. P. M. Fr. Ioanne Martinez de Prado; à  
doctisq. PP. eiusdem Prouintiaë approbatæ,  
typis mandentur: in quorum fidem præsentibus  
litteris manu propria subscripsi; datis in  
nostro conuentu Sancti Stephani Salmanticensis,  
duodecima Augusti anni 1649.

*Fr. Andreas Carrillo,  
Prior Prouincialis.*

CEN-

CENSURA R<sup>m</sup> P. M. Fr. NICOLAI BAPTISTÆ, Supremi Senatus Qualificatoris, Regij Concionatoris, olim Prouincialis Boeticæ PP. Ordinis Carmelitani, & electi Episcopi Carthagenæ Occidentalis, &c.

**D**E mandato Senatus Regij vidi librum, cuius titulus est *Dialectica institutiones, et Logica quaestiones*, Authore R. A. ac Religiosissimo P. M. Fr. Ioanne Martinez de Prado Sacri Ordinis Prædicatorū, & Sanctæ Inquisitionis Qualificatore, & in Vniuersitate Complutensi Vespertinae Cathedrae Sacrae Theologiae moderatore, Nihil inueni Catholicae fidei contrarium, & vere in institutionibus istis primis, Dispositio, Claritas, & Stylus, demonstrant miram docendi dexteritatem sapientissimi Magistri, cum subtili speculatione cōiunctam. Opus igitur iudico dignum, & Luce, & Laudibus, & vt incommunem vtilitatem Typis mandetur. Matriti in Conuentu Carmelitano die 9. Iulij, Anni 1649.

*Fr. Nicolaus Baptista.*

**INDEX**

# INDEX QVAESTIONVM

## Logicæ P. M. Fr. Ioannis Marti- nez de Prado.

*Liber Primus continens quaestiones introductorias ad Logicam  
Aristotelis. Pagina 3.*



- Quaestio prima, de nomi-  
ne, & existentia Logi-  
cæ; & in quas partes sit  
diuidenda? ibi.
- Quaestio secunda, de obiecto Lo-  
gicæ. 10.
- Quaestio tertia, Vtrum Logica sit  
scientia, & ars? 24.
- Quaestio quarta, Vtrum Logica sit  
vna scientia? 34.
- Quaestio quinta, Vtrum Logica sit  
practica, vel speculatiua? 40.
- Quaestio sexta, Vtrum Logica sit  
simpliciter necessaria ad alias scie-  
ntias? 46.
- Quaestio septima, de ente rationis,  
an sit, & quid sit? 53.
- Quaestio octaua, quotuplex sit ens  
rationis? 58.
- Quaestio nona, de causis entis ratio-  
nis. 63.
- Quaestio 10. Vtrum secunda inten-  
tio sit semper ens rationis; & pri-  
ma aliquid reale? 69.
- Quaestio 11. Vtrum vniuersalia sint  
in rebus? 77.
- Quaestio 12. Vtrum ante operatio-  
nem intellectus detur vnitas for-  
malis, & aptitudo ad multa. 83.
- Quaestio 13. Qualiter vniuersalia  
distinguatur, & præscindantur à  
differentijs individualibus? 95.
- Quaestio 14. Qua operatione intel-  
lectus fiat vniuersale formaliter?  
114.
- Quaestio 15. De prædicationibus?  
129.
- Summa textus Prædicabilium Por-  
phirij. 143.
- Quaestio 16. Vtrum prædicabilia  
sint tantum quinque? 147.
- Quaestio 17. Vtrum vniuersale sit ge-  
nus ad quinque Prædicabilia? 152.
- Quaestio 18. Quod sit definitum in  
definitione Generis? 157.
- Quaestio 19. Exponitur definitio Ge-  
neris. 167.
- Quaestio 20. Quid sit species, vt sub-  
iicibilis, & vt prædicabilis? 175.
- Quaestio 21. Vtrum omnis species  
subiicibilis sit etiam prædicabi-  
lis? 186.
- Quaestio 22. Vtrum genus possit con-  
seruari in vnica specie, & species  
in vnico individuo? 198.
- Quaestio 23. De individuo. 205.
- Quaestio 24. De prima diuisione dif-  
ferentiarum. 212.
- Quaestio 25. De differentia prædi-  
cabili. 222.
- Quaestio 26. quæ incuria Typogra-  
phi est 27. de Proprio 232.

Quaestio

# INDEX

Quæstio 27. De accidente quinto prædicabili. 237.

## LIBER SECVNDVS

Continet quæstiones in librum Prædicamentorum 246.

Summa textus Philosophi 247.

Quæstio 1. Vtrum tres definitiones ante prædicamentales recte sint à Philosopho constitutæ? 248.

Quæst. 2. De reliquis ante prædicamentis. 262.

Quæst. 3. Quid, & quotuplex sit analogia? 269.

Quæst. 4. Vtrum ens dicatur vniuoce, vel analogice de decem generibus. 276.

Quæst. 5. De conceptu entis. 283.

Quæst. 6. Vtrum diuisio entis in decem prædicamenta sit sufficiens? 293.

Quæst. 7. Vtrum omnia prædicamenta realiter inter se distinguantur? 301.

Quæst. 8. Vtrum diuisio entis in decem genera sit immediata? 306.

Summa textus Prædicamentorum. 314.

Quæst. 9. Quid sit propria ratio constitutiva substantiæ? 317.

Quæst. 10. De diuisione substantiæ in primam, & secundam. 328.

Quæst. 11. Quid substantiæ in hoc prædicamento collocentur? 335.

Quæst. 12. De proprietatibus substantiæ assignatis à Philosopho? 340.

Quæst. 13. Vtrum substantiæ cor-

porèa antecedenter ad quantitatem habeat partes substantialiter diuisibiles? 343.

Quæst. 14. Quæ sit ratio formalis quantitatis? 359.

Quæst. 15. Vtrum quantitas realiter distinguatur a re quantæ? 367.

Quæst. 16. Vtrum numerus sit vere, & proprie species quantitatis discretæ? 372.

Quæst. 17. Vtrum oratio sit vera species quantitatis discretæ? 390.

Quæst. 18. de quantitate continua, & speciebus eius. 394.

Quæstio 19. Vtrum locus, tempus, & motus sint veræ species quantitatis? 401.

Quæst. 20. Vtrum dentur relationes reales. 406.

Quæst. 21. de varijs diuisionibus relationis? 411.

Quæstio. 22. Quotuplex sit relatio prædicamentalis. 421.

Quæst. 23. Vtrum relatio prædicamentalis distinguatur realiter à substantia, vel a ratione fundandi? 432.

Quæst. 24. Vtrum relatio terminetur ad respectuum? 446.

Quæst. 25. Quid sit qualitas. 456.

Quæst. 26. de speciebus qualitatis. 262.

Quæst. 27. De sex vltimis Prædicamentis in communi. 476.

Quæst. 28. De actione, & Passione prædicamentali. 442.

Quæst. 29. De quatuor vltimis prædicamentis. 487.

Summa textus Postprædicamentorum. 494.

Ind cem qq. libri 3. in ipsius sue respiciet.





# LOGICAE

## QVAESTIONES IN

### TRES LIBROS DISTRIBVTÆ.

AUTHORE P. M. Fr. IOANNE MARTINEZ  
de Prado, Vallisoletano, Ordinis Prædicatorum.

#### PROÆMIUM.

**I** VONIAM ( sicut inquit S. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana c. 31. ) *disputationis disciplina, quæ in Logica traditur, ad omnia genera quaestionum, quæ in litteris sanctis sunt penetranda, & dissoluenda, plurimum valet; ideo Theologiam adituri ab ista arte exordiam discendi capiunt. Quia tamen ipsa per se est difficilis, & multorum proluxa tractatione assidua, & fere impertransibilis est redditus; idcirco curauimus, cum confidentia diuini auxilii, sic tradere necessaria, vt iuuenes possint discere, & ad maiora discendi adiubari: quod præcipue obtinere speramus, breuiter, & succinte doctrinam tradendo: nam, vt inquit S. Bernardus lib. 1. de consideratione circa finem: nihil ita absque labore manifestam facit veritatem, vt breuis, & pura*

*narratio. Et è contra, nullo magis deturritur incipientes, quam obscura, vel proluxa doctrina.*

2 Quo circa integrum liberalium artium cursum, pro tyronum instructione edere cupiens, præ oculis habere, & ad vnguem obseruare statui præceptum S. P. Augustini libro primo de Ordine capite octauo, sic scribentis: *Eruditio disciplinarum liberalium modesta sane, atque succinta, & alacrioris, & per seuerantiores, & compertiores exilet amatores amplectenda veritatis: & vt ardentius appetant, & certantius insequantur, & inhereant postremo dulcius. Quod vt possim obtinere, à sententiarum, nimia, & proluxa citatione vt plurimum abstinere: nam quod sepius est recurrendum, & necessarium, incipientibus est offendiculum. In auctoritatibus ponderandis eadem ratione non immorabor; quamuis nec*

in minimis, ab Angelici Doctoris vestigijs diuertere; totis virib<sup>9</sup> hic, & vbiq<sup>ue</sup> sim conatus, ne veritatis semitam derelinquam, à qua veritatis Doctor nunquam recessit: nam, vt Ægidius Romanus in Præfatione defensorij dixit, *S. Thoma scripta sunt veritate plena, spiritu veritatis conscripta, & ipsa veritas.*

3 Textum Philosophi prolixo commentario non explanabo: quia hoc iam non est in vsu scholæ; nec prorsus necessarium; dum tamē sententia ipsa Philosophi opportuno loco in quæstionibus inseratur; & nullatenus ab eius mente recedatur: quod omnino assequemur, S. Thomam vbiq<sup>ue</sup> sectando, qui ita Aristotelem fuit sequutus, vt ipsius fuerit vox, imò intelligentia; atq<sup>ue</sup> adeo *super senes intellexerit*. Breuem tamen summam textus, non potuimus ommittere, vt morem gereremus nostræ scholæ Complutensî.

4 Scio quæstiones istas, à quibusdam prolixitatis, ab alijs nimæ breuitatis incusandas: qui tamen debent aduertere, quod *sapientibus, & insipientibus debitores sumus*: pro uerboribus Metaphysicas contro uersias scripsimus; vbi selectiores quæstiones artium abunde satis disputantur, & ibi omissas non potuimus, non hic aliquantulum prolixius pertractare; incipientibus præcipue nunc laboramus, studentes

quid non dicamus; seu, vt ita dicamus, vt ab ipsi percipiamur: nam iuxta præceptum Quintiliani lib. 4. cap. 2. *nos breuitatem in eo ponimus, non vt minus; sed ne plus dicatur, quam oportet*. Utinam, sicut optauimus, ita in veritate liceat dicere, cum D. Augustino tomo 1. libro de decem Categorijs, in fine: *Nihil namque omisimus in hoc libro, quod possit, aut delectare iam doctos, aut indoctos manifestius erudire.*

5 In tres partes, seu libros, totam Logicam dividemus: completentur in primo omnia, quæ addita sunt à Doctoribus, quasi introductoria ad Logicam Aristotelis: in secundo explanabimus antepædicamenta, prædicamenta, & post prædicamenta Philosophi, quæ correspondent primæ operationi intellectus: in vltimo agemus de syllogismo demonstratiuo, de quo Philosophus egit duobus libris de posteriori resolutione, & attinent ad tertiam operationem intellectus. Omittemus autem de attinentibus ad secundam operationem intellectus disputare; quia id præstitimus lib. 2. Dialecticæ: & iste ordo Logicam tradendi, nunc vbiq<sup>ue</sup> viget, & decreuimus maiorum vestigia sectari: quia scriptum le-

*simus: Sapienti in antiquorum exquiret sapien?*

Eccles. 39,

\* \*

# LIBER PRIMVS.

## CONTINENS QVAES-

### TIONES INTRODVTORIAS AD LOGICAM ARISTOTELIS.

**Q**uatuor potissime in hoc libro sunt tractanda; primò, determinandæ sunt quæstiones, quas proœmiales appellant; secundò, inferetur tractatus de ente rationis, quia hoc dicemus Logicæ obiectû; terciò de vniuersalibus erit sermo; vt tandè vltimo de quinque prædicabilib<sup>9</sup> differamus, quorum tractatus ab eius authore Porphyrio, *Isagoge*, seu introductio ad Logicam prænotatur.

#### QVÆSTIO PRIMA.

*De nomine, & existētia Logicæ; & in quas partes sit diuidenda?*

##### §. I.

*Quædam prænotantur.*

**L**ogica, est nomen latine receptû; sed deriuatum à verbo Græco, *Logos*, quod inter alia multa *rationē*, & *sermonē* significat, vt notat S. Aug. serm. 190. de tēpore, & S. Tho. 1. ad Corinth. 1. lect. 3. vnde *Logica*, idem est quod *scientia sermocinilis*, seu *sciētia rationalis*; & sic ab antiquis promiscue pro eodē accipiuntur *scientia*, quæ dicitur *sermocinilis*, eo quod agit de sermonibus & *scientia rationalis*, quia agit de operibus rationis: & ideo S. Hieron. Hom. 1. in Cantica, & S. Thom. 1. Poster. lect. 1. dicunt *sciētiã rationalē cōprehēdere Rhetoricã, Poæ-*

*sim, & Dialecticã, seu Logicam.*

2 Secundò notandû, quod inter recentiores iam vsus præualuit cōstituere discrimen inter *sciētiã rationalē*, & *sciētiã sermocinalem*: nã vt inquit M. Soto q. 1. differunt *ratione obiecti*, & *finis*: nã *finis sciētiæ sermocinalis est proprietas sermonis*; vt recte, ornate, aut figurate loqui, qualis est *finis Grammaticæ Rhetoricæ, & Poësis*, iuxta S. Th. 1. Perih. lect. 7. in fine. *Finis verò sciētiæ rationalis est recte intelligere, & adiubare intellectû ne in ratiocinando erret*: vnde illi tractant de vocibus; ista de rebus, & cōceptibus; & de vocib<sup>9</sup> in quãt. i sunt signa conceptuû, vt docet Auicena 1. p. Logicæ c. 3. de sola ergo facultate rationali cōdistincta à sermociniali, nunc tractare intēdimus. In quo autē differant *Dialectica*, & *Logica*; diximus in prologo *Dialecticæ*.

3 Præmittendum est terciò, cum M. Iauello tractatu 1. Logicæ cap. 6. quod *Logica alia est naturalis, alia artificialis*: *naturalis* vocatur, vel ipsa potentia intellectiua; vel facultas syllogizandi indita à natura, qua absque arte inuenta, vel requisita, circa quamlibet et materiam definit, diuidit, & argumentatur: vel orationes alii sibi inuenit, & intentiones Logicas, aut solo intel-

lectu, & ingenio naturali: aut quia sicut in naturalibus sunt quædam *semina virtutum*, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 73. art. 1. ita sunt quædam semina scientiarum. Logica verò artificialis est, que docetur in libris, & legitur in scholis; & que ingenio, & labore, & exercicio comparatur.

4. Contendant tamen M. Soto q. 2. *Circa quæstionem*, & P. Rubio initio q. 1. quod prima, improprie appellatur Logica, & potius delectatur Logica initium. ¶ Occurrunt tamen in P. Carmel. disp. 1. q. 1. n. 2. decetres, quocumque quæstio sit de modo loquendi, non est cur sic non loquamur: quia Philosophus 1. Rhetoricorum ad Theodectem cap. 1. sic eam appellat, & sic authores loquuntur: cum pluribus autem loquendum est: nam, vt dicitur in 2. Topicorum cap. 5. *nomibus vtendum est vt plures vtantur*. Quicquid autem sit de hoc; nostra quæstio de Logica artificiali procedit.

§. II.

*Necessarium quod detur Logica.*

5. **D**ico ergo primò; necessarium fuit, quod præter alias scientias naturales, & morales, daretur quædam specialis ars, seu facultas, que diceretur, & sit specialiter scientia rationalis: & hæc est Logica. Hanc conclusionem probat S. Thomas 1. 1. posteriorum lectione prima; cuius ratio ad hanc formam redigi potest. Vbi sunt speciales actus humani. indigentes speciali directio-

ne, ne in illis intellectus erret, est necessaria specialis ars, seu facultas, qua intellectus dirigetur: sed præter materiam, & actus, in quorum consideratione versantur scientiæ naturales, & morales, est materia, & actus ad quorum directionem est opus scientiæ rationalis. Ergo, ultra alias scientias, necessarium est hanc dari. Maior potest; quia ad actus humanos faciliter, & ordinate perficiendos, diuersæ artes deseruiunt: nam ars nihil aliud esse videtur, quàm certa ordinatio rationis, qua per determinatam media ad debitum finem actus humani perueniunt: vnde Philosophus in 1. Metaph. ait, *hominum genus arte, & rationibus vult*: animalia enim cætera naturali instinctu ad suos actus aguntur: homo autem rationis iudicio in suis operibus dirigatur.

6. Minor verò prima probatur: quia ratio non solum dirigere potest inferiori parti actus, sed etiã actus sui directiua est: hoc enim est proprium intellectiuae partis, vt in se ipsa reflectatur: nam intellectus intelligit se ipsam, & similiter ratio de suo actu ratiocinari potest: sed ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur, adiuuentur est ars a difficatorem, vel familiaris, per que homo faciliter, & ordinate nuius actus exercere potest: & sic de aliis. Ergo eadem ratione ars quædam necessaria est, que sit directiua ipsius actus rationis, per quam, scilicet, homo in ipso actu rationis, ordinate, & faciliter, & sine errore procedat. Et hæc est ars Logica id est rationalis scientia. Ergo hanc dari necessarium est.

## §. III.

*Logicæ partes:*

7 **D**ico secundò, oportet Logicæ partes accipere secundà diuersitatem actuum rationis. Probat S. Thomas vbi supra: quia Logica non solum dicitur, & est *rationalis*, ex hoc, quod est *secundum rationem*; quod est omnibus artibus cõmune; & specialiter scientiæ perficiunt intellectum, vt discursiuus est: sed etiam specialiori titulo Logica dicitur *rationalis*, ex hoc quod est *circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam*: & ideo videtur esse *ars artium*; quia in actum rationis nos dirigit, à quo omnes artes procedunt. Oportet igitur Logicæ partes accipere secundum diuersitatem actuum rationis.

8 Et hunc ordinem sequenti sumus in Dialectica: quia iuxta ordinem trium operationum intellectus, in tres libros, correspondentes singulis operationibus, eam partiti sumus. Et similiter liber Prædicamentorum correspondet simplicium apprehensioni; libri Perihermeneias maiori ex parte attinent ad secundam operationem intellectus: reliqui verò pertinent directe ad tertiam intellectus operationem. Et sic libri Logicæ ordinantur à D. Thoma 1. Perihermeneias lectione prima.

9 Ex dictis deducitur, conueniēter Logicam diuidi in partem *demonstratiuam*, in partem *probabilem*, & & partem *sophisticam*. Rationem assignat S. Thomas 1. *Poster. lect. 1.*

nam actus rationis sunt similes quantum ad aliquid, actibus naturæ. Vnde, & ars imittatur naturam, in quantum potest. In actibus autem naturæ inuenitur triplex diuersitas. In quibusdam enim natura de necessitate agit, ita quod non potest deficere: in quibusdam verò natura vt frequentius operatur; licet quandoque possit deficere à proprio actu: vnde est alius actus quando deficit à consequutione debiti finis: hæc autem tria inueniuntur in actibus rationis: quando enim procedit ex necessarijs, generatur scientia; quando verò vt in pluribus, verum concluditur: & tunc est opinio, vel probabilitas; quando autem ex defectu aliquo, est deceptio, est fallacia. Et his omnibus correspondent libri Aristotelis: nam parti demonstratiuæ, correspondent libri *de posteriori resolutione*; & parti verò probabili, deseruiunt libri *Topiarum*. Teriò autem processui rationis, deseruit pars Logicæ, quæ dicitur *Sophistica*: de qua agit Aristoteles in libro *Elenchorum*: & S. Thomas opusculo 39. quia tan en de his doctrinalia non sunt tradita in Dialectica; alijs en assis, solum quæ promissimus, hic tractentur ordine præassignato.

10 Dico tertio; conuenienter diuiditur Logica in *actum*, & *veritatem*. Ita S. Thomas 4. *Metaph. lectione 4. littera B. & 1. Posterior. lect. 20. in fine. & opusc. 70. quest. 6. artic. 1. quest. 1. Item: cõtus q. 1. in Porphyrium, & initio Elenchorum: & communiter alij authores, Qui omnes cõcordant in*

explicando quid intelligant nomine *Logicae docentis*, videlicet illam quae tradit regulas, & docet qualiter fiat definitio, & constituatur apta diuisio, & construatur syllogismus. Et de Logica in ista consideratione videtur accipienda descriptio, seu definitio Logicae, quae circumfertur ex S. Isidoro lib. 2. *Ethimologiarum* cap. 22. *Logica est scientia definiendi, inquirendi, & discernendi, quae docet disputando, quemadmodum verum, & falsa diiudicentur.* Nominem verò *Logica vtentis* communiter intelligitur habitus, quo utitur quicumque in alijs scientijs, ad definiendum, demonstrandum, & reliquas operationes intellectus fabricandum: quia Logica, vt ait S. Thomas 1. *Metaph.* lect. 1. reperita est ad introductionem in alijs scientijs. Vnde prout contemplatur suum obiectum, & in se consideratur, dicitur *docens*; prout ab alijs assumitur, & subseruit, dicitur *vtens*.

§. IV.

*De Logica vtente primum dubium.*

11 **A**D cuius tamen exactam expositionem; inquirens primò; Vtrum in omni parte Logicae reperitur docens, & vtens?

Vt respondeatur, notandum ex Diuo Thoma 1. 2. quaest. 16. art. 1. quod *usus rei alicuius, importat applicationem rei illius ad aliquam operationem*: vnde, & operatio ad quam applicamus rem aliquam, dicitur

usus eius: sicut equitare est usus equi, & percutere est usus baculi, & scribere est usus calami: & sic de alijs instrumentis: quia vt ait S. Th. 1. *Perih.* lect. 7. omne instrumentum oportet definiiri ex suo fine, qui est usus instrumenti. Cum igitur Logica, & ordinetur ad cognitionem, & constructionem proprii obiecti; & vt sit *scientia instrumentum*: vt ait S. Th. opusc. 70. q. 5. art. 1. ad 2. ideo usus doctrinae Logicae, & est in propria materia secundarum intentionum; & est in materia extranea aliarum scientiarum.

12 Vtroque autem modo Logica dici potest vtens, *actiue*, & *passiue*: actiue, quia ipsa utitur doctrina, & praecipis logicalibus, ad definitiones formandas, vel syllogismos construendos, siue ex terminis secundarum intentionum in propria materia; siue ex terminis intentionum primarum, & realium, in materia extranea aliarum, scilicet, scientiarum. Passiue verò; quia ipsa utitur intellectus, vel alia scientia, vt dirigatur, vel in formatione syllogismi, vel in probatione alicuius conclusionis negatae. Vtraque ista acceptio patet: nam quod accipiat *actiue*, proprietatem vocabuli denotat, quia *vtens*, actiuum est in rigore Grammatico. Quod verò accipiat *passiue*, manifesta est ex antiquis: nam Auerrois 1. *Physicorum* comm. 3. 5. vocat Logicam *vsitatam*: Gregorius Bruxelensis hic appellat *vtensilem*: vel *vsualem*: & M. Soto q. 2. ait, quod accipitur Logica vtens *passiue*, quia vtuntur tractatores aliarum scientiarum.

13 Praeterea notandum, quod

cum Logica sit reperta ad introductionē in alijs scientijs, vt ait S. Tho. 1. Metaph. lect. 1. ideo alie scientie indigent Logica, & illa vtatur; & vt expedite forment syllogismos, & fallacias illorū cognoscant; & vt, cum deficit in propria materia mediū ad conclusionē aliquā probandā, recurrant ad scientiā cōmunem, quæ est Logica præscribēs locos cōmunes: vt verbi gratia, ponit exēplū S. Th. 1. Poster. lect. 20. in fine, vult quis probare, quod *odium est in concupiscibili*: & format sic argumentū: contra-ria sunt circa idē: sed amor est in cōcupiscibili: ergo odiū, quod est contrarium amoris, est in concupiscibili. In isto syllogismo vtitur intellectus Logica, quoad duo, nēpe, quoad formā syllogismi, & quoad materiā: quia illa propositio, *errata sunt circa idem*, pertinet ad Logicā. Solet etiā iuari intellectus in alijs scientijs vsu Logicæ in modo procedendi probabili, vel rationali: eo modo quo exponit S. Tho. opusc. 70. q. 6. art. 1. q. 1. vt ex probabilibus paratur via ad necessariās conclusiones. Sic ergo Logica vtens passiuē, vel est quoad formā tantū; vel quoad formā, & materiā, & modū procedendi dialecticū, seu probabilem.

14 Dico ergo quartò, vsus Logicæ, quoad applicationē quoad formā in omni parte Logicæ reperitur, tam in materia propria, quā in materia extranea aliarū scientiarum; imò, & opinionā: vsus verò quoad principia, vel modū procedēdi dialecticū, & tētatiuū, non reperitur in parte demonstratiua. Per distinctionē huius cōclusionis intēdimus ad

cōcordiā reducere duas opiniones repugnātes, quæ hic solent referri.

Prior pars probatur: nā omne id quod cōtēplatur Logica vt docens, deseruit vt construat Logica vtens: vnde, vt refert P. Fr. Didacus à Iesū q. 4. proximali, Græci Logicā vtētem appellant *rebus concretam*, docentem verò à *rebus auulsam*. Sed Logica vt docens tradit regulas argumentandi demonstratiue, & probabiliter, & cauēdi sophisticas fallacias: ergo Logica vt vtens potest syllogismos in omnibus istis partibus exercere.

15 Deinde, tam in materia Logicæ, quā in materia aliarū scientiarum, & artiū, reperiuntur syllogismi demonstratiui, quibus generatur scientia; reperiuntur syllogismi probabiles; quia illis paratur via ad sciētiam; vel propter debilitatē nostræ cognitionis, quia non valemus de omnibus habere scientiā, de quibusdā habemus solā opinionē, vel coniecturā: reperiuntur etiā syllogismi tantū apparētes, quibus aliqui decipiuntur, & à quibus sciētes cauere debēt: sed forma omniū horū pertinet ad Logicā docentē, quasi in abstracto; & ad vtētē, quasi in cōcreto, & in exercicio. Ergo in isto sensu, Logica vtēs per omnes Logicæ partes dinagatur: sicut etiā, cū S. Th. in 1. ad Anib. q. 2. prologi art. 3. diuidit doctrinā sacrā, in docentē, & vtētem; est diuisio, quæ vagatur per fere omnes partes doctrinæ sacræ.

16 Secunda pars colligitur ex Philosopho, qui 1. Topicorū cap. 1. & lib. 3. Metaph. cap. 1. docet quod vtentis est proprium, de quouis re proposita probabiliter disce-

rere. Estque S. Thomæ 4. Meta-phys. lect. 4. littera B. ubi concludit: *Sic apparet: quod quedam partes Logica habent ipsam scientiam, & doctrinam, & usum, sicut dialectica tentativa & sophisticæ; quedam autem doctrinam, & non usum, sicut demonstratiua.* Ergo ex mente S. Thomæ, in parte demonstratiua non reperitur Logica vtens: vt etiam docent PP. Carmelitani hic disp. 1. quæst. 4. & M. Ioan. à Tho. quæst. 1. artic. 5. & Conimb. q. 4. art. 2. P. Fonseca, & alij: quamuis valde discrepent in conclusionis intelligentia, & explanatione.

17 Nostra autem explicatio, & conclusio, facile probatur: pars demonstratiua semper procedit ex proprijs, siue sit in Logica, siue in alijs scientijs: sed Logica, qua vtimur in alijs scientijs ex parte materiæ, & principiorum, procedit ex extraneis. Ergo in parte demonstratiua non reperitur Logica vtens in isto rigore. Maior est manifesta ex dicendis libro tertio, videlicet, quod syllogismus demonstratiuus debet procedere ex proprijs. Minor verò probatur à D. Thomæ: quia principia Dialectica sunt exentibus rationis, quæ sunt Logicæ obiecta: sed entia rationis sunt extranea à naturis rerum, seu entium realium. Ergo quando aliæ scientiæ vtuntur principijs Logicæ, argumentantur ex extraneis: & concludit S. Thomas, quod hac de causa Dialectica, appellatur, *Tentatiua, quia tentare est ex extraneis procedere.* Videatur S. Thom. 1. Poster. lectione 20. in fine.

18 Quod verò vsus Logicæ vtentis in modo procedendi, reperitur solum in parte probabili, ostendit S. Thomas opusc. 70. q. 6. art. 1. q. 1. tali ratione. In intellectu est duplex modus procedendi; alter cum perducit ad terminum inquisitionis rationis, nempe intelligentiâ principiorum; alter cum vsque in vltimum terminum non perducit, sed sistitur in ipsa inquisitione rationis, quando scilicet, querenti adhuc manet via ad vtrumlibet: & hoc contingit, quando per probabiles rationes proceditur, quæ nata sunt facere opinionem, aut fidem, nõ autem scientiam: iste secundus vocatur *processus rationalis*; primus verò vocatur modus procedendi *demonstratiuus*. Ergo vsus Logicæ rationalis in modo procedendi, non reperitur in parte demonstratiua, sed solum in parte probabili. Et cõcludit S. Thomas, quod *his duobus modis vtitur Logica, qua rationalis dicitur, in scientijs demonstratiuis, vt dicit Comenz. 1. Physicorum: non quidem vt est docens, sed vt vtens.* Quibus intellectis, facile diluuntur argumenta, quæ vtrinque obijciuntur.

### §. V.

#### *Secundum dubium de eadem.*

*Alterum dubium est, Vt ùm Logica docens, & vtens sint idem habitus?*

19 **S** Vpponimus, ex dicendis in libris de Anima, quod exercitio operationũ intellectus, in ipso causatur aliquid permanens, quo redditur promptus, & habilis ad similes actus exercēdos: & iste dicitur *habi-*

*us sciētia.* Itē, videtur ex dictis manifestū, quod actus Logicæ vtentis distinguatur ab actu Logicæ docentis: quia cognoscere qualiter aliquid sit faciendū, distinctus actus est ab ipsa actuali fabricatione. Et hoc est verum in materia Logicæ: nam prius præscribuntur regulæ definiendi, & diuidendi, & argumentandi; quam iuxta illas actu fiant definitiones, & argumentationes, vt ex perientia constat. Idem procedit in alijs scientijs: quia licet syllogismi ex parte materiæ eliciantur ab intellectu adiuto habitibus aliarū scientiarum; quoad formam dirigitur intellectus doctrinā, & vsu Logicæ, & ipsa Logica vtitur: nec proprie dicitur talis actus imperatus à Logica: eo quod imperare est superioris: Logica autem est infima scientiarum; & ideo solum dirigit, & ministrat sicut inferior. His prælibatis, est dubium an omnes isti actus ab eodem habitu procedant?

20 Sit vltima conclusio: Logica docens, & vtens sunt idem habitus realiter, & formaliter, & sola ratione distinguuntur. Ita indicat S. Thomas 4. Metaph. lect. 4. dicens: *Dialectica potest considerari secundum quod est docens, & secundum quod est vtens.* Et quidem quod idem sit habitus vtentis actiue, & passiue, seu cuius actus docet ipsa facere, & quibus aliæ scientiæ vtuntur; manifestū est: quia idē est instrumentum fabricatum, vt alicui ministret, ac est illud quo ille vtatur in suo ministerio, nam ad hoc ab alio fabricatur: *sicut idem est malleus, quem docet facere faber ferrarius;*

*& quo vtitur faber lignarius, vt ad hoc intentum, ait Mag. Soto quæst. 2. sed Logica vtens passiuè est, quæ aliæ vtuntur, & actiue, est quæ cōficit ipsa instrumenta deseruientia alijs. Ergo sunt idem habitus. Et pariter, idem habitus est vtens præceptis Logicæ, & quo vtuntur tractatores scientiarum.*

21 Quod idem sit habitus docens construere, & in exercitio cōstruens, probatur: nam quando aliqui actus procedunt ex eisdem principijs, & sub eadem ratione formali, dimanant ab eodem habitu: sed isti actus procedunt ex eisdem principijs, & regulis, & sunt circa idem obiectum formale; & solum differunt penes magis, & minus concernens praxim, seu exercitium. Ergo sunt ab eodem habitu.

¶ Secundo; vbi non est noua formalis difficultas, non est ponendus nouus habitus: sed sciens doctrinā Logicæ, non habet nouam difficultatem in fabricandis intentionibus, & syllogismis, & in applicando ad alias materias, cum illis opus fuerit. Ergo frustra ad hoc ponetur nouus habitus. Probat minor: nā forma cōstructionis syllogismi eiusdem rationis est in omni materia; & principia, quæ quis nouit, facie facit vt cuilibet materiæ deseruiant.

22 Obijcies: potest quis scire regulas scribendi: & tamen habere difficultatem in litteris formandis: imo videmus multos peritissimos in arte Poætica, qui non velēt versus componere, nisi cum magna difficultate. Ergo pariter postquam quis

quis scit syllogismos fabricare, potest habere nouam difficultatem in syllogismis conficiendis.

Respondetur, quod cum doctrina, & vsus pertinent ad eandem potentiam; qui doctrinam callet, paucam difficultatem, vel nullam, habet in vsu: & sic contingit in Logicae doctrina, & eius vsu: at vero in exemplis argumēti, doctrina est in intellectu, vsus vero in potentijs externis, & phantasia, vel memoria, ministrantibus, ratione quarū impeditur expeditus vsus doctrinae: sicut sciens musicam, si recta voce careat, male cantabit.

23 Instabis: nam vt docet S. Thom. 2. 2. q. 51. art. 2. Prudentia est distincta virtus, & habitus à Synesi, & Eubulia: & tamen solum differunt, quia prudentia exequitur, & alia iudicant, & consiliantur. Ergo cum Logica docens iudicet, & speculetur, & vtens exequatur, & ad praxim deducat, erunt habitus distincti.

Respondetur reddendo disparitatem: nam in moribus, post bonum iudicatum, & cognitum, restat praecipua difficultas in applicanda voluntate libera, quae vel resistit, vel nō est applicata, & determinata: at vero difficultas intellectus est in cognoscendo: cognitione autem prauiā, fere nulla est difficultas in actibus rationis formandis: quia nulla est resistentia, aut noua libertas, nisi quoad exercitium: quod est in eius manu, cum voluerit. Videatur S. Thomas 2. 2. q. 47. art. 8.

24 Iterum obijcies: potest auge

ri Logica vtens, non aucta Logica docente. Ergo non sunt idem habitus. Probatur antecedens: nam potest quis non addiscens Logicae nouas regulas, praeter paucas, quas à principio didicit, exerceri in conficiendis syllogismis in Physica, vel Metaphysica: ac proinde in actibus vtentis: isto autem exercitio augebitur Logica vtens, non aucta Logica docente. Non ergo vtriusque actus ad eundem habitum pertinent.

Respondetur, quod solo exercitio conficiendi syllogismos in aliena materia, non augetur simpliciter, nec Logica vt docens, nec vt vtens: quia nec est extensio formalis ad nouam cognitionem; nec intensio per maiorem penetrationem eorundem veritatum. Solum ergo est augmentum extensiuum *secundū quid*: quia acquiritur quaedam accidentalis. & extrinseca facilitas, & promptitudo syllogizandi: sicut qui habet artem scribendi, & non curat maiorem habere notitiā melius scribendi, nec intimius penetrat regulas sibi traditas; etiam si saepe scribat, artem non auget simpliciter: quemuis prius reddatur ad scribendum vt antea sciebat. De quo iterum q. 6, §. 2.

## QVÆSTIO II.

### De obiecto Logicae.

1 **O**Mnia dicenda his praemia libus quaestionibus, ex solutione huius quaestionis pendent; & ideo illam praemittimus; quamuis, nisi hoc obstaret, esset reseruanda

ad finem proæmialium, iuxta rectum ordinem doctrine obseruatum à D. Thoma, 1. p. q. 1.

## §. I.

*Aliqua prænotantur.*

**P**Ræmittendum autem, ex dictis 1. p. Metaph. controu. 5. articulo 1. quod *materia circa quam* versatur scientia, dicitur *subiectum habitus*, & *obiectum potentia*; ex parte autem nostri, ipsæ conclusiones dicuntur sciri; & illarum subiectum, de quo demonstrantur, & prædicantur passiones, dicitur subiectum scientia: & sæpe in discrimine pro eodem sumimus, materiam circa quam, obiectum, & subiectum.

2. *Obiectum* autem dicitur aliquid tripliciter: vel *per accidens*: & omnino materialiter; vel *formale quod*: & hoc in comparatione ad obiectum *per accidens*, est formale, quamuis respectiue ad rationem *sub qua*, dicatur materiale: vnde obiectum *formale quod*, seu *ratio sub qua*, omnino est formalissimum in obiecto: vt in visu corporali, quantitas est obiectum *per accidens*; color, est obiectum *formale quod*; lux, est ratio videndi, quæ dicitur ratio *sub qua*. Nunc non loquimur de ista vltima; quia de illa dicitur quæst. 4. sed solum de alijs duabus, & præcipue est quæstio de obiecto quod! Et hoc, aliud est *adequatum*: de quo inquirimus. Aliud *partiale*: & inter ista

quædam obiecta obtinent *principalitatem*: & alia dicuntur obiecta *minus principalia*.

3. Præterea supponendum, ex D. Thoma in prologo sententiarum articulo 4. quod ad obiectum scientia tres conditiones exiguntur: *prima* est, quod quæcumque sunt in scientia, debent contineri sub subiecto: alioquin hoc non dicitur *adequatum*, & totale obiectum. *Secunda*, quod subiecti cognitio principaliter intendatur in scientia: nam ista ad eius cognitionem ordinatur. *Tertia*, quod per subiectum distinguitur scientia ab omnibus alijs: quia *secantur*, seu *diuiduntur scientia quemadmodum, & res*, vt dicitur in 3. de Anima textu 38. Et cum ab obiecto specificentur, per idem ab alijs distinguuntur: eo quod idem est constitutum, & distinctum.

## §. II.

*Conclusio certa.*

4. **D**Ico primo, materia circa quam, seu obiectum quod, per se à Logica consideratum, sunt modi, & instrumenta sciendi, vt sunt definitiones, & argumentationes, termini, prædicabilia, enunciationes, & alia huiusmodi: obiectum vero *per accidens*, seu materiale remotum, sunt res omnes, de quibus potest esse disputatio. Ab ista conclusione neminem arbitror posse dissentire, nisi de vocibus contendendo.

¶ Probaturque primo: nam scientia attribuitur à suis obiectis: vt Theologia à Deo dicitur *diuina*, & Phisica vocatur *Naturalis*, quia tractat de natura, & eius principijs, & de ente naturali. Sed Logica, quæ est idem, ac Dialectica, vocatur *disputatoria*: vt patet ex S. Augustino, libro de principijs Dialecticæ, initio vbi ait: *Dialectica est bene disputandi scientia*. Et libro 1. contra Cresconium cap. 13. *Quid est enim aliud Dialectica, quam peritia disputandi?* & cap. 14. *nomen quippe Græcum, inquit, est Dialectica, quæ, si usus admitteret, fortasse latine, disputatoria, vocaretur*. Ergo materia circa quam Logicæ, sunt modi sciendi, & disputandi.

5 Præterea: vt docet S. Thom. 1. p. quæst. 1. art. 7. *illud est subiectum scientia, de quo est sermo in scientia*: nam primi tractatores illius, cum vel voce, vel scripto, scientiam tradunt, circa obiecti noticiam versantur: & discipuli, illius adepta noticia, scientiam comparasse iure arbitrantur. Sed Aristoteles (qui vel primus, vel præcipuus fuit, qui methodo, & arte Logicam docuit, vt ipse testatur in fine libri secundi Elenchorum) totus est in tradendis instrumentis sciendi, & disputandi: vt patet in libris Perihermenas, & libris Priorum, & Posteriorum, & in libris Topicorum: omnes etiam, qui nunc Logicam docent, in istis tradendis immorantur. Ergo ista est eius materia.

6 Tertio, constat hanc esse materiam circa quam per se versatur Logica, ex fine propter quem est inuenta, videlicet, ad introductionem

in alijs scientijs: & vt ait S. Thom. opusculo 70. q. 5. art. 1. ad 2. *vt ministrat speculationi sua instrumenta*. Ad istum autem finem, medium per se conducens, est scire diffinire diuidere, & argumentari, & dirigere operationes intellectus, ne erret vnum pro alio accipiendo; vel falso vnum alteri attribuendo; aut male syllogizando. Ergo ista est materia Logicæ. Patet consequentia: tum quia S. Thomas libro 4. Metaphysicæ in principio, & lib. 11. lect. 3. ex fine, propter quem est inuenta Metaphysica, eius obiectum assignat. Et deinde, quia ipse S. Thomas 1. Posteriorum lect. 4. Generaliter docet, quod in omnibus, quæ sunt propter finem, definitio, quæ est per causam finalem, est ratio definitionis: quæ est per causam materialem. Vnde convenientissime ex fine Logicæ, eius materiam, seu obiectum, per ordinem ad quod, definitur, assignamus. Quod, videtur complexus S. Isidorus lib. 2. Ethimologiarum sic Logicam describens: *est scientia de finiendi, inquirendi, & differendi: quæ docet disputando, quæm. amodum vera, & falsa diuidentur*.

Possuntque rationes omnes confirmari, ex eo quod, modis, & instrumentis sciendi conveniunt omnes conditiones requisitæ ad obiectum scientiæ: vt patet discurrendo per singulas: nam, & continent omnia, quæ in Logica tractantur: earum cognitio principaliter in ea intenditur: & quærenti, quo differat ab omnibus alijs? Conuenienter istis responderetur. Ergo nihil illis deest, vt sint obiectum adæquatum, seu

materia circa quam versatur Logica.

7 Ex quibus probatur secunda pars conclusionis: nam obiectum peraccidens est, super quod cadit obiectum per se; ut color est obiectum peraccidens visus; quia color, & lux supra corpus quantum adueniunt, similiter materia remota, est materia circa quam est materia proxima, ut inductione patet: ergo res omnes, de quibus potest esse disputatio, sunt obiectum per accidens, & materia remota disputatorie scientiae, seu Logicae. Et forte hoc adminus intendit Philosophus 4. Metaphysicae c. p. 2. dicens, quod *de omnibus disputant, & circa idem genus Sophistica, & Dialectica versantur, & in Philosophia prima*, id est, cum Metaphysica, quae agit de omni ente. Et S. Thomas ibi lectione 4. dicit, quod *subiectum Logicae ad omnia se extendit, de quibus ens. natura praedicatur.*

In ista conclusione, quoad rem ipsam, facile auctores concordant: sed quia plura, instrumenta sciendi important; ideo valde discordant in assignando, quid se habeat materialiter, & quid formaliter in obiecto Logicae? omittis sententias.

§. III.

*Ens rationis est obiectum Logicae.*

8 **D**ico secundo: formale in obiecto Logicae, est ens rationis, proprie ac eptam; seu illud quod a se est solum obiective in

intellectu. Est expressa S. Thomae lib. 7. Viet. pa. lect. 13. litt. c, & lect. 17. litt. b, & opusc. 70. quaest. 6. artic. 1. ad 3. & in proximo Ethicorum, ait: *ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu; pertinet ad rationem, nalem Philosophiam*, quo vocabulo significari Logicae, ipse S. Thomas docet 1. Post. lect. 1. & in 3. sententiar. dist. 33. artic. 2. ad 3.

Dices: S. Thomam loqui de obiecto materiali, & peraccidens: non vero de obiecto formali, & per se.

Hoc facile reijcitur; quia ibi S. Thomas intendit explicare obiectum formale Logicae, prout distinguitur ab obiecto formali Ethicorum, & Metaphysicae, sed non differunt in obiecto materiali, & per accidens, sed ex obiecto formali per se. Ergo de isto loquitur S. Thomas.

Leinde, nullam admittit expositionem auctoritas S. Thomae ex libro 4. Metaphysicae lect. 4. ubi inquit: *ens rationis est proprium subiectum Logicae*. Qui loquendi modus, non nisi extoritur, detorquetur ad obiectum per accidens.

Lices iterum: S. Thomam loqui de obiecto formali: verum sermonem facit de illo, quod est in ratione subiective, vel est à ratione effectue, ut sunt operationes intellectus, quae sunt formale obiectum Logicae; non tamen loquitur de ente rationis proprie sumpto, seu de illo, quod est in ratione obiective. de quo nostrum est conclusio.

9 **C**eterum sola ratione verborum S. Thomae, haec evasio praecel-

cluditur: inquit enim ens est duplex: scilicet, ens rationis, & ens natura. Ens autem rationis dicitur proprie de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei, & similium, quae quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur. Et huiusmodi, scilicet, ens rationis, est proprie subiectum Logicae. Quibus verbis plures replicae continentur.

In primis, quia ens rationis conditum contra ens naturam, est ens rationis proprie: nam illud quod est in ratione subiective, vel effectivae, vere est ens reale, seu ens natura: sed loquitur de ente rationis conditum contra ens naturam. Ergo loquitur de ente rationis, quod habet esse in illa obiective.

Secundo, ens rationis à ratione adinuentum in rebus, est secunda intentio; & ens rationis, quod consequitur considerationem rationis, non est ipsa operatio, sed obiectum ex ipsa consequutum, & fabricatum. Sed de istis loquitur S. Thomas indubitatum ergo est loqui de ente rationis proprie sumpto. ¶ Denique; nam auctoritates: improprie exponendo, nil poterit auctoritate probari. Et praecipue Doctoris Angelicum metaphisice rem explicando, manifestum est improprie non fuisse loquutum. Sed in re clara non expedit amplius immorari. Habetur etiam opusc. 42. cap. 2. & opusc. 56.

10 Ratione probatur, primo: illud est obiectum formale Logicae, quod est forma materiae circa quam per se versatur Logica. Sed forma

obiecti circa quod per se versatur Logica, est secunda intentio rationis. Ergo obiectum formale Logicae est ens rationis. Maior est per se nota; nam scientia considerans totum artificiale, formaliter considerat, id quod est forma illius entis artificialis. Minor vero probatur primo: nam Logica formaliter tractat de universilibus, praedicabilibus, & eorum speciebus, ut sunt genus, & differentia: sed ista formaliter sumpta sunt entia rationis, ut propriis locis patebit: nam in rebus solum sunt fundamentaliter, & formaliter sunt opus rationis. Ergo ens rationis est proprie subiectum Logicae.

Secundo probatur minor: nam instrumenta sciendi, & disputandi, habent formam, quae convenit rebus, solum prout sunt in ratione. Ergo forma obiecti Logicae est aliquid rationis. Consequentia patet à definitione entis rationis; quod est illud, quod habet esse solum obiective in ratione. Antecedens vero probatur, ex differentia quae est inter terminum primam, & secundam intentionis: ille enim significat, id quod est in re: iste solum primit, id quod convenit per ordinem ad conceptum mentis. Sed formae istorum instrumentorum, non inveniuntur in rerum natura, sed solum sunt adinventionem intellectus. Ergo formaliter loquendo sunt aliquid rationis. Et haec est ratio insinuatà à D. Th.

Cui respondet recitiores: primo, negando minorem. Ad probationes respondent, formam istorum instrumentorum esse quid reale, nempe,

operationes intellectus, quibus ista formantur; vel de nominationes reales extrinsecas prouenientes rebus ab actibus re libus intellectus.

11 Facile tamen rei, citur hæc solutio. Primo, nam cuiuslibet enti artificiali, vltra operationem, qua fit, & denominationem extrinsecam proueniētē ab actione illa, debet assignari forma artis illi intrinseca, qua intrinsece partes illæ suo modo artificialiter adanantur; ne sint omnino ens peraccidens: & sic consideratur forma domus intrinsece in ipsis partibus domus, & forma significatiua in ipsis vocibus; licet causaliter præcedat impositio, & operatio artificis, qua inducitur forma artis: ergo priter in artefactis rationis, vltra operationem, qua fiunt, & denominationem extrinsecam inde consurgentem; debet vterius, vel consequi, vel adiuueniri, forma aliqua artificiosa intrinsece constitutiua artefacti. Sed hæc non est aliud, quam secunda intentio rationis, vt patet. Ergo ens rationis est formale in obiecto Logica.

Secundo vrget argumentum factum: nam formale vniuersalis formaliter est obiectum Logica: sed formale vniuersalis non est aliquid reale: nam quidquid est reale, est singulare. Ergo formale obiectum Logicae est aliquid rationis. Similiter secundæ intentiones sunt formæ artificiosi syllogismi, & subiecti, & prædicati: sed huiusmodi artefacta per se considerantur à Logica. Ergo formale eius obiectum est aliquid rationis.

Secundo respondent, quod adhuc si huiusmodi formæ sint entia rationis, non sequitur, quod obiectum formale, & directum Logicae sit aliquid rationis; sed solum sequitur, quod ens rationis sit consequens, & comitans obiectum formale Logicae: quia etiā si illud ens rationis non fixatur, vel resultet, Logica obtinebit suum intentum: nam definitio sine ente rationis erit clarior suo definito, & demonstratio realiter faciet scire, & sic de alijs.

12 Sed contra: nam illud quod est formale in modo sciendi, & in artefacto logico, est formale obiectum Logicae: sed entia rationis, & secundæ intentiones sunt ipsæ formæ, quibus constituuntur in formali artefacto disputationis, & modo sciendi. Ergo non est aliquid consequens, vt proprietas, sed est ipsa forma obiecti formalis Logicae.

Deinde aperitur solutio requiritio: nam entia artificialia, quia sunt in genere substantiæ ex parte materiæ; per illam definiuntur, & pro ea supponunt, & ei actiones attribuuntur, vt dicemus tractando de definitione generis quæst. 18. ex quo non infertur, quod non habeat formam accidentalem; nec quod ista non sit formalior, & essentialior concreto accidentali: cū potius sit actus, & perfectio, & dans esse. Cum igitur Logica tractet de artefacto rationis; licet definiatur per subiectum, & pro illo supponat tamen formalis in illo est ipsa forma. Vnde implicat, quod in exercitio ens rationis non consequetur: sicut non possunt in debita dispositione dis-

disponi partes domus, vel exercitus, & inde non consurgere formæ artificiales, domum, vel exercitum constituentes.

### §. IIII.

*Qualiter Logica dirigat intellectus operationes?*

13 **A**lterum conclusionis principale fundamentum, sumitur ex dictis questione prima num. 5. Quod Logica ordinatur ad actus humanos ordinate, & faciliter exercendos: unde est inuenta vt sit directiua operationum intellectus. Ergo obiectum eius formale est ens rationis. Probatur consequentia: quia proprium formale obiectum artis, non sunt operationes, quibus exercentur actus illius; sed operationes, & illarum materia, est materia sui obiecti; & formale in obiecto, est forma ipsa per actus artis inducta; vt inductiue patet in omnibus artibus: quia obiectum fabrilis, non sunt operationes manus; sed forma ipsa domus, quæ manibus, & debitis adhibitis instrumentis, fabricatur. Sed forma quæ inducitur operatione intellectus, vel in ipsis operationibus, vel in rebus consideratis est forma, vel consequuta, vel adiuuenta opere intellectus. Ergo est ens rationis.

Scrupulum inueniunt aliqui in assumpto huius rationis: eo quod non recte dicitur operationes intellectus esse dirigibiles per Logicam: quia Logica non dirigit operationes; sed intellectum, vt bene eliciat

ipsas operationes: sicut Architectura non dirigit domum construendam ab artifice; sed potius artificem, vt bene construat domum.

14 Verum hæc est obiecto mere de modo loquendi. Et in talibus; antiqui sunt præferendi. Nobis sufficit propositionem assumptam esse expressam S. Thomæ 1. Poster. lect. 1. vbi ait: *ars quaedam necessaria est, quæ sit directiua ipsius actus rationis, per quam, scilicet, homo in ipso actu rationis ordinate, & sine errore procedat: & hæc est ars Logica.* Et clare indicatur à D. Augustino lib. 2. de ordine cap. 13. esseque communiter ab omnibus receptum, testatur Mag. Sanchez lib. 1. quæst. 17. concl. 1. Recte ergo dicitur Logica directiua operationum intellectus.

¶ Rursus, non video cur illis scientia, quæ dirigit intellectum, vt bene eliciat operationes, non dicatur propriissime dirigere ipsas operationes: nam operationum directio consistit in ordinata elicientia per conformitatem ad principium; & sic sine errore proceditur in attingentia obiecti: quod patet exemplo virtutum moralium: nam dirigendo voluntatem, dicuntur dirigere illius operationes. ¶ Et retorquetur ipsorum exemplum: nam ars fabrilis, artificem, & ipsius operationes dirigit. Ergo idem faciet Logica. ¶ Lenique, virget ratio S. Thomæ: nam hoc est proprium intellectiuae partis, vt in se ipsam reflectatur: nam intellectus intelligit se ipsum, & similiter ratio de suo actu rationiatur: ergo, sicut ratio dirigit actus inferiorum partium; ita actus sui

fui directiua est: & ad hoc adiubatur Logica.

15 Plusculum difacilitatis habet cõmunis instãtia: nã directio operationũ intellectus est aliquid reale: ergo si Logica formaliter versatur circa directionẽ operationum intellectus, eius formale obiectum est aliquid reale. Probatũr antecedens: nã directio est operatio ipsa intellectus, vel aliqua eius perfectio realis: quod patet: nam ratione directionis, conceptibus competunt reales perfectiones, vt claritas, & firmitas: Deinde, cõceptus vt directi sunt causa realis scientiæ: nã sine ordine, causant errorem; & ordinati, faciunt scire: causalitas autẽ realis, non competit enti rationis.

Dices, cum M. Araujo lib. 3. Metaph. q. 1. art. 1. n. 10. directionẽ actiuã intellectus esse aliquid reale: nã ab ipsis operationibus nõ differt: directio verò passiuã est aliquid rationis: siquid cõpetit ratione operationũ intellectus: & hæc directio passiuã est formale obiectũ Logicæ.

Sed contra primò: nam directio passiuã est effectus realis, cõsequens ex directione actiuã. Ergo si ista est aliquid reale, etiã directio passiuã. Secundò, directio passiuã videtur importare denominationẽ extrinsecam in conceptibus formalibus, vel obiectiuis: denominatio autẽ extrinseca proueniens à forma reali; est realis: quia non differt realiter ab ipsa forma respectiue concepti. Ergo etiã ex hac parte habetur, quod directio passiuã, & obiectum formale Logicæ sint quid reale. Ex alia etiam parte, adiuuc dato, quod pas-

sue esse directũ intrinsece in conceptibus, vel rebus ipsis; sit quid rationis; videtur non haberi quod obiectum primarium, & directum Logicæ sit quid rationis: quia antecedenter ad illud rationis, intelligitur instrumentum sciendi reale, & aliquid per se pertinens ad Logicam: ergo intelligitur obiectum formale Logicæ: ac proinde, hoc erit quid reale.

16 Istas difficultates euadunt M. Masius hic sect. 1. q. 13. & P. Rubio hic q. 6. concl. 1. & PP. Carmelitani q. 3. n. 33. dicendo, quod actus intellectus, non sunt materia; quæ denominatur à secundis intentionibus; sed sunt quasi principia, & causæ illarum: vnde solum possunt appellari obiectum materiale Logicæ: & hoc est aliquid reale.

Similiter M. Fr. Ioan. à S. Thoma q. 1. art. 3. in cor. & ad 2. respondet, quod licet ordo, & tendentia cõceptuum ad obiecta recte ordinata, sit aliquid reale; non tamen illa tendentia est obiectũ formale Logicæ; sed est id quo intellectus attingit obiecta ordinata à Logica: obiectũ autem formale Logicæ solũ est ordo rationis resultans in rebus circa, quas versatur cognitio; nõ verò ordo conceptuum. Vnde istos dirigit dirigendo obiecta. Obiectorum autem directio facta ab intellectu, est ens rationis, quod est Logicæ obiectum, vt late ponderat P. Rubio.

17 Ad explicandum autẽ qualiter ens rationis sequitũ ad rem cognitã, sit regula directiua intellectus ne erret? Addit P. Paulus Valius tom. 1. Logicæ q. 3. c. 21, & 22.

& M. Ortiz tractatu 1. Conferentia 2. §. 3. & 4. quod per ens rationis non dirigitur intellectus operatio, à priori, & tanquam à causa rectitudinis; dirigitur tamen à posteriori, vt ab effectu rectitudinis: nam ens rationis ostendit nobis illam operationem esse rectam; eo quod cognitis accidentibus vnius operationis, manuducitur intellectus vt alterius rectitudinem agnoscat.

18 Verum hæc explicatio non placet: tum quia est manuductio difficillima: & quam non experiuntur se habere, qui discunt Logicam, Secundo, quia ex illa habetur, quod ens rationis non sit obiectum directum Logicæ; sed solum proprietates eius accidentales, qua à posteriori deveniamus in cognitionem obiecti directi Logicæ; cuius ista entia rationis sint proprietates.

Prior verò solutio ex parte satisfacit: quia vere in conceptibus obiectiuis resultant aliqua entia rationis, quæ per se attinguntur à Logica. Deficit tamè ea parte, qua negat in conceptibus formalibus etiã fundari entia rationis per se pertinètia ad Logicã: cuius oppositã mox ostendemus. Nos igitur, vt facilius respondeamus, prius exponemus, quod ens rationis; & qualiter attingitur à Logica? & qualiter operationes intellectus ad illã pertineãt?

### §. V.

*Conceptus, res & voces, partes obiecti Logicæ.*

19 **D**ico tertio, conceptus formales, & obiectiui, & voces sig-

nificatiuæ, quibus exprimiuntur; sunt pars obiecti per se Logicæ; nõ quidem vt forma; sed vt materia, quæ cõponit arte facta logica. ¶ Notandum, quod aliud est aliquid esse partem materiale obiecti per se; aliud verò esse obiectum pure materiale: nã obiectum pure materiale, omnino per accidens attingitur: pars verò materialis obiecti per se, attingitur directe, & per se à scientia totius cõpositi: sed quia in illo forma est quid actualius, & perfectius; ideo respectu illius se habet materialiter: sicut materia prima per se pertinet ad Phisicam, quia est pars materialis cõpositi naturalis: & ex quibus cõstat domus per se attinguntur ab arte; quamuis in ordine ad formã accidentalem, quæ per artẽ inducitur. ¶ Dicimus igitur, omnia ista, de quibus fit mentio in conclusione, esse partem per se, & directe attractam à Logica; non vt formã; sed vt materiã cõpositi Logici. ¶ Sumiturque hæc cõclusio ex celebri dicto Auicenæ, quod approbant Auctor opusc. 56. apud D. Thomam, & Caietanus capite de genere, & M. Soto quæst. 5. proxima, quod *Logica est ad se undè intentionibus actiue primis*. Et est frequenter insinuata ab eis Thomistis, qui asserunt, secundam intentionem in concreto esse obiectum Logicæ: quod esse multorum Thomistarum refert, & approbat Sanchez lib. 1. q. 17. concl. 8. item Lerma lib. 1. q. 9.

20 Fundamentã est: nã scientia, vel ars, quæ versatur circa aliquod totum, vel naturale, vel artificiale, versatur directe circa partes, ex quibus constat: quãuis de parte materiali,

riali, nō tractet, nisi vt determinatur per formā & cū ea cōstituit totū. Sed Logica directe est circa totū artificiale, quod est instrumentū sciendi. Ergo directe versatur circa eius materiā, & formā. Maior est per se nota; & inductione potest amplius manifestari. Minore est probata cōclusio prima: & ulterius suadetur: nā illud cōcretū est scibile; quia de eo plura possunt probari; & eius notitia ad omnes scientias valde cōducit: sed nō ab alia scientia, nisi à Logica: eo quod Metaphysica solū de illo tractat sub cōmunissima ratione entis: vnde sicut de specialibus rationibus entium, sunt aliæ sciētiæ speciales, ita nō est cur de ista nō sit specialis sciētia: quæ non est aliā nisi Logica.

21 Restat probare, quod omnia illa sint materia per se denominabilis à secunda intētionē. Quod in primis suadetur ratione, quæ de tribus prædictis probat: nā vt diximus q. 1. omne, quod cōstituit Logica vtēs, est quod cōtemplatur Logica vt dōtens: eo quod vtēs ad exercitium reducit principia, & regulas doctrinales docentis; & illa nō solū regulas tradit; sed reflectitur, vt exercitium illarū cōtēpletur. Sed vtēs cōstruit syllogismos, definitiones, & prædicabilia, & vniuersalia; tam in cōceptibus internis, quā circa res per illas significatas: vnde, & termini diuiduntur in mentales, & vocales; in terminos primæ, & secundæ intētionis: & pariter propositiones, & syllogismi, & subiectū, & prædicatum in mente, & in rebus ipsis vt in materia denominabili reperiuntur: cum naturæ dicantur vniuersa

les, subijciantur, & prædicentur, & definiantur: & pariter voces dicuntur termini, propositiones, & syllogismi. Ergo cōceptus, res, & voces sunt materia secundarum intentionum Logicalium.

In particulari, quod cōceptus formales, nō solū sint causa obiecti Logicæ; sed materia ab ipsa denominabilis, patet ex dictis n. 14. imò ista est principalior pars Logicæ; & iuxta ordinē, & correspondentiā trium operationum intellectus, Logicæ, & Dialecticæ partes distinximus hic, & initio Dialecticæ.

22 Quod autē cōceptus obiectiuus, vt correspondēt formalibus, & vt substant secundis intētionibus, quæ sunt formæ Logicæ, sint materia per se considerata à Logica; probatur, in primis ex D. Tho. 4. Metap. lect. 4. verbis relatis n. 9. vbi expresse docet subiectū Logicæ esse ens rationis, seu secundas intētionēs, *quas ratio abinuenit in rebus consideratis*. Sed ratio potissime considerat cōceptus obiectiuos, & illi dicuntur primæ intētionēs: ergo sunt materia, seu subiectū secundarum intentionum.

Secundò probatur inductione: nā intētionēs quinque vniuersaliū, decem prædicamentorū, pluriū terminorū, & definitionū per se sunt de consideratione Logicæ, vt patet in eius tractatibus: sed istæ potissime denomināt cōceptus obiectiuos, vt in eorū tractatu patebit. Ergo ita est asserendū cōceptus formales pertinere ad Logicā, quod potest ratio habeatur cōceptuū obiectiuorū, illis correspondentiū. Et hæc est ratio indicata à D. Th. dicta lectione. 4.

23. Aliam probationem insinuat S. D. I. Ierih. lect. 2. dicens, quod *Logica ordinatur ad cognitionem rerum secundam*: quia cum ordinetur ad acquisitionem aliarum, ut illarum ianua; cum ipsa ordinetur ad rerum notitiam habendam, ad idem ordinatur Logicæ; & huic fini ministrat instrumenta. Ergo ordinatur ad conceptus obiectiuos. Unde Hieronimus in Toplicorum cap. 1. docet Intellecticam esse artem ratiocinandi de qua cumque re proposita. Et 4. Metaph. lect. 4. ait, ex Philosopho, S. I. homo s, quod *subiectum Logicæ ad omnia se extendit, de quibus ens nature predicatur*. Et rursus dicit, quod *intentiones intelligibiles, entibus nature acqui- rantur*: qui sunt eiusdem extensionis; & ubi in istis fundantur, & illis correspondent.

Dices: Logicam primario, & per se, non agere de conceptibus obiectiuis, sed tantum secundario, quatenus hi sunt obiecta formalia: sicut pictor, qui agit de Cæsaris imagine, tantum de Cæsare agit, quatenus est obiectum imaginis, quæ est propria, & immediatam obiectum suæ artis, quia imago ab arte fit, non verò Cæsare. ita pariter; Logica docet, quod facit: unde cum solam facit conceptus formales, tantum directe versatur circa illos. Rursus: definitio, diuisio, & argumentatio, in operationibus, & non in obiectis consistat. Denique nam Logica res sola speculatur ut directas: sed formaliter diriguntur conceptibus formalibus: ergo isti soli per se pertinent ad Logicam, & obiectiuo solum indirecte, & pure materialiter.

24. Respondetur, res dupliciter attingere ad Logicam; vno modo: *obliquo, & indirecte*, quatenus, qui attingit conceptum, seu verbum, dicitur attingere id cuius est verbum; & hoc modo sunt obiecta per accidens, & ut materia remota attinent ad Logicam. Sed quia non sistit Logica in illa parte, quæ docet, vel facit secundas intentiones fundatas in conceptibus; sed ulterius adiuvenit intentiones denominantes res; ideo secundo res ipse attinent ad Logicam, ut id quod est vniuersale, predicamentum, & similia subit predicata: & sic *directe* sunt pars materie Logicæ. Et non opus est, quod materia Logicæ ab ipsa fiat; sed sufficit, quod ab illa ordinetur, vel contempletur qualiter debeat ordinari, & ab ordinatione intellectus, tam ipsæ operationes, quam res ipsæ dicuntur ordinari: & ideo modus sciendi, & est *formalis, & obiectiuus*: & in obiectiuo, res ut materia, & secunda intentio, ut forma, attinet ad Logicam.

25. Ultima pars, nempe, quod voces sint propria materia intentionum Logicalium, colligitur ex Philosopho in Antepredic. & in libris Ierihermenias, ubi ex professo agit de nomine, & verbo, & de enuntiatione vocali. Et S. Thomas I. Ierih. lect. 2. ait; quod *significatio vocum, quæ est immediata ipsis conceptionibus intellectus, pertinet ad principalem considerationem ipsius: significatio autem litterarum, tanquam magis remota, non pertinet ad eius considerationem, sed magis ad considerationem Grammatici*. Idem supponit Porphyrius, qui tractatum Prædicabili-um,

lium, inscripsit, *de quinque vocibus*. Et Plato in Phædro, *Garrulam vocat Dialecticam*: quia est de vocibus: ut etiam ait Quintil. lib. 12. capit. 2. & Seneca epist. 91. dicit: *proprietates verborum exigit, & structuram, & argumentationes, ne pro vero falsa surrepant*. Voces ergo pertinent ad obiectum per se, sed partiale Logicae. Quia in illis fundantur intentiones terminorum, propositionū, & similibus. Et dantur syllogismi vocales, ut illis medijs, vera, & falsa, quæ diiudicamus, adinuicem communicemus, & in scholis doceamus, & addiscamus. Ergo Logica agit de vocibus, distincto fine, & modo, ac Grammatica, ac Rhetorica.

## §. VI.

*Corrolaria ex dictis.*

26 **E**X quibus sequitur: primò, veram esse distinctionē Logicæ, Grammaticæ, & Rhetoricæ assignatam q. 1. quia licet in partiali obiecto Logicæ illæ conueniant, differunt in modo, & fine diuerso iam explicato. Et vltèrius, Logica non sūdit in intentionibus fundatis in vocibus; sed principaliter agit de illis, quæ fundantur in conceptibus & in rebus significatis ad discernendum verum à falso.

27 Sequitur secundò, quod obiectum Logicæ non est ens rationis in tota latitudine: quia nec agit de chimericis, & nullum habentibus fundamentum. Nec entia rationis habentia fundamentum omnia sunt de consideratione Logicæ; sed solum illa, quæ conducunt ad eius fi-

nem, explicatū in definitionē Logicæ supra relata. Nec rursus de ente rationis agit in abstracto, & solum speculando quid sit? qualiter formetur; & quas proprietates habeat? quia in hac abstractione tãgitur ens rationis à Metaphysica, ut latius in illa diximus 1. p. Controu. 5. art. 5. agit ergo de illo inconcreto, ut formantur primæ intentiones, secundis: & in isto statu suas habet proprietates, quas Logica speculatur; ut in eius discursu videbitur.

28 Deducitur tertio, *modū sciendi stricte sumptū*, ut solū cōprehēdit definitionē diuisionē, & argumentationem, esse quid: *obiectum partiale Logicae*: cum de illo potissime agat, & ad eius finē maxime cōducat: nō tamen potest esse *obiectū adæquatū Logicae*; cum in illa plures dentur tractatus, & partes circa alias secundas intentiones versantes, à prædictis distinctas. Quia tamen omnes ordinantur ad faciendū scire, & ut subferuiat speculationi; ideo generali vocabulo omnes partes Logicæ dicuntur agere de modo sciendi cōmuniter accepto. & sic 2. Metap. tex. 15. nomine modi sciendi accipitur Logica; cū dixit Philosophus *absurdū esse querere simul scientiā, & modū sciendi*. Et hoc tantū intendant, qui dicunt *modum sciendi esse obiectum Logicæ*: nam loquuntur de modo sciendi in dicta amplitudine; si sermo eorum est de obiecto adæquato.

29 Habemus quartò, quod sit obiectum *principalitatis*: potest enim cū M. Soto q. 5. conclus. 2. dici, quod est *argumentatio*; & sic intelligendus B. Albert' Magnus in prologo præ-

dicabiliū. Et ratio est: quia subiectū principalitatis est, quod inter obiecta partialia praecipue intenditur; & quodammodo ad eius notitiā cetera ordinātur: sed quod praecipue intenditur in Logica, est verū inquirere argumentando, siue syllogismo, siue enthymemate, siue inductione. Ergo argumentatio est obiectū principalitatis. Quāvis inter argumentationes praemineat syllogismus; & inter syllogismos, demonstratio; & ideo nō incongrue, Sánchez, & P. P. Carmelit. illam dicunt esse subiectū principalitatis. Sed parū refert, hoc vel illo modo loqui. Quāvis haec praeminentia videatur solū in peculiari tractata: & ideo bene aduertit M. Soto, quod totius Logicae subiectū praecipuū est argumentatio: sed in libris Priorū subiectum est syllogismus; & in libris Posteriorū, demonstratio.

30 Quinto colligitur; quod id quod apud S. Thoma, & antiquos, appellatur *obiectum principalitatis*; à Modernis extra eius scholā vocatur *obiectū attributionis*. Et valde inter se digladiantur in illo asiglando. Sed quia dissidiū oritur totū ex diuerso vocabulorū vsu; ideo in isto puncto, cum de re cōstat, non expedit immorari: sed permittitur vnusquisque in suo sensu abundare.

### §. VII.

#### *Soluantur argumenta.*

31 **V**ltimo, ex dictis facilis est solutio argumenti propositi n. 15. quia directio actiōis est aliquid reale sed vt est actiō ex qua consequitur secunda intentio, est obiectū

quasi efficiens; & ita materialiter & quasi extrinsece, attingitur a Logica: at verò, vt est materia, seu subiectū denominatū à secunda intentione, est pars obiecti formalis Logicae; nō quidem pars formalis; sed materialis: & sic non est inconueniens, quod sit quid reale; quia secunda intentio fundatur in prima. Directio autem passiuā intrinseca rei directae, vel conceptui, est ens rationis formaliter: quia est secunda intentio.

32 Ad replicas dicitur, quod illa directio passiuā fit, seu consequitur speculādo: quia, vt ait S. Th. in prooemio Ethicorū, est *ordo quē ratio cōsiderādo facit in proprio actu*: ordo autē qui cōsequitur speculationē, & doctrinā; ordo rationis est. Et nō est inconueniens, quod causalitas realis p̄deat vt à cōditione ab ordine rationis, vt aliqui dicunt: vel causalitas nō cōuenit ratione formae, sed ratione fundamenti illius: vt causalitas physica sacramentorū p̄det à uocum significatione, quae intrinsece est quid rationis. ¶ Vel melius dici potest, quod cōsentia artificiali: supponat pro subiecto, illi tribuitur causalitas, licet vt stat sub forma: sicut milites, vt ordinati vincunt, & sine ordine nō vincerēt; quāuis relatio nō sit actiua: quia, vt ait S. Th. in 4. dist. 1. q. 1. ar. 2. q. 4. relatio nō potest esse principium, nec terminus actiōnis. Quod a fortiori dicitur de relatione rationis. Et ita actiōis ipsis intellectus tribuitur causalitas scientiae; quāuis si nō essent ordinati, nō scientiam, sed errorem causarent.

33 Ad alterā replicā dicitur, quod denominatio illa extrinseca, est fundam-

clamētū secunde intētioni: nā sicut in artificio lib' exterioribus, post actionē, & denominationē cōsequitur forma intrinseca artefacti: ita, & in artefacto rationis. ¶ Ad ultimā dicitur, quod antecederet ad formam artis, est artefactū, incōplete, & ex parte subiecti solū; nō tamen est cōplete: quia nōdum intelligitur forma inducta per artē. Et est impossibile ponere actionē directiā cū omnibus requisitis; & quod nō sequatur in cōceptu, vel in re forma directionis passivæ: sicut est impossibile, quod collocetur tres virgæ in situ triangulari, & quod non inducatur figura trianguli: & eo ipso quod partes domus actione artificis situantur, cōsurgit domus artificiosa: ita pariter in exercitio ad positionē directionis actiue, non potest non cōsurgere secunda intentio, quæ est ultima forma artificij logicalis.

34 Sed adhuc obijcies: nā etiam si operationes intellectus, vt directæ pertinet ad obiectū Logicæ formale, nō sequitur, quod obiectū formale Logicæ sit quid rationis. Ergo per doctrinā datā nō saluatur secunda cōclusio, quod obiectū formale Logicæ sit ens rationis. Antecedens probatur à paritate: nā etiā si Philosophia moralis versetur circa operationes voluntatis vt dirigibiles, vel directas, nihilominus eius obiectū dicitur esse aliquid reale; ergo pariter diceretur de obiecto Logicæ. Patet cōsequētia, quia nō est cur in actibus intellectus ordo sit rationis; si in actibus voluntatis ordo est realis?

Responderetur, quod sicut entitas actiū intellectus attingitur à scien-

tia de anima, cuius mediāte intellectu, est operatio; ita pariter dicendū de entitate actiū voluntati; & vt sic par est virorumque ratio. Quia tamen libertas in actibus voluntatis est realis perfectio, vt ostendimus 2. p. Metaph. Controu. 1. 1. & pariter moralitas, vt probatur 1. 2. q. 18. ideo scientia moralis est de aliquo reali: ex ea verò parte, qua in actibus externis moralitas est, vel extrinseca denominatio, vel aliquid rationis, non esset inconueniens concedere, quod scientia moralis est de aliquo, cuius forma est aliquid rationis. Quia tamē ordo actiū intellectus, fit cōsiderando; ideo totus est ordo rationis; & ordo, de quo nūc loquimur est secunda intentio rationis.

35 Præterea arguitur: nā subiectum sciētiae debet habere passiones de ipso demonstrabiles; & principia, & causas per quas cognoscatur, vt probatur 1. Poster. cap. 3. sed ens rationis nō habet passiones, nec principia, & causas. Ergo de ipso nō est scientia Logicæ. Probatur minor, quoad primā partē: nā passio naturaliter separari nequit à subiecto: sed si ens rationis haberet proprietates, ille essent sine subiecto: quia sine illo cognosci possant; & esse entis rationis est cognosci. Et rursus oportet assignare, & nominare proprietates entis rationis incōmuni. Quod hucusque, nullus habētū Logicam, fecit. Secunda verò pars minoris patet: nā causa influit realiter, & dat esse reale. Vnde ens rationis causam non habet.

Responderetur, quod etiam si ens rationis non haberet proprie passiones,

nes, posset esse subiectum Logicæ: quia vt dicit S. Thomas q. 1. prologi ad Anib. art. 2. ad 2. *si subiectum scientia habet partes, & passiones, à scientia considerantur: non tamen oportet: quod omne illud, quod est subiectum scientia, partes, & passiones habeat: vt patet in obiecto Theologiæ.* Qui vt docet S. Thomas opusculo 70. q. 6. artic. 4 in cor, non omnis actus scientie est demonstratio passionum: sed aliquando explicatur an est, & propria ratio subiecti, & traduntur definitiones, & per illas exponitur distinctio eius ab alijs. ¶ Addit S. Thomas opusculo 70. q. 2. artic. 2. ad 3, quod *passiones etiam dicuntur, quæcumque de aliquo probari possunt, siue negationes, siue habitudines ad alias res: quod constat entibus rationis conuenire.*

Imò non est cur non habeat ens rationis suas proprietates: quia vnus ens rationis aliud consequitur. Et licet proprietates entis rationis in cõmuni, cognite, vel nominat non sint; non sequitur, quod de illo non sit scientia Logicæ. Tum quia ista nõ tractat de illo abstracte, sed concrete: & ideo tractat de proprietatibus arte factorum, & non de pura speculatione essentia, & proprietate formæ rationis, attinentis vt sic ad Metaphysicã. Tum quia scientia cognoscit obiectum, vt petit cognosci: & ita in incõmuni nõ sequitur proprietates, non est necesse illas cognoscere: sed sufficit causas, & species cognoscere, & species u proprietates. ¶ Sunt etiã qui dicant, quod dirigere intellectum est quasi euentia obiecti Logicæ, & posse ostende-

re veritatem est eius quasi propria passio. ¶ Sed quicquid sit de hoc: Non est inconueniens, quod in illis passio formaliter existat sine subiecto, & è contra: nam esse eorum solum est obiectiuum, ad differentiam entis realis. Infra etiã dicemus, quod suo modo habent principia, & causas, sicut, & esse. Alias proprietates numerat Araujo lib. 3. Metap. q. 1. art. 1. n. 7. in fine.

36. Ultimo arguitur: nulla scientia inquit de suo subiecto, an sit, & quid sit, sed supponit; vt patet ex Philosopho 1. Poster. tex. 2. sed in Logicæ disputatur, an sit, & quid sit ens rationis? ergo illud non est subiectum Logicæ.

Respondetur, quod quæstiones de ente rationis, sunt quasi præambula ad Logicam: & sic non est inconueniens querere an est subiecti: sicut in Theologia inquitur an sit Deus? 1. p. q. 2. art. 3. & tamẽ Deus est eius obiectum. Præterquam quod quæstiones de ente rationis magna ex parte sunt mutuæ à Metaphysica: & sic potest inquiri an est entis rationis? quæmuis sit formale obiectum Logicæ.

### QVÆSTIO III.

*Vtrum Logicæ sit scientia, & ars?*

§. I.

*Quid sit scientia, & ars.*

**I**Ntrandum primò, quod scientia accipitur dupliciter; vno modo *generatim* pro omni cognitione certa, siue clara, siue obscura: vnde ea, quæ fide humana, vel divina credimus, generaliter loquendo, dicimur scire; vt 2. ad Thimot. 1. *Scio cui*

credidi. Et Ioan. 4. *ipſi enim audiuiſtis & ſcimus; quia hic eſt Saluator mundi:* vbi ipſi actus credendi: dicuntur actus ſcientiæ communiter: & pariter accipimus cum dicimus, *ſcio Romanam eſſe.* Et de ſcientia in iſta acceptione, nulla eſt quæſtio. Secundo accipitur ſcientia ſtriçte, in eo rigore, quo accipitur ab Ariſtotele. 1. Poſteriorum capit. 2. dicente, quod ſcire eſt rem per cauſam cognoscere, & eius rei cauſam eſſe neque poſſe eam aliter ſe habere. Vnde ſcientia eſt cognitio rei per cauſam, aut rationem formalem.

2. Secundo notandum, quod ſcientia ſtriçte, alia eſt actualis, que eſt cum actu intelligimus, diſcurrimus, & probamus vnum per aliud: alia eſt habitualis, quæ remanet in dormiente, vel de his non cogitantante; & eſt quoddam accidens, ſeu qualitas permanenter in intellectu reſidens: & dicitur habitus ſcientiæ. De quo vt, ſi item rudi Minerva, explicemus quid ſit?

3. Aduertendum tertio, quod Philoſophus 6. Ethicorum c. p. 7. & S. Thomas ibi, & 1. 2. q. 57. ponunt in intellectu quinque virtutes: tres in parte ſpeculatiua, nempe habitum, qui veritatem circa prima principia, & vocatur *intellectus*: aliam qui veritatem circa cauſas altiffimas, & dicitur *ſapientia*: & denique ſcientiam, quæ eſt cognitio rei per cauſas inferiores: & iuxta diuerſas cauſas, & diuerſa genera ſcibilium, ſunt diuerſi habitus; cum tamen *ſapientia non ſit niſi vna*, vt ait S. Thom. vbi ſupra artic. 2.

In parte autem practica ſunt alij

duo habitus, nempe, *ars*, quæ nihil eſt aliud, quam *ratio recta aliquorum operum faciendorum*, vt definit S. Thomas art. 3. vel vt definit Philoſophus 6. Ethicorum lect. 3. apud D. Thomam littera e. *ars eſt habitus facilius cum vera ratione.* Et eſt ibi *prudentia*, quæ eſt *recta ratio agibilium.* Quod ſic explicat S. Thomas q. 57. art. 4. nam, vt dicitur 9. Metaphyſicæ textu 16. factio eſt actus tranſiens in exteriorem materiam, ſicut ædificare, ſecare, & huiusmodi: agere autem eſt actus permanens in ipſo agente, ſicut videre, velle, & huiusmodi. Sicut igitur ars dirigit exteriores factiones, ita prudentia dirigit humanas operationes vt recte fiant. Quia tamen de alijs habitibus, noſtri inſtituti non eſt diſputare, ideo circa artem, duo breuiter aduertenda.

4. Quarto ergo notandum, ex D. Thom. 6. Ethicorum lect. 3. lit. f. quod circa materiam artis duo eſt conſiderare, ſcilicet, ipſam actionem artificis, quæ per artem dirigitur, & opus, quod eſt per artem factum. Eſt autem triplex operatio artis. Prima quidem, eſt conſiderare qualiter aliquid ſit faciendum. Secunda autem eſt operari circa materiam exteriorem, quaſi ipſam preperando, & disponendo. Tertia, quæ eſt quaſi finis artis, eſt conſtituere ipſum opus. Ex parte vero ipſius operis, duo eſt conſiderare: quorum primum eſt, quod ea quæ ſunt per artem humanam ſunt contingentia eſſe, & non eſſe. Quod patet ex hoc, quod quando ſunt faciunt eſſe de nouo. Secundum eſt, quod

quod principium generationis artificialium operum est in solo faciente quasi extrinsecum materiae, & rebus ipsis: sed non est in facto tanquam illi intrinsecum. Et sic patet sensus definitionis artis à Philosopho assignatae.

5 Quia tamen ratio sua opera facit; ideo etiam dantur artes directorum operum rationis. Et hinc dimanat illa celebris diuisio artis, in artem liberalem; & seruilem, seu mechanicam quam tradit S. Thomas 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. & opusc. 70. art. 18. ad 3. & lib. 1. Metaphisicae lect. 3. sunt autem artes liberales septem, & totidem mechanicae. Artes liberales, tres dicuntur rationales, nempe, Grammatica, Rhetorica, sub quibus continetur Poetis, (nam à quibusdam reducitur ad Grammaticam: at vero Quintilianus lib. 2. cap. 19. reducitur ad Rhetoricam. Vnde Cicero 1. De Oratore. *est similitudo Oratori Poeta*) & Logica. Et quatuor Mathematicae, scilicet, Arithmetica, & Geometria, Musica, & Astrologia, quae designantur illo carmine.

*Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angelus, Astra.*

Artes vero liberales, quaedam pertinent extrinsecus ad corpus, ut sunt Lanificium, Armatura, Navigatio; aliae vero pertinent intrinsecus ad nutritionem, & valetudinem corporis, ut Agricultura, Venatio, Medicina, & Theatrica: vnde versus.

*Lana, Nemus, Miles, Navigatio, Rus, Medicina: His Theatrum socia: sunt haec Mechanica dicta.*

Dicuntur mechanicæ seruiles; eo quod pertinent ad corpus, & corpus seruiliter subditur animae, & homo secundum animam est liber, ut notat S. Thom. illa q. 57. artic. 3. ad 3. & ideo, quæ ordinatur ad operationem rationis, dicuntur artes liberales.

6 Occurrit tamen dubium, an artes liberales sint proprie artes; an vero solum secundum quid, & analogice? ¶ Hoc secundum, tenent M. Soto q. 4. conc. 2. & M. Sanch. lib. 1. q. 9. conclus. 3. & Cardinalis Toletus q. 4. proximali circa finem. PP. Carmelitani disp. 1. q. 6. num. 65. & num. 68. in fine, & alij. Et probatur primo ex D. Thoma illa solutione ad 3. ubi ait, quod *dicuntur per quandam similitudinem cum artes.* Ergo solum secundum quid, & improprie. Et concludit: *nec oportet, si liberales artes sunt nobiliores, quod magis eis conveniat ratio artis.* Quasi dicat, esse nobiliores in esse virtutis; non vero in ratione artis: quia ut sic, improprie, & secundum quid sunt artes. ¶ Secundo probatur, nam S. Thomas ibi art. 4. & 2. 2. q. 47. art. 4. & 5. artem à prudentia distinguit: quia ars est circa actiones, seu actiones externas; prudentia circa actiones internas: sed artes liberales sunt circa opera interna. Ergo non sunt proprie artes.

Tertio: nam 6. Ethic. Philosoph. artem condistinguit contra scientiam: sed artes plures liberales sunt proprie scientiæ; ergo improprie sunt artes. ¶ Deinde, ars est in intellectu practico; scientia in speculativo: ista est circa necessaria, artes circa contingentia: scientiæ procedunt

dunt demonstrando; artes materiã concernendo. Ergo artes liberales solum secundum quid sunt artes, & simpliciter sunt scientiæ.

7 Per oppositum alij vere habere rationem artis existimant. Ita Mag. Fr. Ioan. à S. Th. q. 1. artic. 2. inane, Lerma, & Ortiz in praesenti, item Vazquez 1. 2. disp. 85. cap. 1. num. 6. & alij plures. ¶ Probant primo ex Philosopho 6. Ethicorũ cap. 4. qui ad rationem artis solum legit, quod sit recta ratio operum agendorum, quæ contingenter, & libere fieri possunt. Quod constat conuenire artibus liberalibus.

Secundo: nam licet ex parte materiæ dirigibilis sit magna differentia; ino, & analogia, inter artes mechanicas, & liberales: tamen ex parte rationis dirigentis, & regularum & principiorum, videntur vniuoce conuenire: quia ratio artis solum consistit, in hoc, quod tradit certas regulas, & determinatas vias, ne in operibus error surrepat. Ergo vere, & proprie artes liberales sunt artes.

Addo fere expressè testimonium S. Thomæ, qui vt explicet, cur nõ inueniatur artes speculatiuæ, & practicæ, prudentia autem non sit nisi practica, ita inquit 2. 2. q. 47. artic. 2. ad 3. *arceantur q. ad inuis applicatio rationis recte ad aliquid factibile pertinet ad artem. Quia ergo ratio speculatiua, quædam facit, put. syllogismum propositionem, & alia huiusmodi, in quibus proceditur secundum certas, & determinatas vias: inde est, quod respectu hominum potest si uero ratio artis nõ autem ratio prudentia, & ideo inuenitur aliqua ars speculatiua, non autem alia a prudentia.* Ergo artes liberales speculati-

uæ vere, & proprie sunt artes: nõ, si loqueretur improprie, non negaret S. Th. reperiti prudentiã speculatiuã. Idẽ videtur supponere S. Tho. opusc. 70. q. 5. art. 1. ad 4. vbi explicat, quod *artium quædam sunt speculatiua, quædam practica.*

8 Hæc secunda sententia videtur vera; vt autem cõcordetur cū prima, & nõ sit dissensio de solo vsu verborũ; notãdũ, id quod in simili dixim lib. 1. Dialect. cap. 2. q. 2. ex L. Th. 1. p. q. 67. ar. 1. quod de aliqua voce, vel nomine, dupliciter cõuenit loqui. Vno modo secunda primã eius impositionẽ, quæ solet esse à notiorib⁹ secunda sensum: alio modo secundum vsũ vocis: & sic lux secundũ suã primã impositionẽ solã metaphorice est in spiritualib⁹: si autẽ accipiatur secunda quod est in vsu loquentium, proprie in spiritualibus est lux, & visio. ¶ Dico ergo quod loquẽdo de arte secundã eius primã, & notiorẽ significationẽ, solã est in mechanicis, practicis, & in habitibus factiuis operum exteriorũ: quia ista habet materiã, & circa illa est in rigore factio: vt vero loquẽdo de arte secundã quod est in vsu loquentium; essentialiter solã exprimit, quod sit aptitudo rationis recte ad aliquid factibile, siue sit opus internũ, siue externũ: & differt à scientiis quib⁹dã, quæ ad nulla opus ordinantur, vt Met. & similibus, & à prudentia, quæ ordinatur ad rectitudinẽ morali voluntatis. Et in hæc generalitate diuiditur in artes speculatiuas, & practicas, & in liberales, & mechanicas. Et per hæc patet responsio ad obiecta ¶ Vt ergo doctrinã hanc Logicæ applicemus: §. II.

## §. II.

*Logica est ars.*

9 **D**ico primo, Logica est vere, & proprie ars liberalis; non solum prout utens, sed vt docens. Prior pars sumitur ex D. Augustino lib. 2. de ordine cap. 13. & traditur à D. Thoma 1. Metaph. lect. 1. & 3. & 1. Posteriorum lect. 1. & opusc. 70. quæst. 5. artic. 1. ad 3. & 4. & 1. 2. quæst. 57. art. 3. ad 3. & probatur: nam ars est recta ratio operum agendorum: & ars liberalis est recta ratio operum interiorum; non quidem quoad rectitudinem moralem voluntatis (quia hæc est prudentia,) sed quoad directionem, & rectitudinem intellectus. Sed Logica tradit regulas, & vias determinatas, iuxta quas formantur syllogismi, & propositiones, & alia opera rationis. Ergo vere est ars liberalis. Patet consequentia, ex dictis: quia ars liberalis potest esse scientia; & non exigit factionem externam, sicut ars mechanica: & sic Phyl. 1. Rhetor. cap. 2. Rhetoricam vocat artem.

10 Secundam partem negant Mag. Sanchez lib. 1. q. 9. conclus. 1. P. Rubio q. 3. proximali, rationem artis solum agnoscentes in Logica utente.

Negant etiam alij, qui in Logica ponunt duos habitus, quorum alter fit scientia circa rationes vniuersales, alter fit ars circa singularia. Et videntur desumpti ex Philosofo, qui 6. Ethic. lect. 3. docet scien-

tiam esse de necessarijs, vel de contingentibus secundum rationes vniuersales: ars vero est de contingentibus. Et littera g. ait: *neque enim de his, quæ ex necessitate sunt, vel sunt, ars est.* Ergo cum Logica, vt sciëntia, tractet de vniuersalibus, & Logica, vt ars, tractet de singularibus; erunt duo habitus distincti.

11 Verum conclusio sumitur ex D. Thom. 1. Post. lect. 1. dicente, quod *hæc est ars Logica, id est, rationalis scientia.* Ergo pro eodem sumit Logicam scientiam, & artem. Et ita vt ars, & scientia est idem habitus, & ipsa Logica docens, quæ est scientia, est ars.

Et ratione probatur, in primis a paritate: nam in alijs artibus, liberalis doctrina, & vsus seu exercitium, pertinent ad eundem habitum, qui est scientia, & ars: vt patet in Arithmetica docente qualiter fit numerandum, & in exercitio numerantem. Ergo eademmet Logica docet qualiter syllogismi sint construendi, & eos in exercitio construit.

12 Præterea vt ex D. Thoma diximus num. 4. ad omnem artem pertinet considerare qualiter opus fit faciendum, & in exercitio facere: quia sunt actus se habentes ordine quodam, & sub eadem ratione: & pariter scientiæ, quæ sunt circa vniuersalia, etiam sunt circa singularia, vt in rationibus, & principijs vniuersalibus continetur, vt docet S. Thomas in 2. dist. 24. quæst. 2. artic. 4. ad 6. ergo ratio artis, & ratio scientiæ, ex eo quod versentur circa doctrinam, & circa eius vsum

non diuersificant habitus: nec diuersas eius partes: sed tantum tribuunt diuersas denominationes: quia scire est per causam cognoscere, ratio vero artis est in oratione ad aliquod opus; quod non conuenit omnibus scientiis, vt in et physica, & Physicæ; sed solum artibus numeratis. Vnde S. Thom. op. sc. 70. q. 5. ait; quod ideo hæc inter cæteras scientias artes dicuntur, quia non solum habet cognitionem, sed opus aliquod, quod est immediate ipsius rationis, vt construere syllogismum, & orationem formare, numerare, mensurare, melodias formare, cursus syderum computare: alie vero scientiæ; non habent opus, sed cognitionem tantum. sicut scientia diuina, & naturalis: vnde nomen artis habere non possunt: cum ars dicatur ratio factiua, vt dicitur in 6. Ethicorum. Ergo cognitio qualiter opus sit faciendum, & facere pertinet ad Logicam artem; licet hanc denominationem habeat in ordine ad operationem.

13 Ad authoritatem Philosophi dicitur, quod ibi loquitur de artibus mechanicis: nam illas condistinguit à scientiis speculatiuis: nam artes illæ, & scientiæ practicæ sunt circa contingentia, in quantum contingentia sunt, vt ait S. Thomas 6. Ethicorum lect. 2. littera, d. scientiæ autem speculatiuæ non sunt circa contingentia; nisi secundum rationes vniuersales, vt supra dictum est. Et ita artes mechanicæ directe considerant contingentia, artes vero liberales directe considerant vniuersalia; & contingentiam, & sim-

gularitatem solum secundario, & secundum rationes vniuersales: & sic intelligendus Philosophus 1. Rhetoricorum cap. 2.

## §. III.

*Logica docens est scientia.*

14 **D**ico secundo, Logica docens est scientia. Probatum primo authoritate: nam sic appellatur à D. Augustino, de principijs Dialecticæ cap. 1. & lib. 8. de Ciuitate cap. 4. S. Isidoro lib. 2. Ethim. cap. 22. S. Thom. 4. Metaph. lect. 4. & 1. Posteriorum lect. 1. & 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. & art. 6. ad 3. & passim D. D. & colligitur ex Philosopho 1. Priorum cap. 1.

Ratione item probatur: nam *scientia est habitus acquisitus per demonstrationem*: ac proinde, in illa doctrina, vbi sunt demonstrationes, ibi traditur vera scientia. Sed in Logica sunt plures demonstrationes. Ergo Logica docens est vere scientia. Probatum minor: nam in tractatu Prædicabilium, ex eo quod aliquid fit in pluribus, demonstratur, quod predicetur de illis. Et in libris Posteriorum ostenditur, quod omnis syllogismus constans ex *veris, primis, &c.* generat scientiam. Sed demonstratio est huiusmodi. Ergo generat scientiam. Datur ergo in Logica plures demonstrationes.

15 **L**ices: istum secundum syllogismum non esse demonstratiuum: quia constat definitione essentiali, quæ demonstrari nequit de definito: cum constituat propositionem immediatam. Et rursus, cum vna de

definitio probatur per aliam, non est demonstratio, ut sumitur ex D. Thoma 2. Post. lect. 7.

Respondent aliqui istas esse demonstrationes quoad nos; licet non secundum se, ut docet Caiet. 2. Poster. cap. 8. & hoc sufficit ut Logica sit scientia.

Verum haec solutio non videtur saluare, quod Logica sit scientia simpliciter; sed solum secundum quid: quia demonstratio rigurose scientifica, non solum debet esse ex notioribus nobis; sed ex prioribus, & notioribus simpliciter, ut docet S. Thom. 1. Post. lect. 4. in fine.

Aliter dicitur, quod licet in Metaphysica demonstratio, quae facit scientiam debeat esse per causam intrinsecam, ut sumitur ex D. Thoma 1. dist. 45. art. 3. ad 5. tamen in naturalibus, moralibus, & artificialibus, praecipuae demonstrationes ex fine sumuntur: ut dicit S. Th. 5. Metaph. lect. 1. in fine, & 2. Physicorum lect. 4. & 15. & ad nostrum intentum 1. Post. lect. 4. unde praedictae demonstrationes rigurose faciunt scire. ¶ Praeter illas sunt aliae multae, quae sufficiunt ad probandum Logicam esse scientiam.

16 Iterum dices: rationem istam probare, quod Logica quoad partem demonstratiuam est scientia: cum quo stat, quod in parte probabili, vel sophistica non sit scientia.

Sed contra: quia non minus est scibile, quod syllogismus sophisticus generat appaerentiam, & copiosam opinionem; quam quod demonstratiuus generat scientiam. Ergo sicut illius notitia est scientia, ita &

illius. Vnde S. Thomas 4. Metaph. lect. 4. ait: & similiter dicendum est de sophistica, quae prout est docens tradit per necessarias, & demonstratiuas rationes modum arguendi apparenter. Ergo Logica docens, quoad omnes suas partes est scientia.

17 Demum probatur: nam veritates istae sunt scibiles, non minus quam veritates aliarum scientiarum. Ergo si aliae sunt scientiae, non est cur Logica hoc titulo priuetur.

### §. III.

#### Soluantur argumenta

**O**bjicies primo: nam Philosophus 2. Metaph. text. 15. ait, absurdum est simul querere scientiam, & modum sciendi: Sed Logica est modus sciendi, ut ibi dicit Averrois, & expositores. Ergo non est scientia.

18 Respondent aliqui Philosophum ibi non loqui de Logica; sed solum docere non omnia eodem modo tradenda esse; sed omnia iuxta propriam naturam; & quod iste modus debet tradi ante ipsam scientiam.

Sed contra: nam licet explicite non tractet de Logica: tamen verba eius sunt generalia; ex quibus S. Thomas intulit minorem propositionem positam in argumento: inquit enim lect. 5. littera. d. Absurdum est quod homo simul querat scientiam, & modum, qui conuenit scientiae: & propter hoc debet prius addiscere Logicam, quam alias scientias, quia Logica tradit communem modum procedendi in omnibus alijs

alijs scientijs: modus autem proprius singularium scientiarum, in scientijs singulis circa principium trad. debet, hæc ibi.

19 Aliter ergo dicitur, quod si cut in quolibet scientia modus procedendi in illa, debet præmitti, an, tequam ipsa tradatur; ita Logica non simul, sed ante alias scientias debet addisci: ex quo potius habetur, quod sit scientia in sua propria ratione, habens simul pro obiecto modum quo talia sciuntur: & ita est scientia ipsius modi sciendi generatim sumpti. Et ita non aliquid querere simul cum alijs scientijs. ¶ Verum est, quod non tam queritur propter se, quam propter alias; & ideo dicit S. Thomas opusc. 70. q. 5. artic. 1. ad 2. *quod non ponitur s. b. Philosophia, quasi principalis pars sed ut quoddam reductum ad eam.* Et sic exponit S. Boetium in commentat. super Porphyrium dicentem, quod non tam est scientia, quam scientia instrumentum.

20 Secundo: scientia; & opinio sunt habitus specie distincti, ut probatur 2. Posteriorum: sed in Logica, sicut in omnibus alijs doctrinis sunt multe opiniones, ut patebit in sequentibus: ergo tota Logica non est scientia. Ergo, cum dentur plures Logicæ specie distinctæ, Logica non erit scientia.

Solet responderi, quod actus primarij Logicæ sunt scientifici: non est autem inconueniens, quod habeat actus secundarios, & imperfectos, qui non pertingant ad rationem scientiæ: quia sunt per media probabilia, & contingentia, ut late declarant P. P. Carmel, q. 5. n. 50.

& ideo non videtur necessarium in scientijs habitus multiplicare propter opiniones, quæ in illis sunt: cum scientia acquisita, nõ sit specialis difficultas in actibus illis secundarijs opinionum, ut ait M. Lerma q. 5. ad 2. & q. 6. ad 1.

Sed contra: plus differunt actus scientificus, & opinatus; quam duo actus diuersarum scientiarum: sed isti non possunt esse ab eodẽ habitu: ergo nec illi. Probat maior: nam actus diuersarum scientiarum solum differunt propter diuersa media, & diuersas abstractiones; actus vero opinionis, ultra diuersitatem medij, avertit imperfectionem repugnantem scientiæ: nam opinio, ut ait S. Th. 1. p. q. 79. art. 9. ad 4. significat actus in intellectu, qui fertur in vnã partẽ contradictionis cum formidine alterius: scientia vero iudicat aliter esse non posse.

21 Respondetur, quod dupliciter aliqua cognitio dicitur imperfecta: vno modo *negatiue*: alio modo *privatiue*. Dicitur imperfecta *negatiue*; quia ad alterius perfectionem nõ pertingit; licet in se falsa nõ sit, nec esse possit. Et sic cognitio probabilis parat viam ad cognitionem necessariam, ut docet S. Th. opusc. 70. q. 6. art. 1. & 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. & ibi addit, quod scientia iam acquisita, per signa probabilia, firmatur magis intellectus habentis scientiam. Et nõ est inconueniens quod illi sint actus secundarij habitus scientiæ: quia ab eodẽ sunt actus perfecti, & imperfecti *negatiue*. Cognitio dicitur imperfecta *privatiue* quia dicitur defectum veritatis, vel euidentiæ, vel

certitudinis. Et hæc est in rigore opinio (prior vero vocatur *probabilis cognitio*) cū formidine: & ita vt possit esse falsa. Et iste actus est ab habitu realiter distincto, vt docet M. Soto q. 3. ad 6. nec propter hoc sunt plures Logica: quia denominatio fit à principaliori, vt ipse dixerat q. 2. ad 2.

22 Tertio arguitur: nam, vt dictum est q. 1. §. 5. Logica docens, & vtens, sunt idem habitus: sed Logica vtens non est scientia: vt docet S. Thomas 4. Metaph. lect. 4. ergo nec Logica docens. Patet consequentia, ex modo dictis; quia isti non videntur se habere vt actus secundarij: sed vt actus includentes priuationem adinuicem, propter oppositas rationes formales scientiarum, & non scientiarum.

Responderetur, quod cum habitus Logicae sit vnus, & simplex, totus est, entitatie, & intrinsece, scientia. Et in isto sensu Logica, quæ est vtens, est scientia. Dicitur tamē *recedere à ratione scientia ab extrinseco*: vel quia propositio Logicae coniungitur cum alia propositione: & sic non possunt ambæ facere demonstrationem: quia ista debet procedere ex proprijs, vt dicitur libro tertio: ille autem syllogismus procederet ex extraneis. Et hac ratione probat S. Thomas 1. Poster. lect. 20. quod *Logica vtens recedit à ratione scientia*. Vel ideo hanc deficientiam habet: quia format syllogismos probabiles, propter materiae incapacitatem, vel imperfectum modum procedendi: vt docet S. Thomas dicta lectione 4. & o-

pusc. 70, vbi supra. Et ideo ab extrinseco prouenit, quod isti actus secundarij deficient a ratione scientiarum: cum tamē principia vniuersalia, & ratio formalis specificatiua constituent habitum in ratione scientiarum: à qua solum recedit, seu impeditur, extrinsece, propter applicationem ad opus, vel extraneum, vel imperfectum.

23 Præterea arguitur vt dictum est q. 2. obiectum Logicae est ens rationis. Sed ens rationis non est ens simpliciter, sed solum secundum quid, nempe, ens in ratione. Ergo Logica non est simpliciter scientia sed secundum quid.

Dices, cum Mag. Ioanne à S. Thoma q. 1. art. 3. ad 1. quod ens rationis non est simpliciter ens, neque scibile, quasi subiective, & intrinsece: bene tamen obiective, & extrinsece, sicut creaturae dicuntur possibili.

24 Sed contra: nam in ente rationis esse obiectiuum, & esse entitatum, sunt omnino idem: quia esse illius est obijci intellectui, vt dicitur infra quæst. 7. Ergo si entitatie, & intrinsece est ens, & scibile secundum quid, etiam extrinsece, obiective, erit ens, & scibile secundum quid. Deinde, ratio obiecti fundatur in ratione entis: ergo in ente secundum quid, ratio scibilis secundum quid fundabitur.

Respondet Mag. Soto q. 2. ad 1. Negando consequentiam: nam ad hoc quod aliqua sit simpliciter scientia, non requiritur, quod obiectum eius sit ens simpliciter: sed satis est, quod sit de re necessaria, &

de re, quæ aliter esse non potest sub ratione vniuersali.

25 Ne hæc solutio videtur satisfacere. Primò, quia dicit Philosophus 2. Metaphysic. textu 4. *Quare vnumquodque sicut se habet ut sit, ita, & ad veritatem: vbi S. Thomas lect. 2. littera a, in fine ait: Sequitur quod vnumquodque, sicut se habet ad hoc, quod sit, ita etiam se habet, ad hoc quod habeat veritatem.* Ergo concesso, quod ens rationis est ens secundum quid; non potest habere veritatem simpliciter. Ergo erit scibile secundum quid. Deinde: nã scibile fundatur in cognoscibilitate; ista in entitate. Ergo in entitate secundum quid, fundatur scibilitas secundum quid.

Occurres cum Authoribus, quos citat, & sequitur M. Ortiz confer. 3. ad 3. quod ea quæ in vno genere maxime differunt, si transferantur ad aliud genus, possunt vniuocè conuenire: vnde licet ens rationis in esse entis, sit ens secundum quid; in esse scibilis potest esse tale simpliciter.

26 Ad hæc non videtur argumentum solui hac euasione: quia vrgent authoritates relectæ. Et S. Thomas 1. p. q. 16. artic. 3. ait: *vnumquodque in quantum habet de esse, in tantum est cognoscibile.* Et de scibili idem dicit 1. Poster. lect. 4. littera b. & etiam quia scibilitas sumitur ab immaterialitate; & ista graduatur iuxta actualitatem, & entitatem. Iuxta S. Thomam, & communem Theologorum 1. p. q. 14. artic. 1. Demum, aperitur via ut de ente per accidens possit esse scien-

tiæ: cuius contrarium docet Philosoph. 7. Metaph. & nos dicemus 3. p. Metaph. Controu. 2. Ergo, cum ens rationis sit ens secundum quid, non est scibile simpliciter.

27 Ut dicti argumenti difficultas penitus euacuetur, notandum ex Philosopho 5. Metaph. & ex D. Thoma ibi lect. 9. & 1. cap. de ente, & essentia. Et 1. p. q. 48. art. 2. ad 2. quod ens dupliciter dicitur: vno modo secundum quod significat *entitatem rei prout diuiditur* per decem predicamenta: alio modo dicitur ens, quod significat *veritatem propositionis*, quæ in cõpositione cõsistit. Et ens hoc modo, appellatur *complexum*, quia fundat connexionem, & dat veritatem propositionibus: et verò ens primo dicitur a recentioribus, *incomplexum*, quia solum dicitur id quod est. Licet igitur ens rationis non sit simpliciter ens primo modo: imò ut ait S. Thom. 2. ad Anib. dist. 35. artic. 1. *non habet aliquam essentiam*: tamen est simpliciter ens secundo modo: quia de illo formari possunt propositiones æternæ veritatis.

28 Et hanc solutionem omnes tenentur admittere: quia Theologi, & Philosophi multa demonstrat de malis, & priuationibus quæ simpliciter sunt non entia. Et Mathematicæ sunt scientiæ certissimæ: & agunt de quantitate, quæ est entis ens. Et ipsi conceptus, & directio etiam sunt accidentia, vel denominationes extrinsecæ. Ergo isto argumento conuinci non potest, quod ens rationis non sit obiectum Logicæ; aut quod ipsa non sit simpliciter

scientia. Et in re idem alijs verbis dicunt auctores aliarum solutionum: sed nos modum loquendi, & verba S. Thomæ usurpamus. ¶ Et sic facilius respondemus distinguendo minorem. Non est simpliciter ens primo modo, seu *incomplexo*. Cōcedo. Non est simpliciter ens secundo modo, seu vt dicit *fundamentum veritatis complexæ* Nego. Et hoc sufficit vt de illo sit scientia simpliciter, quia vt sic sunt de illo veritates simpliciter demonstrabiles.

#### QVÆSTIO IV.

*Vtrum Logica sit vna scientia?*

§. I.

*Certa præmittuntur.*

**N**otandum, quod Logica, sicut, & quælibet alia scientia, potest esse vna; vel vnitatem numericam (quam materialem vnitatem vocant;) vel vnitatem formalem specificam; aut vnitatem solum genericam: sicut ego sum vnus homo numero; omnes autem homines sunt vnus formaliter specificæ; omnia verò animalia sunt vnum in genere, & inter se specie distinguuntur.

Certum est igitur Logicam non esse vnã numero, sed multiplicari in diuersis intellectibus eam habentibus. Item, cum dictum sit eam esse scientiam, certum est ad minus esse vnã in genere proxi-

mo: quia continetur in genere superioris qualitatis, & habitus, & scientiæ, & à reliquis specie differt propter distinctum obiectum, & modum procedendi. Vnde relinquatur inuestigandum, an diuidi possit in plures Logicas specie infima differentes; an verò sit vna scientia secundum speciem infimam?

2. Præterea aduertendum, ex Philosopho, & S. Thomæ 5. Metaphys. lect. 7. quod esse aliquid vnum multis modis contingit: vnde potest aliqua res esse vna simpliciter in vno genere, & plures in alio: sicut vna domus, vel vnum conuiuium, & vnus exercitus, sunt plura in genere substantiæ, & vnum simpliciter in genere numeri, aut in genere artificiali. Et ita, vt docet S. Thomas 2. parte quæst. 73. artic. 2. aliqua sunt vnum tripliciter: vel *vnitate indissolubilitatis*; vel *vnitate continuitatis*; vel *vnitate ordinis*, & *perfectiōis*: exemplum primi, in anima rationali, vel Angelo, qui diuidi non possunt, vt potè carentes partibus: exemplum secundi, vt partes, & membra corporis animalis: exemplum tertium iam proposuimus in domo, vel exercitu: & similiter Eucharistia dicitur vnum sacramentum formaliter; quamuis integretur ex pane, & vino, & ex rebus, & verbis. Est ergo difficultas an Logica dicatur vna, quia est habitus simplex? An verò quia consistet partibus realiter vnitatis, & aduansis? vel solum appelletur vna scientia, quia eius partes habent vnitatem ordi-

ordinis sicut patres exercitus adu-  
nantur?

3 Dico primò, absolute est af-  
firmandum Logicam esse vnã  
scientiam. Hanc conclusionem ad-  
mittendam, etiam ab his, qui ne-  
gant habitum Logicæ esse simpli-  
cem, notat M. Soto quæstione 3.  
articulo 1. quia potest aliqua res  
esse vna simpliciter in vno gene-  
re, & plures in alio, vt dictum  
est: ergo quamuis Logica esset plu-  
res entitates, esse posset vna in  
esse scientiæ, vel propter vnã ra-  
tionem formalem in esse scibilis,  
vel propter ordinem, & coordina-  
tionem partium, vel tractatum il-  
lius scientiæ.

Ratione probatur: nam vt di-  
cit Philosophus 2. de anima textu  
33. & 1. Posterior. capit. 22. & 23.  
*Vna scientia est, quæ est vnus generis  
subiecti*: quia scientia est notitia  
obiecti, & tota est propter ob-  
iectum, & ordo transcendentalis  
ad obiectum dat speciem scien-  
tiæ. Sed omnia, quæ tractantur  
in Logica, attinguntur sub vna  
ratione sui obiecti, nempe sub  
ratione entis rationis, & secun-  
de intentionis adiunctæ primis in  
ordine ad faciendum scire. Ergo  
Logica dicenda est vna scientia.

4 Obijcies: Logica tractat de  
rebus, non solum specie, sed ge-  
nere diuersis, vt de prædicabili-  
bus, de prædicamentis, & de syl-  
logismis: in eadem etiam sunt plu-  
res partes, & tractatus, vt in eius  
discursu patebit: ergo non est  
dicenda vna, sed plures.

Responderetur, quod in Logica  
sunt plura obiecta partialia, spe-  
cie distincta, materialiter, & in  
esse entis; non tamen est, nisi v-  
num obiectum totale formaliter;  
& in esse scibilis: & hoc sufficit  
vt sit, & dicatur vna scientia: quia  
vt dicit Sanctus Thomas 1. Pos-  
terior. lectione 41. materialis di-  
uersitas obiecti non diuersificat  
habitum; sed tantum formalis.  
Cum ergo scibile sit proprium ob-  
iectum scientiæ: non diuersifica-  
buntur scientiæ secundum diuersi-  
tatem materialem scibilium; sed  
secundum diuersitatem eorum for-  
malem. Quia omnia considerat  
sub eodem lumine, & eisdem prin-  
cipijs, & sub eodem modo defi-  
niendi, & sub eadem ratione ob-  
iectiua scibilis.

## §. II.

*Vnit as specifica Logica.*

5 Dico secundò, Logica est vna  
scientia secundum speciem  
infimam. Est communis, & pro-  
bat: nam vnit as, & distinctio  
specifica scientiarum potissime fu-  
nitur ex vnit ate, vel diuersitate  
obiectorum; non in esse rei, sed in  
esse scibilis: vt docet Sanctus Tho-  
mas opusculo 70. quæstione 5. ar-  
ticulo 1. quia vt docet Philoso-  
phus 6. Metaphys. textu 2. res  
constituntur, & in genere rei, &  
in genere scibilis; & id quod est  
per se in genere rei; est quasi præ-  
suppositiue, & materialiter ad ge-  
nus

nus scibile : quia attendit connexionem prædicatorum, & modum definiendi, & abstrahendi, & comunicandi principia, & medijs illis illuminandi obiectum. Sed in Logica est vnum obiectum formale in esse scibilis. Ergo Logica est vna scientia secundum speciem infimam. Probatur minor : omnia instrumenta logica, quæ ex parte materiæ remotæ, vel ex parte materiæ proximæ, in esse entis sunt valde diuersa, in esse artificij logici sunt formaliter eiusdem rationis : sicut in artificialibus vasis apparet, quod ea quæ sunt eiusdem figuræ ; licet in materia diuersa, sunt formaliter in linea artis eiusdem rationis. Ergo obiectum formale Logicæ est formaliter vnum in esse scibilis.

6 Obijcies : artes Mechanicæ differunt ex diuersitate materiæ ; vt patet ex dictis questione 3. nam ex hac parte differunt Lanificium, & Armatura, & reliquæ artes. Ergo pariter artes liberales erunt diuersæ, quæ sunt circa diuersam materiam. Constat autem ex dictis, quod in Logica tractatur de conceptibus, de vocibus, & de rebus : quæ sunt tres materiæ essentialiter diuersæ. Ergo erunt tres species Logicæ.

Respondetur, quod cum artes Mechanicæ sint practicæ ; & istæ differant à speculatiuis ex parte finis ; diuersa materia est talis formaliter, cum ordinatur ad diuersum finem. Cuius rationem as-

signat S. Thomas opusc. 70. questione 5. articulo 1. *quia oportet materiam finis esse proportionatam.* Cum igitur finis Logicæ sit vnus, nempe, esse instrumentum, & adiuuamentum aliarum scientiarum ad veritatis cognitionem ; etiam si materiæ sint diuersæ materialiter, sunt formaliter vna : quia vni fini deseruentia : vnde conceptus, & voces sunt propter cognitionem rerum : & primæ intentiones non pertinent ad Logicam, nisi vt subiunguntur secundis intentionibus. Ac per consequens, Logica est vna ex vna materia, & fine.

7 Solet etiã probari conclusio : quia secundum Philosophum 6. Metaphysic. textu 2. vnitas obiectorum in esse scibilis sumitur ex abstractione à materia : & quia est triplex materia, à qua potest esse abstractio, nempe, materia singularis, sensibilis, & intelligibilis ; deo triplex est gradus abstractionis : nempe abstractio à materia singulari, quæ est propria physicæ, abstractio à materia sensibili, quæ est propria Mathematicæ, & abstractio ab omni materia, quæ est propria Metaphysicæ. Sed omnes tractatus Logicæ gaudent eadem abstractione à materia. Ergo tota Logica est vnius speciei infimæ.

8 Ista ratio non potest esse vnicum fundamentum nostræ conclusionis : quia licet assumat doctrinam verissimam, ex parte Philosophi, & Sancti Thomæ, hęc probatur 1. parte Metaphysic.

Con-

Contro. 2. artic. 2. §. 4. tamen, ut notat S. Thomas opusc. 70. q. 5. artic. 1. ad 2. in illa diuisione non comprehenduntur scientiæ practice; nec quæ habent modum scientiarum practicarum; & ideo nec comprehenduntur Logica: quia res de quibus tractat, non queruntur ad cognoscendum propter se ipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias. Et ideo vel Logicæ abstractio reducitur ad abstractionem Metaphysicæ; quamuis sub distinctione ratione, & modo. Vel eius unitas magis est explicanda ex materia, & sine vno, quam ex abstractione à materia. Et ideo magis vim facimus in rationibus assignatis, quam in ista.

## §. III.

*Probatnr, quod est qualitas simplex.*

9 **D**ico tertiò, habitus Logicæ est vnus simplex qualitas, nõ constructus ex pluribus habitibus partialibus. Loquendo generaliter de habitibus scientiarum, est conclusio expressa S. Thomæ 1. 2. quest. 54. artic. 4. vbi ait, quod *habitus est qualitas simplex, non constructus ex diuersis habitibus; licet ad plures se extendat.* Constat enim, quod si componeretur ex pluribus habitibus partialibus, non esset qualitas simplex, ut asserit S. Thomas.

Probatnr primò, ratione S. Thomæ illis verbis, *quia vnus habitus non se extendit ad multa, nisi in ordine ad vnum, ex quo habet unita-*

*tem.* Habitus scientiæ tendens formaliter ad vnum scibile est simplex qualitas. Sed totus habitus Logicæ tendit formaliter ad vnum scibile. Ergo est simplex qualitas. Maior patet; primò, quia ille habitus non habet principium diuisibilitatis: quia est in subiecto indiuisibili, nempe, in intellectu, & circa obiectum formaliter indiuisibile: & sic est indiuisibile subiectiue, & obiectiue. Secundò, nam hæc ratio habitus genitus per vnã demonstrationem est vnus, & indiuisibilis; quia est circa vnum obiectum formaliter; quamuis constet demonstratione pluribus terminis, quæ est pluralitas, ad intentionem materialiter se habens. Probatnr prima minor; quia licet obiecta materialia sint multa; obiectum formale est vnum: obiectum autem formale, seu obiectum in esse scibile, dicit obiecto specificacionem, & unitatem, ergo est vnus scibile; & ita scientia est vna simplex qualitas.

10 Proterea; frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora: nã natura, sicut non desinit in necessarijs; ita abhorret superfluum. Sed vnus habitus simplex sufficit, ut inclinet ad notitiam omnium conclusionum Logicæ. Ergo frustra plures ponuntur. Probatur minor: vna lux potest plures colores specie differentes illuminare; & vna ratio sub qua plures rationes materiales; sicut vna forma adunat plura corporis membra: ergo vna inclinatio potentiam illuminans in ordine ad vnã

formale obiectum, sufficit ad inclinandum in noticiam omnium; positis obiectorum speciebus, & diuersis medijs materialiter differentibus in ordine ad vnã rationem formalem.

Dices, istis argumentis probari Logicam non diuidi in plures habitus adæquatos specie totali distinctos: cum quo compatitur diuidi in plures partiali specie distinctos: imò id videtur ex dictis deduci: quia distinctio partialium habituum est distinctio materialis: quia est sub vna ratione formali totius speciei: constat autem Logicam, & eius obiectum admittere materialem diuersitatem.

Sed contra: nam distinctio materialis diuisibilitatis, non habet locum in habitu ex parte subiecti: cū resideant habitus in intellectu indiuisibili, in quo simul non possunt esse plura accidentia solo numero distincta. Nec habet locum ex parte obiecti; quia respectu habitus, materialis diuersitas est ac si non esset: nam diuersitas, quæ per se attingitur à speciebus repræsentantibus, vel à particularibus cognitionibus, se habet præsuppositiue ad illud, à quo habitus habet unitatem, nempe ad rationem vnã sub qua, quæ est indiuisibilis: alioquin ad repetitionem actuum solo numero differentium distinguere oporteret etiam habitus: quod est absurdum. Ergo etiam habitus est qualitas simplex, & indiuisibilis.

11 Tertiò principaliter suadetur conclusio: quia Logica absolute dicitur, & est vna scientia: sed non est vna sola unitate ordinis; nec unitate physice continuationis, vel contiguationis. Ergo est vna unitate simplicitatis. Consequentia patet: quia ad istos tres modos unitatis facile reuocari possunt modi omnes, quibus imaginari potest esse vnã scientiam. Maior probata est conclusione prima. Et constat ex communi vsu, Logicam dicentium vnã scientiam, sicut aliæ scientiæ, & virtutes dicuntur vnæ. Minor verò, quoad primam partem probatur; in primis, quia alioquin non daretur nisi vna scientia; quia omnia, quæ scimus, possunt hanc ordinis unitatem habere: tum ex parte obiecti, quia omnia conducunt ad noticiam entis, & etiam ex parte subiecti, quia adunantur in eodem intellectu: consequens autem non videtur posse admitti: alioquin pari ratione omnes virtutes essent vna virtus, & omnes artes essent vna ars: nec video ad quid vitra species obiectorum poni sit opus habitus scientiæ, si solum adunantur unitate ordinis: quia ordinis unitas solis speciebus haberi potest. Deinde, cum vnus obiecti materialis datur plures scientiæ; & vna tractet de rebus specie differentibus; non facie poterit assignari aliquid fixum vnde scientia dicantur habere unitatem, vel diuersitatem.

Secunda pars minoris probatur: quia nulla est assignabilis causa illius physice vnionis: quia re-

Adere in eodem intellectu non sufficit ad hanc unionem: alioquin omnes qualitates physicae, in illo inherentes, inter se adunarentur: ordo obiectorum solum, non dat unitatem physicam actui: quia si excluditur, quod ab aliquo indivisibili specificetur; ad hoc sufficit unitas ordinis in principio. Imò absque ordine in principio possunt obiecta illa attingi, si obiective non adunantur sub vna luce. Cum ergo in vna scientia sit vna ratio sub qua, ex illa habitus erit qualitas simplex.

12 Duo argumenta opponunt recentiores, iam diu à Thomistis soluta. Primum est. Habitus scientificus, nihil aliud est, quam facilitas quædam relicta in intellectu ex actibus scientificis, ad facilius eliciendos in posterum alios actus eiusdem rationis: sed facilitas relicta ex actibus circa definitionem, verbi gratia, non reddit intellectum facilem ad eliciendos actus attingentes syllogismum. Ergo habitus non est idem: ac proinde, Logica non est vnus simplex habitus. Probatur minor: quia potest quis habere facilitatem in cognoscenda, vel construenda definitione, & difficultatem in cognoscendo, vel construendo syllogismum: imò, cum scientia circa definitionem, potest esse error circa syllogismum: vt experientia patet: nam addiscentes vnâ partem Logicæ, alias ignorant; vel circa illas errant. Ergo habitus, qui-

bus facilitantur, sunt diuersi.

Respondetur, negando minorem. Vel distinguendo eam; & admittendo de facilitate accidentali, & quasi materialis, quæ deficit; defectu specierum, & exercitii, & applicationis ad nouam materiam. Negando verò de facilitate substantiali, & formali: quia ista habetur quam primum generatur habitus, & postea per studium extenditur, & applicatur nouæ materiæ, ratione nouarum specierum, vel nouarum demonstrationum, quibus habitus perficitur, & extenditur ad nouas conclusiones. Vnde in principio erat facilitas, quasi in potentia impedita; exercitio autem fit expedita: quia scientia extenditur, & fit maior extentiue per nouas demonstrationes. Vnde S. Thomas 1. 2. quaestione 65. articulo 1. ad 1. ait, *quod Geometer modico studio acquirit scientiam conclusionis, quam nunquam considerauit.*

13 Instabis: nam qualitas, quæ est capax extensionis, & augmenti, non est qualitas simplex; sed extensa, & quanta: quia augmentum est, *persistenti quantitati additamentum.* Sed admissum est habitum scientiæ augeri, & extendi, & fieri maiorem. Ergo habitus scientiæ non est qualitas simplex.

Respondetur, quod qualitas, quæ extenditur entitatiue, non est simplex, sed composita: cæterum scientia solum extenditur modaliter per applicationem inclinationis, & lu-

cis præexistentis ad nouam materiam, vel per explicationem in nouos actus : & sic entitatie simplex, extenditur ad plures actus materialiter differentes : sicut anima rationalis simplex, & indiuisibilis, potest nouas partes materiæ quotidie informare : quia extenditur homo, & si forma in se sit simplex.

14. Vt iterius arguunt, à paritate habituum voluntatis : quia intra eandem virtutem temperantiæ potest quis habere facilitatem in temperantia circa potum, & magnam habere difficultatem in temperantia circa cibum : imò, & esse temperatus circa potum, & maxime intemperatus circa cibum ; & è contra. Ergo per diuersum habitum redditur quis temperatus circa potum, ac circa cibum. Ergo idè dicendum est de habitibus scientificis.

Potest hoc argumentum pro nostra conclusione retorqueri : nam M. Soto quaestione 3. proximali artic. 2. in fine primæ conclusionis, dicit esse ridiculum tot multiplicari virtutes morales, quot sunt materiæ, & difficultates materiales vincende : vt si quis poneret vnã iustitiam ad emendum frumentum, & aliam ad vendendum oleum : & aliam esse temperantiam ad comedendum lentikulam, & aliam ad bibendam aquam. Imò Pater Suarez disputatione 43. Metaphys. sect. 11. à n. 23. vsque ad 45. admittit habitus infusos, & habitus acquisitos

voluntatis esse simplices : quamuis id neget de habitibus intellectus euidentibus. Ergo argumentum assumit aliquid, plus falsum, quam id quod vult deducere. ¶ Igitur illa difficultas, quam aliqui experiuntur circa vnã materiam, quã non habent circa aliam, est materialis, & propter diuersas complexiones corporales : cum quo competitur habitus voluntatis esse simplices, sicut & habitus intellectus ; loquendo de virtutum habitibus. De quibus latius diximus 1. parte Metaphys. Controu. 2. articulo 4.

## QVÆSTIO V.

*Vtrum Logica sit practica, vel speculatiua?*

§. I.

*Notantur aliqua de de practi.*

1. **P**raxi est vox Græca, quæ Latine dicitur facti, seu operatio condistincta contra speculationem. Vnde Philosophus 2. Metaphys. & S. Thomas ibi initio lect. 2. dicunt, quod theoretica, id est, speculatiua differt à practica secundum finem : nam finis speculatiua est veritas : sed finis practica est opus : quia & si practici, hoc est, operatiui intendunt cognoscere veritatem ; non tamen querunt eam tanquam vltimum finem : non enim considerant causam veritatis secundum se, & propter

terse, sed ordinando ad finem operationis. Idem dicitur tertio de Anima lect. 15. littera b. vnde cognitio illa dicitur speculatiua, in qua cognoscere est solum propter scire veritatem; practica vero que vltius ordinatur ad opus vltra speculationem.

2 Hæc ab omnibus admittuntur. Variat tamē, & dissident DD. in exponendo quid sit hoc opus; a quo cognitio dicitur practica? S. Thomas. 1. 2. q. 55. art. 1. ad 1. ait, quod duplex est opus, scilicet, exterius, & interius. Practicum ergo, vel operatiuum, quod diuiditur contra speculatiuum, sumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus speculatiui. Sed tamen habet ordinem ad interius opus intellectus, quod est speculari verum; & secundum hoc est habitus operatiuus.

Opus autem, vel dicitur exterius, quia per corpus exercitum; vel quia est extra intellectum cadens sub electione, & consilio, & directione prudentiæ. Ad rationē praxis sufficit esse exterius vno, vel altero modo: nam scientia practica, quæ ordinatur ad opus exterius corporale, dicitur factiua: quia factio proprie significat actionem transeuntem: quæ vero ordinantur ad operationes immanentes cadentes sub electione, & consilio, & alijs regulis moralibus, dicuntur scientiæ actiue practice: & in isto sensu ait Philosophus 6. Metaph. lect. 1. litt. b. quod *omnis scientia, aut est actiua, aut factiua, aut theoretica.*

3 Vt autem ista intelligantur, vltius aduertendum: aliud esse

cognitionem aliquam esse practicam; aliud vero esse praxim. Vt cognitio sit practica, non opus est esse ipsam praxim; sed sufficit ad praxim ordinari: vt vero sit praxis, requiritur vt sit ipsum opus distinctum a speculatione, à quo opere cognitio, habitus, & potentia dicuntur practici: sicut in physicis videmus aliud esse albedinem, aliud album: hoc enim dicitur tale denominatione à forma, quam suscipit; ipsa vero essentialiter est accidens, & qualitas talis.

Dicimus ergo, negari non posse, quod intellectus, eius aliqui habitus, & actus dicuntur, & sunt practici: nam actus prudentiæ sunt practici; & sunt actus intellectus: & pariter actus imperii. Deinde, cum dicuntur scientiæ practice, vt docet Philosophus 6. Metaph. vbi supra & alijs locis relatis 1. p. Metaph. Controu. 3. art. 2. & omnes actus scientiæ sint actus intellectus; manifestum relinquitur aliquos actus intellectus esse practicos.

4 Non tamen actus intellectus sunt ipsa praxis: quod probatur primo, quia omnis praxis, vel dicitur talis, quia actiua; vel quia factiua: & ideo scientia practica diuiditur in actiuam, & factiuam: scientia actiua dicitur moralis; & est libera, saltem quoad exercitium, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 47. art. 2. ad 2. & dicit ordinem ad regulas prudentiæ, & consilij, & electionis: & sic iam extenditur, & dicit ordinem ad aliquid extra intellectum: nam libertas, & electio ad voluntatem attinent. Scientiæ vero factiue sunt.

sunt artes mechanicæ, & serviles circa opera externa corporalia. Omnis ergo praxis est operatio extrinseca intellectui.

Secundo idem probatur: nam praxis condistinguitur contra speculationem, ut omnes admittunt; omnis autem operatio intellectus, prout sistit intra intellectum, est speculatio. Ergo praxis est operatio extra intellectum per ordinem ad quam, intellectus, eius habitus, & actus practici denominantur.

¶ His ut cumque de praxi præmissis, videndum vtrum habitus, & actus Logicæ sint solum speculatiui, vel solum practici? vel simul speculatiui, & practici? Vel quidam, practici, & quidam speculatiui?

§. II.

*Probatur Logicam esse speculatiuam.*

5 **D**ico primo, Logicæ habitus est simpliciter speculatiuus; solum autem secundum quid, vel quoad modum, potest minus proprie dici practicus. Probatur imprimis autoritate: quia in quæstionibus istis, quæ pendent ex usu vocum, & earum rigorosa acceptione, plurimum valet sapientium usus. Igitur Sanct. Augustinus libro 8. de Ciuitate Dei capitulo 4. laudans Platonem distribuentem Philosophiam, communiter acceptam, ut est veritatis cognitio, in tres partes. Vnam moralem, quæ maxime in actione versatur: alteram naturalem, quæ contemplationi

deputata est; tertiam rationalem; quæ verum determinatur à falso. De ista, quæ est Logica, subiungit: *quæ licet vtrique, id est, actioni, & contemplationi sit necessaria, maxime tamen contemplatio perfectionem sibi vendicat veritatis.* Similiter S. Thomas sæpe Logicam ponit inter habitus speculatiuos, ut videri potest 1. 2. quæst. 57. art. 3. ad 2. & 2. 2. quæst. 51. artic. 2. ad 3. & quæst. 47. artic. 2. ad 2. suffragantur Scotus quæst. 4. Prologi, & 6. Metaphys. quæst. 1. & frequenter Thomistæ, & Scotistæ, & alij multi DD.

Obijcies: S. Thomam opusc. 70. quæst. 5. artic. 1. ad 2. ita scribentem: *dicendum, quod scientiæ speculatiuæ, ut patet in principio Metaphysicæ de illis, quorum cognitio queritur propter se ipsas: res autem de quibus est Logica, non queruntur ad cognoscendum propter se ipsas, sed ut aduinculum quoddam ad alias scientias; & ideo Logica non continetur sub Philosophia speculatiua, quasi principalis pars, sed ut quoddam reductum, &c.* Ergo ex mente D. Thomæ Logica non est simpliciter speculatiua.

6 Primo respondetur, Sanct. Thomam non negare Logicam absolute contineri sub Philosophia speculatiua; sed adhibito moderamine, videlicet, *quasi principalis:* quo indicat sub illa contineri, sed ut partem minus principalem propter imperfectionem eius obiecti; & quia concurret ut instrumentum, & ancilla Philosophiæ primæ, & aliarum, quibus ministrat.

Secundo dicitur, ista autoritate probari secundam partem conclusionis, quæ etiam colligitur ex dictis q. 3. n. 12. quia artes liberales differunt à scientijs pure speculatiuis, quia vitra cognitionem habent aliquid per modum cuiusdam operis, nempe syllogismos, & orationes construere: quia tamen opera ista sunt interna, & ad veritatis cognitionem ordinata; ideo solum si fit ad praxim similitudinariæ; & secundum quid, & quoad modum. Hæc autem esse mentem S. Thomæ constat: nam ibi in solutione ad 4. expresse dicit, *Dialecticam esse artem theoreticam*, id est, *speculatiuam*.

7 Ratione probatur, primo: nam potissima differentia inter scientiam practicam, & speculatiuam sumitur ex fine: quia speculatiua est propter scire, & ad fugiendam ignorantiam, vt ex Philosopho, ait S. Thomas 1. Metaph. lect. 3. sed finis Logicæ est verum à falso discernere. Ergo est scientia speculatiua. Minor constat ex definitione Logicæ relata quæst. 1. n. 10. & etiam quia Logica est ars liberalis: de istis autem ait S. Thomas 1. Met. lect. 3. littera c. quod *illa sola artes liberales dicuntur, quæ ad sciendum ordinantur*. Logica ergo ordinatur ad scire, & sic ars speculatiua est.

8 Præterea probatur ratione, quam dicit *commendandam* Mag. Soto q. 4. conclus. 1. quia ipsamet opera, quæ dirigit Logica, sunt operationes speculatiuæ: quia est ars, & modus sciendi, & speculandi: ars autem speculandi, speculatiua est.

Instabis: quia Logica, non solum est utilis ad scientias speculatiuas; sed etiam ad practicas; quia omnibus præbet instrumenta; & omnes intellectus operationes dirigit; ergo tradit modum scientiarum practicarum. Ergo est practica, etiam si simul sit speculatiua.

Respondetur, quod in syllogismo practico conclusio immediata, est conclusio scientifica; mediata autem, seu vltima conclusio, est ipsa operatio, vt docet S. Thomas lib. de motu animalium lect. 5. & quæst. 22. de Veritate, artic. 15. ad 2. & hæc est operatio voluntatis, vel exterior; per ordinem ad quam cognitio dicitur practica. Igitur syllogismus practicus dirigitur à Prudentia, & à Logica; ab ista speculatiue, ab illa practice, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 47. art. 2. cor. & ad 3. quia Prudentia attendit rectitudinem, & rectum vsum; Logica vero artificium scientificum, & ita circa ipsam praxim speculatiue versatur.

9 Vrgetur, & declaratur vis rationis predictæ: nam scientia practica est, quæ ex natura sua ordinatur ad opera externa ab intellectu. Sed Logica tota ordinatur ad operationes intellectus, vt saepe dictum est. Ergo est scientia; non practica, sed speculatiua. Minor, quæ sola videtur probationem desiderare, est iam ostensa num. 1. tum à sufficiente diuisione: quia practica & actiua ordinatur ad operationes morales voluntatis, scientiæ vero factiue

ad opera externa: & ita ista dicuntur artes mechanicae. Et ita non datur scientia practica, quæ non ordinetur ad opus extra intellectum. Et etiam, quia large loquendo ipsum speculari est opus: & ita si sufficeret ordo ad opus quodlibet intellectus, omnes scientiæ essent practicae. Ergo Logica, quæ est directiva operum rationis, speculativa est.

10 Obijcies syllogismi vocales sunt operationes externæ ab intellectu, amplius, quam operationes voluntatis, quæ manent in anima, & voces sunt incorpore: ergo si Philosophia moralis, quia dirigit opera voluntatis, est practica; ut docet S. Thomas opusc. 70. quæst. 5. articulo 1. etiam Logica erit practica; siquidem per se tractat de vocibus, iuxta dicta q. 2.

Respondetur, hoc argumentum manifeste instari in actibus externis omnium scientiarum speculariarum, ut sunt syllogismi vocales pertinentes ad Physicam, & Metaphysicam, qui sunt externi; & procedunt ab habitibus speculariis. Pariter fides Theologica ponitur à D. Thoma 2. 2. q. 4. art. 2. ad 3. in intellectu speculativo sicut in subiecto: & tamen confessio exterior fidei est proprius fidei actus, nulla alia virtute mediante, ut docet S. Thomas. 2. 2. q. 3. art. 1. ad 3. & incorpore articuli dixerit, quod *actus exteriores, illius virtutis proprie sunt actus, ad cuius fines secundum suas species ordinantur*, seu referuntur. Et infra subdit, quod *ex exterior loquutio videtur ad significandum, id quod in corde conceptum*. Cum igitur

syllogismi vocales ordinentur ad fines mentalium, & ad eos exprimendum; si directio mentalium est speculatio, etiam directio vocalium.

Præterquamquod, formale quod in vocibus considerat Logica, est aliquid rationis speculantis: ac proinde, ipsa est speculativa.

Nec est eadem ratio de Philosophia morali, quæ considerat ordinem actum voluntatis: quia isti per se loquendo cadunt sub regulis prudentiæ, quæ residet in intellectu practico, cuius obiectum est verum contingens factibile, vel agibile: actus vero Logicæ non attendunt regulas prudentiæ, nec bonitatem moralem, aut libertatem.

11 Iterum obijcies, ex P. Vazquez 1. p. disp. 8. cap. 5. nam quod sub electionem, & prudentiam cadit, est praxis: cum prudentia sit practica; & habeat proximum pro obiecto. Sed nulla operatio rationis, qualis est constructio syllogismi, dirigitur, aut fit, ab alia operatione intellectus, nisi media electione nam ex electione applicat homo intellectum, ad faciendum hunc & illum syllogismum. Ergo praxis est ipsa speculatio intellectus: & Logica erit practica, etiam si simul sit speculativa.

Hoc argumentum indignum iudicant Pl. Carmeli disp. 1. q. 6. num. 67. cum *Philosophus respondeat*: nam si convinceret, probaret nullam esse scientiam speculativam: quia cuncti actus intellectus, etiam speculativi, cum sint liberi quoad exercitium, fiunt electione, & motione voluntatis. Unde distinguitur maior: &

& concedatur, de eo quod sub electionem, & prudentiam cadit, formaliter, & per se, vt sunt actus virtutum: secus vero de eo, cui per accidens, & ab extrinseco conuenit, sub electionem cadere, vt sunt actus Logicæ, & reliquorum habituum speculatiuorum. Quod totum reperio in D. Thoma 2. 2. quæst. 47. art. 2. ad 2. vbi ait, quod ipse actus speculatiua rationis, secundum quod est voluntarius, cadit sub electione, & consilio quantum ad suum exercitium: & per consequens cadit sub ordinatione prudentie. Sed quantum ad suam speciem, prout comparatur ad obiectum, quod est verum necessarium, non cadit sub consilio, nec sub prudentia. Idem dictum accipere de actibus Logicæ: nam quoad suam speciem non cadunt sub electione, & consilio: & hoc facit vt habitus sit simpliciter speculatiuus.

## §. III.

## De actibus Logicæ.

12 **D**ico secundo, omnes actus Logicæ sunt simpliciter speculatiui, & ita nullus est simpliciter practicus; sed solum minus proprie; & secundum quid. Potest in primis probari ex celebri doctrina Caietani, & Thomistarum 1. p. q. 1. articulo 4. dicentiam scientiam obiecti finiti non posse adunare rationem practici, & speculatiui: quia non potest queri propter scire, & propter opus; nec potest esse circa obiectum necessarium, & contingens, vt requirebatur, vt aliqui actus essent practici simpliciter, &

alij simpliciter speculatiui. Ergo pariter dici debet de Logica; ad differentiationem Theologiæ, quæ habet obiectum infinitum.

13 Verum adhuc dicitur quod in alijs habitibus adueniunt actus practici, & speculatiui; hoc non habet locum in Logica; quia opera, quæ construit, sunt opera speculationis, & interna, & sic non solum, prout docens, sed etiam prout vtens; est speculatiua. Verum est, quod vt vtens, construit: & ex hac parte similitudinem habet cum scientiis practiciis: sed quia construit speculationes, & speculando, speculatiua est.

Obijcies: plus est in eodem habitu adunari quosdam actus scientificos, & alios non scientificos; quam actus practicos, & speculatiuos: sed in Logica ab eodem habitu procedunt actus Logicæ docentis, qui est scientificus, & actus vtentis, qui recedit à ratione scientiæ, vt dictum est q. 3. ad 7. Ergo in eodem habitu Logicæ adunantur ratio speculatiui, in quibusdam actibus, & ratio practici in alijs. Maior probatur: quia scientia, & non scientia, opponuntur contradictorie: practicum autem, & speculatiuum, vel differunt accidentaliter, vel si essentielles differentie, & impossibiles sunt; hoc est respectu eiusdem actus, & obiecti.

14 Respondetur, quod in Logica non adunantur actus non scientifici ab intrinseco, quamuis aliqui actus secundum tria possint ab extrinseco impediri, & defectu alicuius conditionis recedere à ratione scientiæ.

tiæ, Vnde ex fine scientiæ, & ab extrinseco aliqui actus Logicæ possunt esse practici: imo, & supernaturales, & meritorij vitæ æternæ: quia elicitur à virtute studiositatis, & imperatur à charitate. Sed ad intentum nostrum sufficit, quod ex materia, & fine scientiæ, ab intrinseco omnes actus Logicæ sunt speculativi: quia omnes sunt interni, & in illis queritur scire propter scire. Et in illo sensu istæ differentie sumuntur ex obiecto, & fine intrinseco: & sic sunt intrinsece: & cum omnium actuum vnius habitus sint eadem formalia obiecta; non est vnde in eodem habitu, de quo loquimur, aduentur actus practici, & speculativi simpliciter.

## QVÆSTIO VI.

*Utrum Logica sit simpliciter necessaria ad alias scientias?*

### §. I.

#### *Status questionis.*

**N**Otandum primo, quod *non est necesse* dicitur, quod *necessarium* dicitur, quod *non est necesse*. Et nunc, non loquimur de necessitate ab intrinseco, nec de necessitate coactionis ab extrinseco efficiente; sed de necessitate *ab extrinseco fine*. Necessitas autem finis, est dupliciter: vel necessitas *ad melius esse*, quæ dicitur *utilitas*: vt equus requiritur ad iter: vel *necessitas simpliciter*, qualiter dicitur necessarium id sine quo finis consequi non valet: vt *cibus est necessa-*

rius ad vitam. Inquirimus ergo *Utrum Logica sit simpliciter necessaria; vel solum sit necessaria, vt melius acquirantur aliæ scientiæ.*

2 Secundo est notandum, ex dictis 1. p. Metaph. Controu. 1. art. 4. (in quo abunde hæc quæstio est disputata) num. 54. quod sicut homo potest considerari tripliciter; vel in prima sui formatione; ad quod solum requiritur, quod anima informet corpus; & quod sic nascatur in quavis parua quantitate, & membris: secundo consideratur in statu substantialiter perfecto, cum iam creuit ad statum viri: tertio potest considerari, quoad perfectiones accidentales virium, & roboris, agilitatis, pulchritudinis, & similia accidentia. Ita habitus potest considerari tripliciter; primo *in statu imperfecto substantialiter*: quia est acquisitus per vnâ solam demonstrationem; & defectu specierum, vel exercitij, circa alias, non habet expeditam facultatem ad illas, sed solum ad vnâ conclusionem: secundo potest considerari scientiæ habitus *in esse perfecto substantialiter*; quia iam creuit vsque ad quatuor, vel sex demonstrationes, in quibus se exercuit intellectus, & auxit habitum; sed quia exercitium est parum & scientia non est multum radicata; & promptus vsus specierum deficit; ideo etiam dicitur deficere perfectio, & promptitudo quadam accidentaliter reducendi conclusiones vsque ad principia, & facili- ter obuiandi argumentis contrarijs. Tertio demque potest habitus esse *ita perfectus vt sit ex-*

tensus, & promptus ad syllogizandum in omnibus, & obuiandum contrarijs, & expedire utendum illo cum voluerit: & tunc dicitur esse scientia *in statu perfecto subiectiualiter, & accidentaliter*: sicut in moralibus, homo habens virtutes heroicas passionibus sedatis, dicitur simpliciter, & perfecte habere virtutes.

3 Tertio aduertendum, quod Magister Ortiz, tam in Dialectica, quam in Logica, utrobique tractatu 1. conferentia 1. distinguit, quod Logica est duplex; altera *præceptiua*, ad quam pertinet tradere præcepta, & principia Logicæ: & altera *scientia*, cuius munus est ex principijs proprijs traditis inferre conclusiones demonstrando aliquas veritates mediantes. Et affirmat illam esse necessariam, secus vero istam.

4 Primum membrum huius distinctionis, dupliciter potest accipi. Vno modo, vt nomine Logicæ præceptiue condistrictæ contra Logicam scientiam, intelligatur sola Logica naturalis: alio modo vt intelligatur aliqua Logica acquisita, vel aliquid vere, & proprie ad Logicam attinens. Si primum; in primis Magist. Soto, & P. Rubio relati quæst. 1. num. 4. quos sequitur Mag. Ioan. a S. Thoma quæst. 1. artic. 1. in 2. editione §. *Si respondeas* censent magnam abusionem terminorum istam appellare Logicam. Qui tamen, vt in illa quæst. diximus, hoc pertinet ad modum loquendi: & iam plures istam appellant Logicam

naturalem; ideo quidquid fit de vocis proprietate.

Secundo displicet illa distinctio sic accepta, ad intentum præiens: quia de Logica naturali non est quæstio præsens: quia omnes pro comperto supponunt, quod sine intellectu, & lumine principiorum, in quo sunt quasi quædam semina, seu initia Logicæ, ipsa non potest acquiri: nam, vt ait S. Thomas 1. 2. quæst. 51. artic. 2. *habitus scientiarum causantur in intellectu, secundum quod mouetur à primis propositionibus*: & sic causa habitus Logicæ, est nobilior ipso habitu; quia *intellectus principiorum est nobilior principium, quam scientia conclusionum*, vt ait S. Thomas ibi ad 3. & quæst. 63. artic. 2. ad 3. explicans qualiter actus causent habitum scientiæ.

5 Igitur nomine Logicæ præceptiue, non intelligitur solus habitus principiorum, vt ipse Ortiz fatetur: sed vltterius, inquit; exiguntur species principiorum Logicæ: vnde Logica præceptiua est, quæ inclinatur proxime ad attingenda principia, seu præcepta Logicæ; quia enim est ars, & habet modum practicæ; & in artibus, & in scientijs practicis proprie inueniuntur præcepta, ideo necessarium fuit distinguere Logicam præceptiuam à Logica scientia.

6 Caterum in isto sensu, distinctio ista Logicæ admittenda non est: & adhuc si admittratur, nõ est offerendum Logicam præceptiuam esse simpliciter necessariam. Primum probatur: tamquam hæc Logicarum distinctio in-

audita, & innominata erat apud  
auctores; & ideo reiicienda. Tum  
quia vt ostendimus q. 3. num. 11.  
non est alia Logica ars, & alia sciē-  
tia: ergo nec alia est Logica præcep-  
tiua, quæ correspondet arti, & alia  
Logica, quæ correspondet scientiæ.  
Denique in omni arte, & scientia,  
illa quæ dicuntur præcepta; vel  
sunt propositiones per se notæ, &  
immediatæ: & istæ habitu primo-  
rum principiorum attinguntur.  
Vel sunt mediatæ, quæ indigent  
habitu deducente, & probante: &  
istæ attinguntur habitu scientiæ.  
Ergo in intellectu ultra habitum  
principiorum primorum, & habitum  
scientiæ, alia Logica opus non est.  
Sicut autem in scientia ultra habi-  
tum, species obiectorum exigun-  
tur, & non ob hoc plurificantur sciē-  
tiæ; ita pariter dicendum de princi-  
pijs, & inchoatione Logicæ. Præ-  
terquamquod, cum entia rationis  
sint formale in obiecto Logicæ: cū,  
vt ostendemus 3. p. Metaph. Con-  
trou. 3. art. 7. entia rationis non ha-  
beant speciem propriam; species ip-  
se obiectorum realium pertinen-  
tium ad alias scientias, vel ad intel-  
lectum, s. faciunt ad principia Lo-  
gicæ.

7 Secundum vero, videlicet,  
quod talis Logica præceptiua non  
sit simpliciter necessaria, semel ad-  
misso (id quod ipse concedit, & nos  
ostendemus) quod Logica scientia  
non sit simpliciter necessaria; sic pro-  
batur. Nam tales species præcepto-  
rum Logicæ, vel requiruntur sim-  
pliciter ad scientiam sine ordine  
præstito ab aliquo habitu intellec-

tus? Vel vt ordinatæ; & dispositæ;  
vt apte intellectus illis possit vri?  
Primum dici nequit; quia species  
sine ordine, potius iubant ad confu-  
sionem, & errorem; quam sint aptæ  
ad scientiam.

Ordo autem specierum; vel fit  
solo habitu principiorum; & istum  
non negamus esse simpliciter ne-  
cessarium ad omnes, & singulas  
scientias; sed de illo nō est quaestio:  
& rursus speciebus materiæ syllo-  
gismi, sine alia Logica, poterit scien-  
tia generari. Si vero ordo fit habi-  
tu scientiæ: iam incidit in senten-  
tiam, quam impugnat: quia iam  
esset necessaria simpliciter scientia  
Logicæ. Si solo habitu opinionis,  
vel fidei humanæ ordinantur illæ  
species; (vt communiter contingit:  
quia videmus Dialecticos prius in-  
strui doctrinaliter, eo quod *addiscen-  
tem oportet credere*, quam conuinci  
scientificæ) sequitur, quod opinio,  
vel fides humana sit simpliciter ne-  
cessaria ad scientias acquirendas:  
quod inopinabile est: nam vt do-  
cet S. Thomas. 1. 2. quaest. 51. art.  
3. vna propositio per se nota con-  
uincit intellectum ad essendiendum  
firmiter conclusioni: vnde infert  
esse possibile habitum scientiæ cau-  
sari ex vno rationis actu, videlicet,  
etiā si non sit fides humana, vel opi-  
nio præcedens. Nec opus est prius  
addiscere errando, vel opinando, vt  
scientiam acquiramus.

Manet ergo certum, quod habi-  
tus principiorum est simpliciter re-  
cessarius; minime vero institutio-  
nes doctrinales Logicæ a tyroni-  
bus creditæ: vnde tota de voluitur  
quæf.

quæstio de necessitate habitus, vel actus Logicæ scientiæ; an requiratur simpliciter ad alias scientias, ita ut sine illo neququam scientiæ rationem habere possint?

## §. II.

*Probatum Logicam non esse omnino necessariam simpliciter.*

8 **D**ico primò, habitus cuiuscumque scientiæ potest acquiri sine habitu Logicæ, & sine actu procedente ab habitu Logicæ. Probatum primò: nam prima demonstratio generat habitum: sed potest intellectus assensum præbere primæ demonstrationi cuiuscumque scientiæ sine Logica. Ergo potest intellectus habitum cuiuscumque scientiæ acquirere sine Logica. Maior est *D. Thomæ* 1. 2. q. 51. artic. 3. qui eam probat: nam ad hoc quod aliqua qualitas auferatur in passiuo, oportet quod actiuum totaliter vincat passiuum: sed propositio per se nota conuincit intellectum ad assentiendum firmiter conclusioni: ac proinde, est actiuum vno actu vincens totaliter potentiam sui passiuæ. Ergo vno actu generatur habitus scientiæ; quamuis imperfectus. Minor verò probatur: quia potest intellectus præbere assensum primæ demonstrationi Logicæ, sine habitu Logicæ: alioquin, vel daretur processus in infinitum: vel nunquam Logica propriis actibus acquireretur. Ergo potest præbere assensum demonstrationi cuiuscumque scientiæ sine Logica. Consequen-

tia patet: nam, ut diximus q. 3. etiam Logica est scientia, & assensus illius scientificus.

Secundò, accipiamus, exempli gratia, primam demonstrationem in Physica; potest intellectus illi assensum præbere sine Logica: & eadem est ratio de prima demonstratione cuiuslibet scientiæ. Ergo ad primam acquisitionem cuiuslibet scientiæ, non est simpliciter necessaria Logica. Probatum maior: nam ad illam primam demonstrationem non est simpliciter necessarius habitus Physicæ; quia tunc non est; sed potius ipso actu causatur. ergo non est simpliciter necessarius habitus Logicæ. Probatum consequentia: nam Logica, vel concurret ad illam demonstrationem ut eliciens vel ut dirigens; si ut eliciens; eadem est dependentia illius assensus à Logica, ac dependentia à Physica. Si ut dirigens; id euidentius constat: quia minus dependet assensus à principio dirigente, quam à principio efficiente.

9 Tertiò probatur vrgentius: ut aliquis acquirat scientiam, sufficit, & requiritur cognitio euidens præmissarum, & bonitatis consequentiæ: sed totum hoc potest intellectus cognoscere sine Logica. Ergo non est simpliciter necessaria. Probatum minor: nam ideo veritas aliquarum propositionum cognosci potest ab intellectu; quia in se continet principia, quibus sunt immediatæ conclusiones; & ipse, vel propria inuentione, vel doctrina Magistri, adiutus, conclusiones, quas eminenter præhabet intellectus,

lectus, de facto cognoscit evidenter: quia de earum veritate conuincitur: sed potest conuinci de bonitate illationis: quia in se continet initium, seu principia illius, & non est difficilius cognitionis bonitas illationis, ac veritas praemissarum. Ergo potest acquiri scientia sine Logica. Probatur minor ulterius: quia ut intellectus conuincatur in exercitio, non opus est ut in communi omnes regulas consequentiarum agnoscat; sed sufficit, quod hanc in exercitio esse bonam consequentiam percipiat. Ergo sine Logica potest huic assensum scientificum praeberere.

10 Obijcies primò: bonitas consequentiae est proprietas consequentiae: sed proprietas consequentiae est de ipsa demonstrabilis: quia conuenit mediate. Ergo bonitas consequentiae est veritas demonstrabilis. Sed veritas demonstrabilis, nõ cognoscuntur solo lumine principiorum; sed potius habitu scientiae. Ergo bonitas consequentiae cognoscitur per Logicam. Ergo si ad scientiam requiritur cognitio certa bonitatis consequentiae; non potest haberi scientia, sine actuali cognitione Logicae.

Respondent, aliqui bonitatem consequentiae esse primam eius passionem: prima autem passio, nec quoad nos, est demonstrabilis de subiecto, ut docet Sanchez lib. 7. Logicae q. 14. & ideo bonitas consequentiae solo lumine naturali cognoscitur.

Secundò, latissime contendit M. Ortiz ubi supra, quod bonitas con-

sequentiae, ideo lumine naturali cognoscitur, quia non est passio demonstrabilis: eo quod bona consequentia, est idem ac consequentia non apprens, vel ficta: & sic non differt ab ipsa consequentia. Probare autem, quod aliqua consequentia sit conformis cum regulis Logicae, non est in rigore demonstrare, sed illi definitiones applicare: quod ad demonstrationem non sufficere, notat M. Soto lib. 2. Poster, cap. 6. textu 5.

11 Displicent istae solutiones: quia ut soluent Logicam non esse necessariam, videntur incidere in aliud inconueniens, negando Logicam esse scientiam: contra ea, quae ostendimus q. 7. & ipsi non negant. Hoc autem sequi, probatur: quia nullus negat doctrinam Logicae de bonitate consequentiae, & de eius resolutione ad principia, & reliqua alia, quae docentur in Logica, conducere ad melius acquirendas scientias. Si ergo illud non est demonstrabile nec icibile, sed pertinet ad lumen principiorum, Logica non erit scientia. Imò nulla erit utilitas Logicae, nec opus erit, quod detur in numero scientiarum, vel artium: sed ad id sufficet lumen naturale rationis, acquisitis speciebus terminorum.

12 Aliter ergo responderet, consequentiae bonitatem, si est eius proprietas, esse de illa demonstrabilem: quamuis sola ratione ab illa differat, ut entis attributa. Et ad minus est indubitatum, esse demonstrabile, qualiter sit facienda resolutio conclusionum ad principia: quod exigitur ad perfecte scire. Et multa alia quae exiguntur ad vitanda

argumenta falacia. Et totum hoc præstatur à Logica, cum adest, de quo videtur S. Thomas 1. Posterior, lect. 1. Cæterum antequam generetur Logica, acumine intellectus, & primis principijs, quamuis cum difficultate, totum hoc cognoscitur in exercitio, quia intellectus solum ad melius requirit habitus acquisitos. Et sæpe in exercitio eundem cognoscimus, id cuius rationem vniuersalẽ nescimus assignare: vt experientia est comperitum, in illo, qui in praxi exercet artis opera, sine regulis vniuersalibus artis. Et ad nostrum intentum egregie notauit S. Augustinus tomo 3. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 37. vbi loquens de regulis Logicæ ait: *Quanquam plerumque accidat, vt facilius hominis res eas assequatur, propter quas assequendas ista disuntur, quam talium præceptorum necessitates, & spinosissimas disciplinas.* Et infra ait: *plerumque citius ingeniosus videt, non esse ratio conclusionem, quam præcepta eius capere.*

In forma ergo, ad argumentum conceditur prima consequentia: & distinguitur prima propositio subsumpti, & conceditur, quando adest habitus scientiæ: secus verò, quando nondum est genitus. Vel concedatur de cognitione vniuersali, & in actu signato: & negetur de cognitione vni, vel altera, aut pluribus in particulari, & in exercitio: quia ad hoc solet conuinci intellectus, eum ignarus subtilitatum artis, & scientiæ in communi. Et hæc cognitio bonitatis consequentiæ sufficit ad scientias acquirendas.

12 Secundò obijcies: sine prudentia virtute, aliæ virtutes morales nullatenus valent acquiri, eo quod ab ea diriguntur: sed aliæ scientiæ à Logica diriguntur; quia vt ait S. Thomas lect. 1. de causis, *modum scientiarum tradit.* Ergo sine Logica nullatenus aliæ scientiæ valent acquiri.

In primis posset argumentum retorqueri: nam illo nostram conclusionem probat M. Sanchez lib. 1. quæst. 2. in quarta probatione tertiæ conclusionis: nam ad operandum vnum actum, vel duos virtutis, non est necessaria prudentia; sed ipsa ratio cū primis principijs practiciis sufficit. Ergo pariter dicendum, quod sine Logica aliæ scientiæ possunt acquiri.

13 Melius tamen est, omittã maiori, & minori, negare consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia omnes virtutes morales sunt connexæ adinuicem ratione prudentiæ: et verò virtutes intellectuales non sunt connexæ adinuicem, vt tribus argumentis probat S. Thomas quæst. 5. de virtutibus art. 2. ad 8. & expresse ad nostrum intentum 1. 2. quæst. 65. art. 1. ad 3. comparatio verò tenet si compararentur scientiæ cum primis principijs. Et similiter si sermo esset de statu perfecto, etiam accidentali, aliarum scientiarum; ad quem fate-mur Logicam esse necessariam simpliciter: vt iam dicimus.

\* \* \*

## §. III.

*De scientijs in statu perfecto.*

14 **D**ico secundò, etiam extensionem ad plures conclusiones valet intellectus acquirere sine Logica; quamuis cum difficultate: ideo, quoad hoc, non est simpliciter necessaria. Probat: nam propter immediatam connexionem primæ conclusionis cum principijs, & propter eminentiam intellectus, admittimus valere, quamuis cum difficultate, acquirere scientiam primæ conclusionis sine Logica: sed tam immediata est secunda conclusio primæ, & tertia secundæ, quam prima sit immediata primis principijs: & respectu horum eadem est eminentia intellectus, & principiorum virtus. Ergo potest intellectus perfectionem substantialem extensionis scientiarum acquirere, sine Logica.

Dices: videmus aliquos posse quatuor, vel quinque passus ambulare; qui tamen non possunt decem eiusdem distantia: & pariter in alijs artibus possunt operationes aliqua fieri sine arte; & tamen illarum multitudo exigit artem. Ergo idem dicendum in Logica.

Respondetur, quod in corporalibus, exercitium non dat vires, sed fatigationem: at verò intellectus exercitio moderato fit habilior, & promptior ad discurrendum. Unde, si sine adiutorio aliorum acquam, valuit primam demonstra-

tionem formare, vel ab alio formata conuinci; multo melius, illius supposita notitia, poterit industria, vel instructione magistri, in aliorum notitiam deuenire: & sic videmus magis exercitatos facilius in nouarum conclusionum notitiam deuenire: quamuis autem congruentius id fiat incipiendo à Logica; tamen idem poterit suo modo contingere, si studium, & diligentia sit circa aliam scientiam, Logica non præmissa.

15 Instabis: vt ex Diuo Thoma diximus num. 8. vnico actu euidente cuiuslibet scientiæ, ipsius habitus generatur: quia conuincitur intellectus, & eius potentialitas vincitur: sed eo ipso, quod tres, vel quatuor demonstrationes, quibus generatur, & augetur habitus Physicæ, formantur, sunt tres, vel quatuor actus Logicæ. Ergo est impossibile generari, vel augeri habitum cuiuscunque scientiæ, non genito, vel aucto habitu Logicæ. Probat minor: nam ad scientiam duo exiguntur: & euidentia materiæ, & euidentia illationis syllogisticæ: quia debet scire se scire; vt patet ex Philosopho 1. Posterior. sed euidentia actus Physicæ si facit ad eius habitum generandum: ergo euidentia dispositionis Logicæ, sufficit vt illius producat, aut augetur habitus.

Respondetur, quod illa maior, est vera de actibus primarijs dantibus speciem; non autem de actibus secundarijs. Conficere autem syllogismos, & eorum bonitatem

in aliena materia cognoscere in exercitio, sunt actus secundarij Logicæ: & ideo non sufficiunt, nec ad habitum primo generandum, nec ad illum simpliciter augendum; iuxta dicta in hoc libro in fine quæst. 1.

16 Addit præterea M. Araujo lib. 2. Metaph. q. 3. artic. 2. ad 3. num. 27. quod sicut concursus instrumenti, & causæ principalis, tantum producit, vel auget effectum causæ principalis; ita concursus usus Logicæ cum alijs scientijs, tantum producit, vel auget habitum aliarum scientiarum: quia *Logica est scientia instrumentum*, vt dicit Beatus super Phosphorium. Vel dicatur, quod illo exercitio acquireretur quædam dispositio præuia ad Logicam: nõ tamen ipse habitus, quia illi actus sunt imperfectum quid in illo genere.

17 Dico tertio, Logica non solum utilis, sed simpliciter necessaria est ad consummatam perfectionem accidentalem scientiarum. Appetitur sumitur ex D. Thoma 1. Posterior. lect. 1. & opusc. 7. q. 5. art. 1. ad 3. & ex Philosopho 1. Physicorum cap. 1. 2. docente, antiquos in multos errores incidisse, propter Logicæ ignorantiam. Et Plato lib. 7. de Republica dicit, esse impossibile intellectum sine Dialecticâ exacte rem aliquam attingere. Et ideo, vt refert Laertius lib. 7. de vitis Philosophorum, tanti faciebant stoici Dialecticam, vt solos Dialecticos apparerent sapientes.

18 Facileque probatur: nam *Dialectica est directiua operatio-*

num intellectus: tradit modum sciendi, definiendi, diuidendi, & argumentandi: instruit intellectum quomodo conclusiones resoluat in principia, siue prioristice, siue posterioristice, vt videri potest in D. Thoma 1. Posteriorum lectione 2. tradit regulas, quibus agnoscantur fallaciæ syllogismorum, vt caueantur: sed totum hoc exigitur, vt aliquis dicatur perfecte sciens, potens arguere contradicentes, & alios instruere. Erunt ergo aliæ scientiæ sine perfectione, si non sit acquisita Logica. Et ideo etiam ipsa, quamuis difficilis, est primo acquirenda: *quia alia scientia ab ipsa dependens*, vt ait S. Thomas opusc. 70. vbi supra. ¶ Per quæ de facili patet solutio, ad ea, quæ possunt obijci in contrarium.

## QVÆSTIO VII.

*De ente rationis, an sit; & quid sit?*

**I** P Ost quæstiones præambulas; iam sequitur dicendum de his, quæ de ipsam Logicam attinent. Et quia diximus, quod ens rationis est forma obiecti Logicæ, conuenienter breuiter de ente rationis dicetur: nam diligens ipsius disputatio est Metaphysici propria: vbi nos plura dabimus 3. p.

Controu. 3. per septem articulos.

\*\*\*

## §. I.

*Dantur entia rationis.*

2 **N**otandum igitur, quod ens est quod habet esse, seu cui conuenit esse: unde ens rationis est, quod habet esse in ratione, vel à ratione. Potest autem aliquid esse rationis tripliciter: vel effectiue, sicut quilibet effectus est à sua causa efficiente: vel subiectiue, sicut accidentia in subiecto: vel obiectiue: sicut id, quod obijcitur, vel cognoscitur ab intellectu, dicitur esse in intellectu cognoscente. Id quod est à ratione effectiue, est aliquid reale: quia operationes intellectus, & verba mentalia, & habitus realiter causantur ab intellectu. Imò ipsa opera artificialia externa, nonnunquam dicuntur opera rationis: quia ratione, & arte ordinantur, & fiunt. Similiter ea, quae sunt in intellectu subiectiue, sunt entia realia: quia in intellectu sua insunt accidentia, vt species habitus, & actus.

Esse autem in ratione obiectiue, contingit dupliciter: quia aliquando obijcitur intellectui, quod aliud esse, non habet: aliquando vero id obijcitur, quod in re habet esse. Et hoc secundo modo manifestum est esse verum ens reale: unde relinquitur, nomine entis rationis stricte sumpti, intelligi *ens habens esse solum obiectiue in intellectu.*

3 Dico primò, dantur entia rationis. Est conclusio communis. Et probatur: nam experimur nos fingere ea, quae in re non sunt, nec pos-

sunt esse: vt cum concipimus plures Deos, & alia impossibilia chimerica: Dijs ficti, & chimera habent esse obiectiue in ratione, & non in re: ergo habent esse pure obiectiue. Ergo sunt entia rationis.

Secundò, saepe ea quae in re distincta non sunt, sepe separata intelligimus, vel praescindendo, vel falso distincta esse affirmando. Ergo in ratione datur distinctio, quae in re non est. Ergo datur ens rationis. Terziò, carentia perfectionis concipitur, & significatur, ac si esset aliquid in illo, qui perfectione caret: vt cum dicitur, tenebrae sunt in aere, caecitas est in oculo: & tamen tenebrae & caecitas sunt nihil in re. Ergo accipiuntur, & formantur vt entia in ratione, cum in re non sint.

4 Obijcies: id quod ens est, & vere dicitur esse, habet entitatem, essentiam, & existentiam: alioquin verius negabitur esse, quam affirmabitur esse, cum nihil sit. Sed entia rationis essentiam, & existentiam non habent: alioquin entia realia erunt. Et id clarius apparet in priuationibus, quae potius *sunt non entia*, vt patet ex Philosopho 4. Metaph. lect. 1. ergo non dantur entia rationis.

Respondetur, quod sicut Philosophus 5. Metaph. textu 14. distinguit, quod ens accipitur dupliciter: vno modo vt significat entitatem, quae diuiditur per decem praedicamenta. Alio modo dicitur ens, quod significat fundamentum veritatis propositionis, quae in compositione consistit. Et ens rationis, & negationes, & priuationes non sunt

sunt entia primo modo; bene tamen secundo modo: quia de eis propositiones veræ formari possunt iuxta ea, quæ diximus q. 3. ad vltimã. Ita pariter, essentia, & existentia, possunt accipi dupliciter; vno modo stricte, pro quidditate, cui competit existere extra causas per aliquod esse ratum: & sic entia rationis essentia, & existentiam non habent, vt docet S. Thomas 1. cap. de ente, & essentia. & lib. 2. sent. dist. t. 37. q. 1. art. 2. ad 3. eo quod essentia, & existentia sunt, ex quibus est hoc concretum ens reale: alio modo essentia accipitur, pro omni illo, quod significatur definitione essentiali; & existentia, pro illo quo verificamus propositionem de secundo adiacente, est, vel non est: & sic suo modo entia rationis essentiam, & existentiam habent. Et de quidditate est definitio, & scientia; dicuntur verò existere, cum considerantur, & consideratione cessante desinunt esse.

## §. II.

*Quid sit?*

§ Dico secundò, essentia entis rationis consistit in quodam esse ficto, seu formali solum, vt obiectum rationis. Ita S. Thomas 1. p. q. 16. art. 3. ad 2. & 1. 2. q. 8. art. 1. ad 3. & opusc. 42. apud D. Thoma cap. 1. & probatur primo: quia ens rationis, non consistit in aggregato entitatum realium ad inuicem impossibiliã. Nec in denominatione extrinseca cogniti. Ergo consistit in quodam esse ficto, quod so-

lum potest habere esse obiectum in ratione. Consequentia patet à sufficiente enumeratione: quia non restat aliud in quo possit consistere. Antecedens verò quoad primam partem probatur: nam entitates reales impossibiles vere dantur in rebus, & cognitio illas educans, etiam est realis: ergo in aliquo alio consistit ens rationis: deinde plura entia rationis fiunt, etiam non aduando res impossibiles: vt cum fit rationis distinctio, intentio vniuersalis: & cum priuatio, in exercitio cognoscitur ad instar formæ: ergo vniuersaliter loquendo omnia entia rationis non consistunt in illa aduante rerum impossibiliũ.

6 Quoad secundam verò partem probatur. In primis, quia cognosci est aliquid commune enti reali, & rationis: ac proinde, non est constitutum entis rationis. Secundò, quia denominatio sumpta à forma reali, est realis: sed cognitio est aliquid reale, realiter respiciens obiectum cognitum. Ergo denominatio extrinseca cogniti est realis.

Dices: denominatione cogniti, sumptam causaliter, & ex parte terminæ, esse realem: formaliter verò, & quoad applicationem ad subiectum extrinsecum cognitum, esse aliquid rationis: quia per hoc quod obiectum cognoscatur nihil reale in illo ponitur. Vnde ens rationis consistet in denominatione extrinseca cogniti applicatiue, & formaliter sumpta,

7 Vt hæc euasio præcludatur, notandum, quod forma, quæ rei-

liter est in vno subiecto, potest alteri dupliciter applicari: vno modo extrinsece: quia licet forma sit in vno subiecto in hæsiue; non ibi sistit; sed est respectiua, & alteri adheret, & illum tangit, & respicit, licet extrinsece: alio modo hæc forma, quæ in illo subiecto est, potest alteri applicari, quasi in hæsiue: quia consideratur, ac si esset in illo: nam sicut in prædicamento relationis consideratur ratio communis accidentis, quæ significatur per conceptum, & ratio peculiaris, quæ significatur per conceptum, *ad*, ita in istis formis respectiuis contingit.

Quo posito, sic rejicitur solutio. Formale in denominatione extrinseca, est forma vt applicata subiecto extrinseco: sed forma, vt applicata extrinseco subiecto, vere datur in rebus. Ergo in rebus dantur denominationes reales formales extrinsece. Maior patet: alioquin nõ esset differentia inter denominationem intrinsecam, & extrinsecam: contra ea quæ omnes supponunt, & videndus S. Thomas lib. 2. Cõtrag. cap. 13. rat. 2. Minor vero est D. Thomæ 1. p. q. 14. art. 13. ad 3. & probatur: nam cognitio est aliquid respectuum: & ita est in hæsiue in intellectu, quod realiter respicit obiectum. Ergo realiter extrinsece illi applicatur. Ergo realiter denominat scitum. Et hæc denominatio in genere denominationis extrinsece, est formalis: quia formale est, *ad*: licet comperatiue ad aliam denominationem intrinsecam superuenientem, qua hæc forma extrinseca consideratur vt in illo,

fit fundamentalis. Et licet hæc vltima sit quid rationis; non tamen est denominatio extrinseca cogniti; sed quodam esse fictum in re illa, quod antea non erat.

8 Secundò probatur conclusio ratione à priori indicata à Philosopho 6. Metaph. circa finem. Nam illud est esse quidditatum entis rationis, quo constituitur aliquid distinctum contra ens reale. sed quidditas ficta pure obijcibilis intellectui, est huiusmodi. Ergo in ista entitate ficta consistit ens rationis. Probatur minor: ens verum, quod non habet esse reale: est ens obijcibile pure: sed ens rationis est ens verum, seu habens esse in anima, & non habet esse reale. Ergo huiusmodi ens à ratione formabile est propria ratio entis rationis.

9 Obijcies: verum, & veritas est proprietas entis. Ergo non est propria ratio illius constitutiua. Patet consequentia; quia propria passio, essentiam constitutam supponit; non eam constituit.

Respondetur, quod veritas transcendens est proprietas entis realis, ab illo sola ratione differens, vt ostendimus 1. p. Metaph. Controu. 11. artic. 4. et verò in ente rationis, ipsa entitas est quod potest formari à ratione; & ideo in illo veritas est sine entitate, iuxta doctrinam S. Thomæ lib. 5. Metaph. lect. 9. littera d. & in 2. dist. 34. q. 1. artic. 1. vnde hæc transcendens veritas, potius ad eius quasi quidditatem, quæ ad eam proprie tatem attinet. Ista tamé veritas, seu non repugnantia vt de illo propositiones formentur, est fundamentum

veirtatis formalis intellectus. Et sic verificat S. Thomas, quod *verum fundatur in ente: quia non ens, est ens à ratione formatum*, vt videri potest q. 1. de Veritate artic. 1. ad 7. & 1. p. quaest. 17. art. 3. ad 2.

10. Instabis: sicut prius est aliquid factibile, quam fiat; ita prius est cognoscibile, quam cognoscatur: alioquin esset semper in actu. Sed si ens rationis consisteret in veritate formata de illo ab intellectu, nõ prius esset cognoscibile: quã cognoscereur. Ergo ens rationis non est ens verum, seu formabile ab intellectu.

Responderur, quod sicut res dupliciter dicuntur possibiles: nempe, *extrinsece*, à causa potente eas producere: & *intrinsece*, in quantum non repugnant ab intrinseco: ita eñtia rationis dicuntur possibilia, & cognoscibilia dupliciter: nempe *extrinsece* ab intellectu potente illa formare: & aliqua vltius dicuntur possibilia: quia in re est aliquod fundamentum ratione cuius non est repugnantia vt formentur. Igitur sicut intellectus prius est potens operari, quam operetur; ita ens rationis prius formabile, & intelligibile quã intelligitur: verum actualis intelligibilitas *intrinseca* nõ conuenit, nisi cã fit, nec fit nisi cognoscendo in exercitio: & in isto sen-

su non precedit existens: cognoscibile, ipsam cognitionem: quia ipsa fit, & cognoscitur.

\* \* \*

## §. III:

*Qualiter existant?*

11 **D**ico tertio, nullum ens ratio- habet aliquod esse, seu existentiam formalem, nisi dum actu cognoscitur, & formatur. Sumitur ex Philosopho. & S. Thoma 4. Metaph. lect. 1. & lib. 6. circa finem. Et probatur primo: nam alioquin, si ens rationis aliquod esse formale haberet non fictum à ratione, non esset ens habens esse pure obiective in intellectu: ac proinde, non esset ens rationis, vt patet ex illius definitione, & ex differentia illius ab entibus realibus diminutum esse habentibus.

Secundo probatur: nam quidditas, seu quã essentia, entis rationis est esse obijcibile. Ergo eius existentia est esse actu obiectum. Patet consequentia: quia iste actus est proportionatus, & vltimus illius potentie. Ergo ista est eius existentia, nec alia potest esse enti vero, seu obijcibili proportionata.

12. Obijcies: priuationes formaliter sumptæ sunt eñtia rationis: sed priuationes formaliter sumptæ dantur in rebus. Ergo eñtia rationis formaliter sumpta dantur in rebus. Probatur minor: priuatio formaliter est carentia formæ in subiecto apto. Sed carentia formæ datur formaliter in rebus, vt patet in excitate, obscuritate, & similibus. Ergo priuatio formaliter sumpta datur in rebus.

*Responderur distinguendo maiorem.*

iorem. Et concedendo eam de priuationibus sumptis per modum entis: & negando eam, de illis per modum non entis: seu falsa est de priuatione *remotive*, non vero de ea *positiue*. Formale autem priuationis, quod datur in rebus, est priuatio *remotive* sumpta. De quo videatur Sanct. Thomas quaest. 1. de malo artic. 1. ad 19. & 20. & 1. p. quaest. 48. artic. 2. & ibi Caieranus. Rationem vero entis solum habet à ratione considerante, quod non est ac si esset ens.

13 Secundo obijcies: nam significatio vocum, & scripturarum est ens rationis, vt diximus lib. 1. Dialecticæ, & tamen vere dantur ante actualem operationem intellectus: quia in libro clauso scripturae significant. Et pariter vniuersale, genus, & species sunt entia rationis formaliter, vt infra dicetur; quaest. 14. & tamen nullo intellectu considerante dantur plura genera, & species animalium. Ergo entia rationis existunt ante actualem considerationem.

Respondetur, vel quod ante operationem intellectus ista denominantur talia fundamentaliter; non vero formaliter. Vel quod penuria vocabulorum eodem vocabulo nuncupamus fundamentum, & formam: vel quod denominatio,

quæ est formalis in vno genere, est materialis, & fundamentum respectu alterius.

## QVÆSTIO VIII.

*Quotuplex sit ens rationis?*

§. I.

*Duae diuisiones*

1 **D**ico primo, ex parte causæ conuenienter diuiditur ens rationis, quod aliud habet fundamentum in re extra animam; aliud vero caret tali fundamento. Ita S. Thomas in 1. dist. 19. quaest. 5. art. 1. dicens; *quædam sunt, quæ nihil habent extra animam, sicut somnia, & imaginatio chimæra: quædam autem sunt, quæ habent fundamentum in re extra animam, sed complementum rationis eorum: quantum ad id quod est formale, est per operationem animæ: vt patet in vniuersali.* Idem latius prosequitur S. Thomas in 1. dist. 2. quaest. 1. artic. 3. & ratione probatur: nam distinctio rationis est ens rationis: sed ista alia est rationis ratiocinantis, id est, sine fundamento in obiecto; alia rationis ratiocinatae, id est, cum fundamento in re. Ergo pariter in entibus rationis dantur hæc duo genera entium rationis.

2 Præterea, ipsa experientia vtraque pars comprobatur: nam videmus solo beneplacito voluntatis nos concipere adunatas, res in adunabiles, vt cum fingimus chimæram, & somnia impossibilia. Ergo iam dantur entia rationis non habentia in re fundamentum. Ex alia parte inuenimus fundamen-

tum

tum ad dicendum, hominem esse cæcum, aerem tenebrosum, naturam vniuersalem, vocem significare. Ergo iam dantur entia formata à ratione, quorum fundamentum datur in re.

3 Dico secundo, ens rationis formaliter, & adæquate diuiditur in negationem, & relationem. Sumitur ex Philosopho 4. & 5. Metaphysicæ, & docet S. Thomas q. 21. de Veritate articulo 1. dicens, *id quod est rationis tantum non potest esse nisi duplex, scilicet, negatio, vel aliqua relatio: omnis enim positio a se ipsa aliquid in re natura existens significat.*

Pro cuius explicatione notandum, quod negatio tantum dicit absentiam alicuius, quod remouet, seu carentiam formæ. Vt autem dicunt Philosophus, & S. Thom. 4. Metaphysicæ lect. 3. in principio: negatio est duplex; quedam simplex: quedam generis determinati. Negatio simplex est remotio alicuius sine hoc, quod determinet subiectum; vt non videns. Vnde absoluta negatio potest verificari, tam de non ente, quod non est natum habere affirmationem; quam de ente, quod est natum habere, & non habet: non videns enim potest dici tam chimæra, quam lapis, quæ etiam homo, secundum Philosophum in post. prædicament. cap. de Oppositis. Quamuis omnis negatio funderetur in aliqua affirmatione intellecta, vel imaginata, vt notat S. Thomas quest. 2. de Malo artic. 1. ad 9. Negatio in genere, quæ dicitur *privatio*, est carentia formæ in subiecto apto: sicut cæcum, non

de quocumque verificatur, sed solâ de animali, quod natum est habere visum. Relatio vero est ens rationis, quod fit ex habitudine & comparisone intellectus vnius ad aliud.

4 Et ad tria ista cõprehendenda, solent aliqui facere diuisionem trimembrem: nempe, in negationem, priuationem, & relationem. Verû quia diuisio debet dari per paucissima membra, & immediate opposita: & negatio cõmuniter sumpta diuiditur in negationem simpliciter, & priuationem; melius est diuisionem bimembrem facere cum D. Thoma; & vnum membrum subdividere. Vnde S. Thomas in 1. dist. 28. quest. 1. artic. 1. ad 2. ait, quod *omnis negatio, quæ est in aliquo subiecto determinate, potest dici priuatio.* Vnde in 8. Metaph. text. 27. dicitur, quod *privatio est negatio in subiecto.* Et huius simile habetur lib. 2. cû dispositio diuidatur in habitum, & dispositionem.

5 Præterea aduertendum, quoddam existimare hanc esse subdiuisionem solius entis rationis habentis in re fundamentum quia non habens fundamentum est fictitiuum & relinquatur ab arte. Melius tamen Magister Soto quest. 3. vniuersalium art. 1. §. Sequitur quarto, & frequenter alij Thomistæ; ponant esse diuisionem entis rationis incommuni: quia etiam in fictionibus, quedam entia rationis fiunt remouendo, & alia comparando; vel referendo. Licet principalis cura scientiæ sit de entibus rationis habentibus fundamentum; & Logicus præci-

præcipue de secundis intentionibus adiunctis primis tractet.

6. Ex quibus iam probatur dictam diuisionem esse sufficientem: quia omne, quod obijcitur intellectui, vel remouet, vel ponit aliquid? Si remouet non determinando subiectum, est negatio pura; si determinando subiectum aptum, est priuatio. Si ponit, vel absolutum, vel respectiuum? Si primum, non est purum ens rationis; sed verum ens reale habens esse ratum extra. Si respectiuum, quod est in re, erit relatio realis, de qua non loquimur; si vero respectus est solum à ratione fabricatus, erit relatio rationis. Ergo loquendo de illo, quod habet esse solum obiectiue in intellectu, quod est stricte ens rationis; tantum est duplex, nempe negatio, & relatio.

## §. II.

### *An sit adequata?*

7. **S**ed contra sufficientiam præfatæ diuisionis est commune argumentum: nam dantur entia rationis correspondentia decem prædicamentis entium realium. Sed ista non continentur sub prædictis. Ergo prædicta diuisio non est adequata. Maior probatur: nam vere fingitur substantia rationis, quando cognoscitur Angelus per speciem iuuenis: vel quando fingimus plures Deos: similiter formatur quantitas rationis cum apprehendimus spacium imaginarium. Et pariter famam, & honorem, quæ tantum sunt entia rationis, concipimus, sub

iectum qualificare. Et pariter distinguimus, quæ in re non sunt distincta: & ita datur relatio rationis. Rursus, corruptionem concipimus per modum actionis. Et demum, præsentiam, durationem, & alia accidentia in rebus, quæ non sunt, concipimus. Ergo ista habent esse obiectiue in intellectu, cum in re non sint: ac proinde, omnibus prædicamentis correspondent entia rationis. Minor vero prima manifesta est: quia substantia, & quantitas, nec sunt negationes, nec relationes, nec priuationes.

8. Respondebis, cum P. Suarez disput. 54. Metaph. sect. 4. num. 2. & pluribus alijs, quos nouissime sequitur M. Lermia lib. 2. Logicæ quæst. 5. ad 2. quod illa diuisio non datur de ente rationis in tota latitudine sumpto; sed tantum de illo, quod in re habet aliquod fundamentum: vnde, & si intellectus possit fingere substantiam, & quantitatem, & alia prædicamenta rationis; id facit absque fundamento in re: quia nulla res est, quæ huiusmodi possit exigere conceptiones. Diuisio tamen est adequata: quia datur de ente rationis habente fundamentum.

Huic euasioni obstat primo, quod n. 5. diximus hanc esse diuisionem entis rationis in cõmuni. Obstat secundo, quod etiam inuãto fundamento in rebus possunt fingi entia rationis in omnibus prædicamentis, nam quando fingo Angelum, vt iuuenem, speciosum, volantem, saltem ex parte modi, substantia in re spiritualis, est apud me, ac si esset

corporea. Sed quādo concipio tenebras per modum formæ, est ens rationis cum fundamento in re. Ergo pariter in isto casu est substantia rationis cum fundamento in re idem que argui potest de spatio, quod imaginamur in vacuo, & de qualitatibus rationis. Et sic de alijs.

9 Dices secundo cum Mag. Soto quæst. 3. vniuersaliū corrolario quarto, & P. Suarez vbi supra n. 10. & Magister Ioanne à S. Thoma quæst. 2. Logicæ artic. 1. ad conformationē 2. & quæst. 27. artic. 2. ad 1. in fine, quod diuisio est adæquata quia comprehenduntur sub negatione entia ficta, & impossibilia, siue per modum substantiæ, siue per modum accidentis fingantur. Cum enim huiusmodi entia ficta sint simpliciter non entia, merito sub negatione comprehenduntur.

Huic solutioni solet opponi; primo, quod iuxta eam, relatio rationis non erit aliquid distinctum à negatione rationis: imo nullum ens rationis esset, nisi negatio; quia semper quod formatur ens rationis, est negatio entis realis, & cognoscitur non ens, ac si esset. Ergo si hoc sufficit ad negationem rationis, omne ens rationis erit negatio. Secundo, ad hoc quod formetur ens rationis, quod est negatio, requiritur quod ex parte obiecti concipiatur absentia, vel remotio: hoc enim est negationem habere esse obiectiue in intellectu. Sed in euentibus prædictis non concipitur absentia, aut remotio, aut negatio; sed substantia vel quantitas, aut qualitas rationis. Ergo in his casibus non forma-

tur negatio rationis.

10 Propter hoc argumentum, duo ex recentioribus asserunt, prædictam diuisionem entis rationis cum fundamento in re, non esse adæquatam; sed dari plures alias species omnino distinctas ab istis cum fundamento in ipsis rebus, nempe entia rationis correspondentia decem prædicamentis entitatum realium. Quia tamen vident se recedere ab omnium DD. sententia; qui tantum duo, vel tria genera prædicta entium rationis numerant; ideo respondent, aliorum non meminisse; quia illa tria tantum conducunt ad doctrinam de vniuersalibus: quia ad vnitatem explicandam exigitur negatio, & habitudo ad inferiora est relatio. Solum autem agunt Logici de ente rationis propter vniuersale cognoscendum.

Facile tamen hoc reiicitur, primo, quia Philosophus in Metaphysica, etiam non agens de vniuersalibus, tantum duas species prædictas numerat. Et S. Thom. in Theologia, vt vidimus, dixit illas solum dari. Quod pariter fecit in Metaphysica. Deinde, authores non tractant in Logica de vniuersalibus, nisi in ordine ad prædicamenta; & sic liber prædicabilium est introductio ad prædicamenta, & ad totam Logicam, ergo si in omnibus prædicamentis dantur similia entia rationis, de istis debuit esse explicita mentio. Præcipue cum Logica non tractet de naturis rerum nisi propter entia rationis, quæ pertinent ad eius formale obiectum.

11 Duo igitur asserimus: primus est

est, entia rationis non vagari per omnia prædicamenta; non solum quia entia rationis non sunt in prædicamento entis realis; sed etiam quia in solo genere relationis dantur veræ relationes rationis, quamuis analogice conuenientes cū rebus; in alijs vero generibus, tantum metaphorice, & improprie admittitur substantia, aut qualitas rationis; & proprie loquendo verius negantur. Ita S. Thomas 1. p. quæst. 28. art. 1. & probatur: quia fingere ad instar substantiæ, vel accidentis inhærentis, non sufficit vt dicatur intellectus facere substantiam, aut dare inhærentiam: quia ens rationis formatur ad instar entis realis, & implicat ens reale rationis. Ergo licet fingantur entia rationis ad instar substantiæ, vel quantitatis, non sequitur, quod sit substantia, vel quantitas rationis, nisi metaphorice, & abusive.

Id autem sufficit in negatione; quia non ens in re, accipitur in ratione vt ens, cum omnia cognoscamus sub ratione entis. Sufficit etiam in relatione: quia eius propriissima ratio est ad aliud: & aliud abstracte sumptum non tantum est vere tale, cū datur in re, sed cum ratio confert vnum alteri, quia conferendo relationem rationis facit.

12 Secundo dicimus, quod si congrue explicetur relata diuisio, est adæquata complectēs ista entia rationis, quæ per quandam metaphoram, & in proprietatem dicuntur fieri, vt substantia rationis, vel quantitas, vel qualitas rationis, quod explicat P. Fr. Didacus à Iesu dis-

put. 3. q. 5. §. *Propter hæc*, dicens, diuisiōnem dari ex parte fundamenti: nam si est non ens, erit primum membrum, quod aliqui appellant *ens rationis non entium*: si vero fuerit ens, erit relatio, quæ dicitur *ens rationis propriorum*. Et inter ista non est imaginabile medium.

13 Hæc expositio, quamuis subtilis, difficultate non caret: quia inter non entia est relatio rationis: vnde inquit S. Thomas 1. p. q. 13. artic. 7. *& similiter est de omnibus relationibus, quæ sunt inter ens, & non ens, quas format ratio, in quantum apprehendit non ens, vt quoddam extrinsecum*. Ergo etiam cum intellectus versatur circa non ens, format relationes rationis. Deinde, etiam cum versatur circa ens, format negationes: nam dicimus, quod vnum est ens in diuisum: & entitas est aliquid positium, & indiuisio est formaliter negatio, vt ostendimus. 1. p. Metap. Contr. 9. art. 3.

14 Aliter ergo dicitur, quod intellectus, vel cognoscit remotionem & absentiam perfectionis circa subiectum verum, vel imaginatum: vel cognoscit aliquam perfectionem veram aut appetentem? Si primum, est negatio; vel priuatio: aliquando quidem, si solum ex parte remotionis, quæ cognita, est ens in ratione; aliquando vero etiam ex modo significandi; quia vere significatur vt remotio, & negatio. Si vero cognoscatur perfectio vera, si nulla intercedat comparatio, non fiet ens rationis. Si autem intercedat comparatio eiusdem ad se ipsum, vel entis ad non ens; iam erit relatio rati-

nis, vt docet S. Thomas 1. p. q. 13: art. 7. & q. 28. artic. 11. ad 2. si vero cognoscatur perfectio apprens, ibi & interueniunt species; & notitiæ extremorum, ad quorum ipsar fin gitur; & interuenit ipsa adunatio, & compositio illorum: & hoc est ens rationis, quod est relatio, & cõ paratio. Vnde omne ens rationis tã t. i, non erit in genere nisi duplex, nẽ pe, negatio, & relatio: quamuis di uersæ sint illorum species, & diuer sa fundamenta negationum, & rela tionum.

15 In forma ad argũmentum propositum num. 7. negatur maior. Ad probationem, distinguo maio rem, fingitur substantia, quantitas, & qualitas rationis, quæ sint talia metaphoricè, & improprie, & quasi de solo nomine; quia ad instar isto rum finguntur; concedo maiorem. Finguntur ista entia rationis, quæ sint talia proprie, adhuc analogice; nego maiorem; propter rationem assignatam n. 11. ad probationem minoris distinguo antecedens; sub stantia, & quantitas non sunt re latio, & negatio, loquendo de sub stantia vere, & proprie tali; cõcedo. Loquendo de illa, quæ est talis me taphoricè, nego antecedens. Et re latio rationis est vere relatio; quam uis analogice conueniens cum rea li: substantia vero ficta non est sub stantia, sed est status substantiæ fic tus per rationem: & sic aliquando est negatio, & aliquando relatio ra tionis substantiæ. Quod totũ vide tur indicare Caiet. 1. p. q. 28. art. 1. §. Ad primam vero.

## QVÆSTIO IX.

*De causis entis rationis.*

## §. I.

*De actibus intellectus.*

1 **D**Ico primo, qualibet operatio ne intellectus, etiam prima, & non reflexa, neque stricte compa ratiua, possunt fieri aliqua entia ra tionis; licet non omnia entia ratio nis; possint fieri qualibet operatio ne intellectus. Hæc secunda pars est per se nota: quia aliqua secun dæ intentiones exigunt reflexio nem; aliæ consistunt incomparatio ne, aliæ fieri debent discursu. Er go, antecedenter ad istas operatio nes fieri nequeant. Et deinde, nam in entibus realibus, exigentibus causam stricte sumptam, a quali bet causa non omnes effectus pro cedunt. Ergo in entibus rationis habentibus causam late, pariter de terminatus quasi effectus, suam propriam exiget causam.

2 Prior vero pars probatur primo; quia vt fiat ens rationis. sufficit, quod habeat esse obiecti ue in ratione, id quod non ha bet esse in re: sed qualibet opera ne intellectus potest hoc fieri. Er go qualibet operatione intellectus potest fieri ens rationis. Maior patet ex definitione entis rationis. Et minor probatur: nam qualibet ope ratione potest concipi aliquid, quod in re non est: quia eadem ope ratione, qua concipimus, quod

vere est, possumus cognoscere, quod non est. Ergo qualibet operatione, id quod non est in re subiective, potest accipere esse obiectivum.

Secundo probatur inductione: nam qualibet operatione possumus attingere absentiam perfectionis; qualibet possumus concipere ens apparens, & chimericum. Ergo qualibet possumus concipere, & facere ens in ratione.

3 Dices: totum hoc non sufficere ad faciendum ens rationis, formaliter, sed solum fundamentaliter: quia ut fiat formaliter ens rationis, debet cognosci non ens ad inftar entis: quod exigit reflexionem, & comparationem aliquam: quæ non sunt in qualibet operatione intellectus: ac proinde, non qualibet fit aliquod ens rationis.

Respondetur, quod ad faciendum formaliter ens rationis, non exigitur cognoscere non ens ad inftar entis, reflexe, & in communi, & in actu signato: quia rustici in exercitio plura entia rationis formant; & nesciunt istas reflexiones, & abstractiones; vel de eis non curant. Sufficit ergo, quod in ipso exercitio accipiatur, vel significetur, ac si esset ens, quod reuera non est ens reale: quia hoc est formaliter habere esse obiective, & fieri formaliter ens rationis.

4 Secundo obijcies: nam, ut diximus ex Philosopho 6. Metaph. in fine, ens rationis dicitur ens verum. Ergo sola illa operatione fit formaliter ens rationis, in qua est formaliter veritas. Sed in prima o-

peratione non est formaliter veritas, ut docent Philosophus 6. Metaph. textu 8. & Sanctus Thomas 1. p. quæst. 16. art. 2. ergo prima operatione intellectus non fit formaliter ens rationis.

Respondetur, quod ens rationis est ens verum fundamentaliter, & est ens verum secundum quid: & fundamentaliter nullus negare potest, quod in prima operatione fit veritas; & secundum hoc prima operatione fiunt entia rationis. Ita respondet S. Thomas in 1. dist. 19. quæst. 5. art. 1. ad 7.

Vel dici potest, quod in prima operatione non est veritas formaliter complete, & consummate, ut dicta, est tamen veritas formalis, scilicet inchoate, ut ostendimus 1. p. Metaphysicæ Controu. 12. artic. 5. §. 5. & hoc sufficit, ut formaliter fiat ens rationis: unde, & prima operatio intellectus indiget directione Logicæ: cuius formale obiectivum est ens rationis.

## §. II.

### *De potentijs non cognoscitivis?*

5 **D**ico secundo; nec voluntas, neque appetitus sensitivus; nec sensus externi, faciunt formaliter entia rationis. Sumitur plane ex Philosopho: & S. Thoma 6. Metaph. lect. ultima circa finem. Et probatur illæ solæ potentæ facere possunt ens rationis, quæ formant sibi obiectum: sed potentæ prædictæ non formant sibi obiectum.

cum, Ergo nō faciunt ens rationis. Maior patet: quia facere ens rationis, est dare esse obiectiue, illi quod ens non est subiectiue. Minor verò probatur: quia potentia ista sunt inclinationes in obiectum ab alio formatum; vel in obiectum physice existens: vnde nec formant verbū. ¶ Secundò, ens rationis ideo distinguitur contra ens reale: quia est ens verum, seu intentionale cōdistinctum contra esse physicum, & reale: sed omnes potentia predicta non formant ens verum, & intentionale: quia nec representant, neque formant imaginem representatiuam. Ergo potentia predicta non formant ens rationis: quamuis faciant aliquid quod est fundamentum, vt intellectus formet ens rationis.

6 Obijcies: nam voluntas potest ordinare, quae non sunt ordinata; vt cum praefert creaturā Deo, & tunc similiter vult vt bonam, quod non est nisi apparens bonam. Ergo causat formaliter ens rationis. Patet consequentia: quia non est cur in intellectu hoc facere sufficiat ad faciendum ens rationis, & non sufficiat in voluntate.

Respondetur distinguo antecedens quoad primā partē; voluntas ordinat per modū inclinationis, ex qua sequitur in rebus denominatio extrinseca solum, concedo: ordinat formaliter, ordinē adinueniendo, vel faciendo intentionaliter; nego. Et pariter distinguitur secūda pars antecedentis; quod est apparens, ex vi actus voluntatis, nego; ex vi actus antecedētis intellectus, cōcedo.

Et ita in ens fictū à rationē fertur; nō ipsa fingit. Videatur S. Th. 1. 2. q. 8. ar. 2. ad 3. & 2. 2. q. 58. ar. 4. ad 2.

7 Secundò obijcies: nam visu exteriori percipimus tenebras. Sed perceptio tenebrarū est in exercitio formatio entis rationis; quia accipitur vt ens, quod est nihil. Ergo visu exteriori formamus ens rationis. Maior probatur experientia; nā cœcus nullo modo percipit, sicut nec lucē, ita nec eius absentia, sed profus non videt: videns autē percipit hic esse lucem, & non ibi: quod est videre lucem, & tenebras.

Respondetur admittendo cum D. Thoma, & Philosopho 2. de anima lect. 19. in fine, & lect. 21. littera D, quod *visus percipit tenebras: quia eadem est potentia oppositorū: verū tamen, cum sensus externi solā operentur in mutatione sensibili, non percipiuntur tenebrae directe solo sensu exteriori; nisi quia in illic est perceptio actus visionis, vt in proprio subiecto; eo quod tenebrae sensu percipi non possunt, & ideo directe nō attinguntur nisi sensu communi, vt sumitur ex D. Thoma 1. p. q. 78. artic. 4. ad 2. & ideo circa tenebras sensus externi non formant ens rationis; quia sola cessatione actus formari nequit ens rationis.*

## §. III.

*De sensibus internis.*

8 **D**ico tertio, aliqua entia rationis habent esse formaliter per actus sensuum interiorum hominis. Colligitur ex D. Tho-

ma 1. p. q. 85. art. 3. ad 4. dicente,  
*quod vis imaginatiua format sibi aliquod  
 idolum rei absentis, vel etiam nunquam  
 vise.* Et generaliter quolib. 5. artic.  
 9. docet sensus internos formare  
 verbum. Ex qua doctrina, latius cō  
 probanda in libris de Anima, sic er  
 guitur. Potentia formans verbum  
 interiorius, potest formare ens ratio  
 nis. Sed sensus interni formant sibi  
 verba interna. Ergo formant ali  
 quaentia rationis. Probatur ma  
 ior: cum verbo interno non corres  
 pondet obiectum in re, est formalit  
 ter ens rationis: quia est ibi aliquid  
 obiectiue, quod in re non est subiec  
 tiue. Sed verba interna non semper  
 attingunt obiectum in re, vt etiam  
 in verbis intellectus contingit. Er  
 go formant ens rationis;

Secundò, vt docet S. Thomas  
 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. *imaginatio ex  
 praconceptis speciebus montis, & auri  
 format speciem montis aurei*: vt latius  
 prosequitur quolib. 8. artic. 3. sed  
 mons aureus non reperitur in rerū  
 natura; & habet esse obiectiue in  
 nostra imaginatiōe. Ergo ista va  
 let formare entia rationis, vt etiam  
 tenet P. Suarez disp. 54. Metaph.  
 sect. 2. n. 18.

9 Respondebis hoc non suffice  
 re ad formadum ens rationis; quia  
 imaginatiua non pertingit ad cog  
 noscendam substantiam; sed sola ac  
 cidentia externi: & illa nō sunt en  
 tia rationis; cum possint à pictore  
 depingi. Et hoc non est formare ens  
 rationis. Sicut cum videmus iridē  
 visu externo, non formantur entia  
 rationis: quia aut videtur verus col  
 or, vel lux atterperata, vt videatur  
 color.

Sed contra: nam licet verum  
 sit, quod sensus interni non pertin  
 gunt ad cognoscendum substantiam,  
 vel naturam rei, sed solum acciden  
 tia; vt etiā notat S. Thomas quod  
 lib. 8. artic. 4. addens, *quod idca spe  
 cies, quae sunt in sensu, vel imaginatione,  
 non representant naturam rei, sed acci  
 dentia eius tantum.* Tamen hoc non  
 exigitur ad formandum in exerci  
 tio ens rationis: quia sufficit: quod  
 intēntionaliter repræsentetur, quod  
 non est in re. Nec verum est, quod  
 sensibus externis sola externa sensi  
 bilia percipiuntur: alioquin nulla  
 esset necessitas nisi sensuum exter  
 norum: cuius contrarium ostendit  
 S. Thomas 1. p. q. 78. art. 4. quia a  
 nimal mouetur ad absens, & fugit  
 inimicum, & querit vtilitatem: quæ  
 sunt intentiones, quæ non percipiū  
 tur sensibus externis. Ergo cum cō  
 cipit ista aliter ac est in re, formant  
 sensus interni entia rationis.

10 Iterum dices: hinc haberi  
 istis sensibus formari entia rationis  
 fundamētaliter: quia fingunt quod  
 non est: non tamē formaliter: quia  
 non discernunt inter eas rationis,  
 & reale; nec sciunt se formare non  
 ens ad instar entis.

Ista solutio iam supra est im  
 pugnata: quia vt formaliter fiat  
 ens rationis, sufficit, quod in exer  
 citio non ens in re, accipit esse in  
 ratione: quod fieri potest sine illa  
 aduertentia in actu signato: vt pa  
 tet cum cognoscimus tenebras, &  
 cum syllogismos formant idicta.  
 Et sæpissime experimur nos for  
 maffe entia rationis; & non reflexe  
 illo modo illa considerasse. Sed in  
 exer.

exercitio sensus interni fingunt quod non est. Ergo dant esse obiectum rationis. Et quia S. Thomas 1. p. quæst. 78. artic. 4. cogitativam vocat *rationem particularem*. Et 1. p. quæst. 12. artic. 9. ad 2. imaginativam appellat *potentiam cognoscitivam*; ideo suo modo eius opus dicitur opus rationis; & ipsa faciet entia rationis.

## §. IV.

*De intellectu divino, an formet ens rationis?*

11 **D**ico quartò; multa sunt entia rationis, quæ fieri nequeunt à divino intellectu. Probatur ficilè: nam multa entia rationis facimus, quia decipimur, rem aliter ac est cognoscendo; vt patet in somnijs, fictionibus, & chimeris, quæ sepe concipimus; & ita esse in re nonnunquam cogitamus. Sed Deus, nec decipi potest, nec rem aliter ac est concipere. Ergo nec huiusmodi entia rationis formare. ¶ Item, plures distinctiones rationis proueniunt ex eo quod pluribus conceptibus rem simplicè cognoscimus; secunde intentiones vniuersalium, ex abstractione, & comparatione propria intellectus humani, procedunt. Ergo ista fieri à divino intellectu, vniuerso actu absque discursu omnia cognoscente, repugnat.

12 Obijcies: Deus cognoscit omnia entia rationis, quæ fiunt, vel fieri possunt ab intellectu creato. Ergo omnia entia rationis de facto

fiunt ab intellectu diuino. Antecedens videtur manifestum: quia Deus comprehendit nostras cogitationes, & obiecta illarum: ac proinde, cognoscit entia rationis. Consequentia verò probatur, quia esse entis rationis est cognosci: ergo si omnia entia rationis cognoscuntur à Deo, omnia ab illo fiunt.

Huic argumento P. Vazquez 1. p. disp. 118. cap. 3, & 4. negat antecedens; ne consequentiam admittat: quia dicit sequi Deum omnia entia rationis formare, si omnia cognoscit.

13 Cæterum quia S. Thomas 1. p. q. 14. artic. 9. illud admittit: & admittendum esse late ostendimus 2. p. Metaph. Controu. 3. artic. 3. quia esset imperfectio diuinæ cognitionis, si aliquid cognoscibile, non cognosceret. ¶ Ideo concedo antecedenti vt certissimo, negatur consequentia. Ad probationem distinguo antecedens: esse ens rationis est cognosci, pure extrinsece, & quasi speculative solum; nego antecedens: quia hoc cognosci est commune enti reali, & rationis. Est cognosci obiectiue intrinsece, & quasi practice faciendo, saltem in exercitio, quod non est ad instar entis; Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia Deus hoc secundo modo cognoscit cogitationes hominum, quomodo vana sunt; nõ tamen ipsam vanitatem, & fictionem nostram Deus se solo fingit, quia hoc esset imperfectè cognoscere.

14 Dico vltimo, aliqua entia rationis habet esse formaliter per actum diuini intellectus. Videtur expres-

sa S. Thomæ 1. p. q. 15. art. 2. ad 3. & quod loquatur de existentia formali, constat ex solut. ad 2. & quia in 1. dist. 36. q. 2. art. 2. ad 2. & 3. ait, *distinctio idealium rationum est secundum operationem intellectus diuini.* Videatur etiam q. 3. de veritate artic. 2. ad 7.

Ratione probatur, supponendo ex D. Thomæ q. 7. de potentia art. 11. quod relationes rationis, aliæ sunt per rationem *inuenta*; aliæ verò sunt *consequentes perfectissimum modum intelligendi.* Et ratio est; quia relatio rationis est ordo proueniens ex operatione intellectus: operatio intellectus, alia est fingens, & comparans, quæ in re comparisonem non habet, & ei tribuens hanc habitudinē: alia verò est operatio intellectus ordinate intelligētis, quamuis rei intellectæ explicite ordinē non attribuat. Sic ergo arguitur: omnis perfectio cognitionis est Deo attribuenda: aliqua entia rationis fiunt perfectissima Deitatis cognitione. Ergo Deus facit huiusmodi entia rationis. Probatur minor: relatio rationis tunc est formaliter, quando in intellectu est ordo inter ea, quæ realem ordinem non habent: sed perfectissima Deitatis cognitione cognoscitur essentia diuina vt diuersimode imitabilis à creaturis. Ergo est diuersitas cognita, quæ in ipso Deo non est realiter. Ergo est relatio rationis formaliter.

15. Secundò probatur conclusio, & via dissoluendi argumenta aperitur: nam cognoscere rem alter ac est, stat dupliciter: vno modo *ex parte cognoscentis tantum*; alio modo *ex par-*

*te rei cognita, & ex parte cognoscentis:* verbi gratia, lapis materialis cognoscitur ab intellectu immaterialiter; quia intellectus est spiritualis: si intellectus dicat, lapis *est immaterialis*, fallitur, & cognoscit rem aliter ac est ex parte obiecti: si verò dicat, lapis materialis *est in meo intellectu immaterialiter*; verum dicit: quia solū cognoscit rem aliter ex parte modi, non ex parte obiecti: quia vt ait S. Thomas 1. p. q. 13. art. 12. ad 3. *alius est modus intellectus in intelligendo, & rei in essendo.* Ergo in cognitione perfectissima potest cognosci res aliter ac est ex parte cognoscentis. Hoc autem sufficere ad esse formale entis rationis; probatur, quia ille *essendi* modus consequitur in intellectu; licet nō adinueniatur. Ergo in exercitio formaliter resultat relatio rationis. Deinde; priuationes, & mala Deus vere cognoscit; quia videns punit. Ergo in exercitio non ens in re; est ens in cognitione diuina: quia remotio cognita, est ens rationis formaliter in exercitio. Ergo plura entia rationis habent esse formaliter per actum diuini intellectus.

16. Obijcies ad probandū esse imperfectionē Deo repugnantē, vel vnum ens rationis formare. Nā omnis vera fictio, est vera imperfectio. Sed cuiuslibet entis rationis formatio est vera fictio. Ergo est imperfectio. Maior patet, quia fictio opponitur veritati. Minor verò probatur; primo, ex authore opusculi 42. apud D. Thomam, capit. 2. dicente, quod tunc *efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehen-*

*hendere, quod non est, & ideo fingit illud, ac si ens esset. Secundò probatur, quia cognitio perfecta, & sine fictione, est circa id quod est. Ergo est circa ens reale. Ergo ut fiat ens rationis, fingitur in ratione esse ens, quod in re non est: quod est fictio, & imperfectio.*

Respondetur, quod sicut entia rationis, alia sunt adiuuenta cognitione imperfecta; alia sunt cõsequuta perfectissimam cognitionem; ita, *fingere*, accipitur: vno modo *stride*: & sic significat attribuere, vel adiuuere, quod in re non est: & conuenit entibus rationis adiuuentis imperfecta cognitione: alio modo *fingere* sumitur *latius*, pro hoc, quod est in ratione formare, siue se tenent ex parte cognoscentis, siue ex parte rei cognite. Et sic omnia entia rationis sunt ficta, id est, formata à ratione, & sic absque imperfectione, & mendatio Deus format aliqua entia rationis, seã, ut propriè loquamur, aliqua entia rationis consequuntur perfectissimum intellectum Dei. Sed de his latius loco citato Metaphysicæ.

### QVÆSTIO X.

*Vtrùm secunda intentio sit semper ens rationis? & prima aliquid reale?*

**Q.** Via de ente rationis egimus, ut secundarum intentionum, quæ sunt formale in obiecto Logice notitium habeamus; ideo conuenienter de secundis intentionibus nunc disputamus.

§. I.

### Certa præmittuntur.

**P**ro quo notandum, ex P. Thoma q. 21. de veritate artic. 3. ad 5. quod hoc nomen *intentio* est æquiuocum; duas habens significaciones; in quarum vna frequenter vsurpatur a Philosophis Moralibus, & Theologis, & in alia communiter accipitur à Dialecticis, & Logicis. In Moralibus enim, *in emito*, significat actum voluntatis circa finem; nunc verò, *intento*, significat conceptum, rationem, seu attentionem intellectus, aut quamcumque eius operationem.

2. Item tenet notandum, quod cū conceptus sit duplex: alius *formalis*, nempe ipsa operatio interior intellectus, alius *obiectiuus*, nempe obiectum, quod operationi respondet: ita intentio pariter alia est *formalis*, quæ non differt ab ipsa operatione intellectus, & alia *obiectiuus*, quæ correspondet ut obiectum intentionis formalis. Necessitas huius distinctionis sumitur, ex eo quod eodem vocabulo nuncupantur habitus actus & eorum obiecta: ut, fides, appellatur habitus residens in intellectu, ipse actus credendi, & ea quæ credantur: ut enuncietur in symbolo *hæc est fides catholica*. Et cum 1. de eo loquitur *virtus est virtutum potentia*, sumitur virtus pro obiecto virtutis, ut exponit S. Thomas 1. 2. q. 55. artic. 1. ad 1. vnde cum actus intellectus, & obiectum eius, eodem voce significantur; ad discernendâ inter actum, & obiectum; actus dicitur *intento*

no formalis, & obiectum dicitur *intentione obiectiva*. Videatur S. Thomas in 1. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 3.

3. Aduertendum tertio, quod intentio vtraque est duplex; alia *prima*; alia *secunda*. Habetur hæc distinctio ex D. Thoma q. 7. de potentia art. 9. vbi loquens de intentionibus obiectiuis, ait; *prima intellecta sunt res extra animã; in qua primo intellectus intelligenda fertur. Secunda autem intellecta, dicuntur intentiones consequentes modum intelligendi; hic enim secundo intellectus intelligit, in quantum reflectitur supra se ipsum intelligens se intelligere, & modum quo intelligit*. Habetur etiã opusculo 56. apud D. Thomã, vbi dicitur: *intentionem secundam appello, illud quod intellectus secundo intelligit de re*. Latiusq; exponitur a D. Thoma in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. §. *Quintum ad secundum*. & inde prouenit, quod alia sunt nomina primæ intentionis, & alia secundæ intentionis, vt habetur opusc. 42. apud D. Thomã cap. 12. in principio, & expositum est lib. 1. Dialecticæ cap. 6.

4. Manifesta ergo relinquitur ex dictis, quod tam prima, quam secunda intentio formalis, sunt aliquid reale: quia sunt in anima sicut in subiecto, vt ait S. Tho. in 1. dist. 2. nempe ipsæ operationes animæ: quia etiã actus intellectus, quibus intelliguntur entia rationis, entia realia sunt, vt potè accidentia, & operationes intellectus. Sed de istis non loquimur in presenti; sed de intentionibus obiectiuis: quas sic describit M. Soto q. 3. vniuersalia, *prima intentio est id quod primo concipitur de re, id est, quod conuenit rei de se sine ref-*

pectu ad operationem intellectus. *Secunda intentio est quod secundo concipitur de re, id est, proprietatis, quæ consequitur in re per operationem intellectus*. Vbi constat, quod primo, & secundo concipi. nõ dicit solũ successiõnem operationũ, & temporis; nec exigit reflexionem stricte sumptã: sed solũ exigit, quod conceptus sit similitudo rei existẽtis extra animã: & sic dicitur conceptus primus, id est, rei conuenientis ante conceptũ, si verò concipiatur aliquid habens esse per operationem animæ, est secundus conceptus, seu nouus status ex solo conceptu proueniens. Licet diuersimode hoc contingat: quia aliquando conceptus fundamentũ remotũ est in re, vt in secundis intentionibus vniuersaliũ, aliquãdo verò finguntur hæc absque fundamento in rebus proximo, aut remoto, vt conceptio chimera. Quod totũ docet S. Thomas in 1. dist. 2. q. 1. art. 7.

5. Secundo ex dictis fit perspicuum, quod omnis secunda intentio obiectiua proprie, & formaliter sumpta, est aliquid rationis, vt docet S. Thom. locis relatis n. 3. & 4. Metaph. lect. 4. & ratio est manifesta: nã secunda intentio significat aliquid conueniens rei solũ prout cognita: ergo significat aliquid habens esse solum obiectiue in ratione.

6. Aduertit autẽ Caiet. capit. de genere, quod quia huiusmodi intentiones secundæ, quæ sunt relationes rationis, fundantur in rebus vt intellectis, & denominant eas, vt inductione constat in intentionibus vniuersaliũ, & in intentione subiecti & predicati, & similibus; nec in huiusmo-

di, duo cōsiderātur, scilicet, *intentio*, quæ relatio est; & *res subiecta intētio ni*, quæ denominatur ab illa relatione: sicut in quolibet cōcreto: & est forma, & est subiectū, seu substractū formæ. Secūde igitur intētionē pro formali sunt relationes rationis; & pro materiali, seu pro subiecto remoto, frequēter respiciunt aliquid reale, quātis propter reflexionē intellectus fundantis vnā relationem super aliam; aliquando ipsæ intētionē rationis possint esse materialē substractum aliarū secundarum intētionū: quia ens rationis potest diuidi in suas species, & genus est species vniuersalis, & sic de alijs.

§. II.

*Vtrum prima intentio sit ens rationis?*

7 **H**Æc cum certa sint, remanent duo dubia. Primū, vtrum prima intentio obiectiua formaliter sumpta sit semper aliquid rationis? Secundum, quod sit secundæ intētionis fundamentum proximum, & remotum?

Circā primum, prima sententia affirmat primam intētionem formaliter, & in rigore acceptā semper esse aliquid rationis. Ita docuit acutissimus M. Herveus tract. de intētionibus q. 1. & 2. quæ sequitur M. Petrus Bruxelensis de ente, & essentia q. 25. & M. Araujo lib. 3. Metaph. q. 2. art. 2. & q. 3. artic. 1. & vt probabilem tueretur M. Sanchez lib. 2. Logicæ q. 2. conclus. 13. quæ est ultima. ¶ Et probatur primò: quia

primā intētio formaliter, & in rigore, nō dicitur de re cognita materialiter sumpta; sed de illa relatione ad intellectū cognoscentē, cui subest quādo cognoscitur. Sed vnūquodque supponit pro illo, de quo proprie, & in rigore dicitur. Ergo, etiā si prima intētio materialiter sit aliquid reale; formaliter, & proprie sumpta, est aliquid rationis. Maior probatur: nā res secundæ se nō sunt intētionē; sed per respectū ad intellectū primo cōcipiētē. Ergo ille respectus est formaliter ipsa intētio.

8 Secūdo probatur: nā alias sequeretur, quod prima, & secundæ intētio nō diuiderent vniuoce intētionē vā sic: & quod intētio per prius diceretur de prima, quā de secundā: cui opposit. docet S. Th. opusculo de natura generis. Et quod nō esset absolute cōcedendū primas intētionē esse fundamenta secundarū. Quæ omnia falsi sunt. Ergo. Sequela probatur: nem nullū diuisum potest vniuoce diuidi in duo mēbra, quorū alterū sit adæquate ens rationis, alterū verò sit ens reale adæquate, vel inadæquate. Et in diuisione analogæ diuisum prius cōuenit mēbro nobiliori, Et etiā ab omnibus est cōcedendū, quod secundæ intētio, quia purissimū ens rationis est, fundatur proxime in alio ente rationis, quod est prima intētio. Hæc sunt argumenta M. Araujo.

9 Alia superaddit Sanchez, ex quo tertio arguitur: nam esse intētionem, siue primam, siue secundam, nihil aliud est, quam esse obiectum, & terminum tendentiæ intellectus in rem. Sed hoc est

accidens illi, & relatio rationis, vt de se patet. Ergo maior patet: nam sicut de ratione secundæ intentionis est quod terminet secundam attentionem intellectus; ita de ratione primæ est, quod terminet primam: ergo refertur ad intellectum, cuius actum terminat. Nam terminus; ad id cuius est terminus refertur; vt filius ad patrem.

Quartò probatur: nam hæc prædicatio, *homo est prima intentio in concreto*, est prædicatio vera, formalis, & non identica. Ergo prædicatum dicit formam subiecti. Non substantialem, & essentialem: alioquin semper conueniret; & esset genus, vel differentia, vel aliquid transcendens; quod manifeste est falsum. Nō dicit formam accidentalem realem: quia esse intentionem nihil reale ponit in homine; & est aliquid quod potest conuenire canera. Ergo restat, quod sit forma rationis. Sed non est negatio; vt per se notum est. Ergo est relatio rationis. Ergo sequitur, quod prima intentio formaliter est relatio rationis.

10 Aduertunt tamen frequenter huius sententiæ authores, quod licet omnis prima intentio respiciat intellectum vt causam; quia hoc est generale omni enti rationis, quod habeat esse à ratione, & obiectiue in ratione: non tamen omnis prima intentio respicit intellectum vt correlatum: quia in ordine ad diuersos terminos speciales differunt inter se specie; vt inductiue constat,

## §. III.

*Vera sententia.*

11 **N**ihilominus secunda sententia negat primam intentionem esse formaliter obiectiue sumptam aliquid rationis; imò dicit, quod per se loquendo prima intentio est aliquid reale. Ita tenent M. Soto q. 3. vniuers. art. 1. Caiet. cap. de genere Masias fest. 4. de vniuers. quaest. 2. PP. Carmel. disp. 2. q. 5. n. 40. M. Ioan. à S. Thoma q. 2. art. 2. A. idacus à Iesu disp. 3. q. vlt. Fonseca 5. Metaph. cap. 7. q. 6. lect. 3. & lib. 1. Dialect. cap. 32. & passim alij. Et videtur omnino vera, & expressa S. Thomæ q. 7. de potentia artic. 9. & alijs locis relictis. Et habetur opusc. 48. apud D. Thom. tractatu de prædicabilibus cap. 1. vbi dicitur, *ipsum hominem v. suum dicitur esse prima intentio*. Nempe natura extrinsece cognita, vel abstracta.

Ex quo probatur primò ex definitione primæ intentionis obiectiue: nam prima intentio obiectiua est, quod primo conceptu conceptatur; vel est id quod conceptatur ex se & nō ab ore re intellectus. Sed hoc manifeste, per se loquendo, est aliquid reale: nam id quod est reale, est prius & prius eo quod est rationis. Ergo prima intentio obiectiua est aliquid reale.

12 Vel aliter: prima intentio obiectiua est significat, primæ intentionis formalis; & quod exprimitur termino primæ intentionis; sed prima intentio formalis repræsentat aliquid existens extra animam; & terminus primæ intentionis dicitur illud, quod

exprimunt, id quod rei conuenit ex se, non per ordinem ad conceptam mentis, Ergo nihil deest primæ intentioni obiectiue, vt sit aliquid reale.

Respondent, quod significatum termini primæ intentionis est, prima intentio large sumpta, id est, siue materiale illius, siue formale. siue quidquid non fuerit secunda intentio. Ex quo solum habetur, quod prima intentio materialiter, & casualiter sit ens reale: cum quo comparatur, quod formaliter sumpta, sit relatio rationis.

13 Huic euasioni, obstat primo quod sequitur ex antiquis definitionibus primæ intentionis, non posse nos deuenire in illud, quod in illa se habet formaliter. Consequens autem est absurdum; sicut si quis vellet tradere hominis physicam definitionem, & in illa omitteret animam rationalem. Item, sequitur quod antiqui curarint definire intentionem large sumptam; omiserunt definitionem intentionis strictè sumptæ.

Præterea: secunda intentio obiectiua formaliter, & proprie sumpta, est quod secundo intellectus concipit de re: ergo prima intentio obiectiua, formaliter, & præse sumpta, est quod primo concipitur. Eodem, ea quæ conueniunt rebus ex se, & sunt entia realia; si extrinsece dicantur cognita, vere sunt intentiones obiectiue: quia sunt obiectum intentionum formalium. Sed non sunt secundæ intentiones, vt patet. Ergo sunt intentiones primæ.

14 Vt autem radicibus probeur conclusio, & euellantur fundamenta contraria, notandum hic posse esse quæstionem de re; & quæstionem de uocum proprietate, & usu. Quæstio de re erit, vtum opus sit aliquid ens rationis formare, quod denominet rem primo conceptam, vt dicitur prima intentio, & vt possit fundare secundam: quæstio vero de uoce erit, an hæc uox, *prima intentio*, sit imposita ad significandam hanc relationem rationis; an uero principaliter, & directe significet entitatem realem, & solum ex consequenti & committenter importet relationem consurgentem ad intellectum, vel ad alium terminum?

Et asserimus talem relationem non esse necessariam, quia sufficit denominatio extrinseca cogniti: quam formaliter esse aliquid reale, diximus quæst. 7. num. 7. & quia antequam reflexe cognoscatur illud extrinsecum, vt quid intrinsecum in obiecto, iam est totum, quod exigitur vt dicatur, & sit prima intentio obiectiua quia est primum obiectum intellectus.

Rursum asserimus, quod adhuc, quando talis relatio fingitur, vel formatur, illa non exprimitur directe nomine primæ intentionis, sed solum ex consequenti: vt definitiones manifestant; & constat à simili, ex dictis r. p. Met. p. de significato unius, veri, & boni.

15 Ex quo, ad primum argumentum negatur maior. Ad probationem dicitur, quod res non cogitur non sunt intentiones; sed ipse vt ex-

extrinsece cognite. Cognitio autem nihil ponit intrinsecum, nec reale, nec rationis in re cognita; sed solā extrinsecam denominationem extrinsecus adiacentem, & ad illam realiter extrinsece se habentem. Unde S. Thomas 1. p. quæst. 14. artic. 13. ad 3. in fine docet q, *quod hoc quod dicitur scitum, non importat aliquam dispositionem subiecto inherentem; sed importat actum scientis ipsi rei scite*: quæ est formalis extrinseca realis denominatio adiacens, & non inherens.

16. ¶ Ad secundum dicimus, quod duo priora non reputamus inconuenientia. Nec oppositum habetur in illo opusculo (quod non est S. Thomæ) sed potius nostra sententia: ut patet ibi cap. 4. & 12.

Præterquam quod dici posset, quod licet in esse entis analogentur; possent vniuocari, in hoc quod est esse obiectum, vel significatum intentionem mentalem, & uocalliam: sicut diximus Logicam esse uere scientiam cum scientijs realibus; quamuis tractet de ente rationis. De tertio inconuenienti dicitur dubio sequenti.

17 Duobus alijs argumentis respondetur. probare quod esse intentionem est predicatum accidentale; sed non est semper intrinsecum; sed in primis intentionibus sufficit denominatio realis extrinseca: quia anrequam formetur ad instar entis, & quasi aliquid intrinsecum in obiecto, illud dicitur obijci, & terminare, & representatur conceptu, & uoce: unde uere obiectiue dicitur prima intentio sumpta denominatione ab extrinseco actu intelle-

ctus. Et pure terminare est denominatio extrinseca, referre autem intrinsece; vel est per relationem formatā postea ab intellectu; vel per relationem realem quādo ex parte utriusque extremi est reale fundamentū. ¶ Et sic ad ultimum dicitur, illā prædicationem esse uerā, & formalem, & accidentalem, ad minus prædicabiliter: ad quod nō exigitur intrinseca forma; sed sufficit denominatio extrinseca cogniti, vel abstracti.

18 Sed adhuc inflabis, ad probandum, quod saltem aliqua primæ intentiones obiectiue, formaliter sumptæ, sint aliquid rationis: nam in lapide esse uisum, u. g. est ratio formalis secundū quā terminat primū conceptum intellectus cognoscētis in lapide esse uisum ad modū formæ in ipso lapide existētis, cum re uera non sit aliqua forma realis in illo. Ergo lapis constituitur formaliter in esse obiecti uisus conceptus per aliquā formam rationis. Sed illa non potest esse secunda intentio; utpote, quia fundatur proxime in aliquo reali, nēpe in uisione ad lapidem terminata: ergo est prima intentio obiectiua rationis; ac per consequens; iam aliqua primæ intentiones formaliter sumptæ sunt aliquid rationis.

Isto argumento conuincitur M. L.ermalib. 2. q. 7. cōcl. 2. ad afferendū, quod aliqua primæ intentiones obiectiue formaliter sumptæ sunt aliquid rationis; licet alie sint aliquid reale.

19 Facile tamen respondetur, quod esse uisum formaliter extrinsece, est aliquid reale; si uero sumatur quasi forma intrinseca, & ut aliquid fictū quasi insit lapidi, erit ens ratio-

nis; sed non prima intentio, sed secunda; quia illa denominatio extrinseca est prima intentio obiectiva: nam ista, ut bene notauerat P. Didacus à Iesu disp. 3. q. vlt. includit in se omnia entia realia, quæ intellectus cognoscit in rebus: includit etiã omnes negationes, & priuationes entium realia, præcisè ut carentiã dicunt; quia ut sic ante intellectum sunt, iuxta dicta q. 7. n. 12. includit etiã omnes denominationes extrinsecas. Ibi excipit extrinsecã denominatione proueniẽte ab actu intellectus. Nos tamẽ iam diximus hanc etiam esse aliquid reale; si sumatur extrinsece & sic erit prima intentio: si vero ingatur ut forma intrinseca, iã erit secunda intentio fundata in prima: de cuius proximo fundamento iam dicemus dubio sequenti. Nũc concludimus, quod prima intentio obiectiva formaliter sumpta semper est aliquid reale: nisi cũ intellectus reflectitur supra suas intentiones, & aliquod ens rationis accipit quasi substractum alterius, & secundã intentione accipit sicut primã, & illã denominat ab alia secunda intentione, iuxta dicta n. 6.

## §. IIII.

*Utrum fundamentum proximum  
secundæ intentionis sit semper  
aliquid rationis?*

20 **N**on solum authores, qui ex formaliter esse aliquid rationis; sed etiam plures ex his, qui nobiscum tenent per se loquendo esse quid reale; arbitrantur quod secundæ in-

tentiones proxime fundantur in aliquibus primis intentionibus rationis; licet habeant fundamentum remotum à parte rei. Ita docet, & late probat M. Säch. lib. 2. q. 3. conc. 5. M. Lerma q. 8. concl. 2. obiter Mag. Ioann. à S. Thoma q. 3. art. 4. ad confirm. 2. argum. unde quando in Dialectica q. 4. artic. 1. ad vltimum, in prima editione, dixit, quod non est inconueniens secundam intentionem fundari in aliqua prima reali, & habere illam tanquam subiectum denominationis. Loquitur de fundamento remoto, quod vocatur subiectum extrinsecum, & fundamentum, ut subsequenti eius verba declarant. Sed quid sit de hoc.

21 Hanc sententiã probat Sánchez, primo: nam secundum D. Thomam, nomina secundarum intentionum, sunt illa, quæ significant proprietates conuenientes rebus, prout habent esse in intellectu: sed habere esse in intellectu, est esse cognitum in actu primo, vel secundo; quod est aliquid rationis. Ergo semper secunda intentio fundatur in ente rationis, & in cognitione passiuã intellectus, quod vocatur esse cognitum.

Secundo quia secundæ intentiones rationis, cum sint purissima entia rationis, & magis perfectaingere entis rationis, magis debent dependere ab intellectu, quam cetera entia rationis: sed cetera entia rationis dependent ab intellectu, quantum ad actuale existere, iuxta dicta q. 7. §. 2. ergo secundæ intentiones dependent ab intellectu, adhuc quod fundamenta

Tertio id probatur inductione, in secundis intentionibus vniuersalium, in intentionibus subiecti, & prædicati, propositionis, & syllogismi: nam omnes fundantur in esse cognito, ac proinde, in aliquo rationis.

Demum, si secundæ intentiones fundarentur in rebus immediate secundum suum esse reale, semper rebus conuenirent: quod est à parte falsum. Ergo fundantur in aliqua denominatione rationis: quia denominatio realis, nunc locum non habet: quia nihil reale substantiale, vel accidentale ponit in re denominata.

Alij eandem sententiam probant; quia alias non haberent secundæ intentiones in quo distinguerentur à primis intentionibus rationis.

12 Dicendum tamen est; non opus esse quod fundamentum proximum secundæ intentionis sit aliquid rationis; sed sufficit denominatio extrinseca cogniti. Ita M. Soto quaest. 3. vniuers. artic. 1. 8. *si quis tertio*. Caietanus capit. de Genere, & 1. p. quaest. 28. artic. 1. 8. *ad hoc*. PP. Carmelitani disput. 2. q. 3. num. 42. in fine P. Suarez disp. 54. Metaph. sect. 6. num. 7. & 8. & videtur sect. 2. num. 14. quos alij sequuntur. Et fauet non parum S. Th. in 1. dist. 2. quaest. 1. art. 3. & q. 7. de potentia art. 11. vt dicemus tractando qua operatione fiat vniuersale formaliter.

Et à priori probatur. nam postquam quod intellectus cognoscat obiectum ad extra, ponitur quidquid requiritur vt alia cognitione secun-

do illud obiectum cognoscatur, & in illo aliquod ens rationis formetur: ergo ponitur fundamentum proximum secundæ intentionis. Consequentia est manifesta, ex dictis, num. 3. & 4 de definitione secundæ intentionis. Antecedens vero probatur: quia ad secundo cognosci, tantum debet præcedere, speciei abstractio, & obiecti prima cognitio. Sed in hoc præcisse non est formatum ens rationis; quia saepe diximus denominationem extrinsecam esse aliquid reale. Ergo potest intellectus fundare secundam intentionem immediate in aliquo reali.

24 Secundo, denominatio ab extrinseco, tunc solum est ens rationis, quando ad instar formæ intrinsicæ cognoscitur ac si esset aliquid in illo, in quo intrinsicè non est. Sed experimur saepe, absque ista fictione interueniente, tribuere conceptibus, vel rebus intellectis denominationem subiecti, vel prædicati, & similes secundas intentiones Logicales. Ergo non opus est ens rationis formare, vt proximum fundamentum secundæ intentionis.

Probatum tertio ex dictis: quia proximum fundamentum secundæ intentionis est prima intentio: sed prima intentio obiectiua per se loquendo est aliquid reale, ac huc si sumatur formaliter. Ergo secunda intentio obiectiua proxime fundatur, regulariter, & per se loquendo, in aliquo reali.

25 Potissime probatur, quia de bilissima sunt argumenta, quibus probatur indigentia huius funda-

menti rationis; & sine necessitate nõ est cur adstringamur, quod semper, cum est formanda secunda intentio, debeamus aliud ens rationis formare. Antecedens probatur, percurrendo rationes primæ sententiæ.

Ad primam dicimus, potius sequi oppositum: quia esse cognitum est denominatio realis extrinseca: quia est ipse actus intellectus, vt extrinsece tangens obiectum: nec opus est vt cognoscatur vt quid intrinsecum obiecto, vt tribuantur ei denominationes, & intentiones secundæ rationis.

26 Ad secundam dicitur, quod aliqua entia rationis fundantur in reali absentia perfectionis, quæ est in re; vt sunt negationes, & priuationes: aliquæ relationes rationis fundantur immediate in ipsa re: vt relatio creatoris, quæ à nobis consideratur in Deo, & relatio similitudinis, quam in essentia diuina habent personæ S. S. Trinitatis; & aliæ relationes rationis, quæ fundantur, vel in actibus voluntatis, vel in actibus aliarum potentiarum ab intellectu. Cæterum secundæ intentiones fundantur in actibus ipsius intellectus, non solum vt in causa existentis; sed vt in fundamento denominationis. Quia tamen hoc esse cognitum est quod extrinsecum obiecto, & aliquid reale in se, iam verificatur non opus esse semper fundamentum proximum secundæ intentionis esse ens rationis formaliter. quamuis propter reflexionem intellectus, aliquando id contingat

nunt aliquid falsum; quod denominatio extrinseca cogniti non sit quid reale: cõtra ea quæ supra diximus. ¶ Vltimum etiam supponit, quod primæ intentiones, per se loquendo, non sint quid reale: quod impugnatum est §. 3. Quando vero vnum ens rationis fundantur in alio; prima intentio differt à secunda: quia illa formatur, ac si esset subiectum, seu per modum abstracti; ista vero per modum vltimæ forme adiuuentæ à ratione, & alteri attributæ.

## QVÆSTIO XI.

*Vtrum vniuersalia sint in rebus?*

**Q**UAMquam Porphirius, qui fuit author tractatus prædicabilium, quæstiones de natura vniuersalium dixerit nunc omittendas, vt pote excedentes captum Logicorum, & directe expectantes ad subtilitatem Metaphysicorum; tamen vsus invaluit vt de vniuersalibus longa præmittatur disputatio ante tractatum quinque Prædicabilium; quia ista sine illis difficile percipi possunt. Nos ex vna parte cedentes multitudini; & videntes doctrinæ necessitatem; & ex alia attendentes incipientium capiatem; curabimus necessaria non omittere, & in subtilitatibus Metaphysicis non multum detineri nunc: quia longior de his erit disputatio prouentioribus auditoribus in 2. t. nostræ.

Metaphysi-

## §. I.

*Acceptiones vniuersalis.*

2. **S**ola attenda vocis consueta significatione, constat, quod vniuersale dicit vnum respiciens plura. Quia tamen hoc multis modis potest contingere; ideo vniuersale tribus, vel quatuor modis accipitur. *Vniuersale in causando, in representando, in essendo, & predicando.* Vniuersale in causando est causa eminentis habens virtutem, & causalitatem in effectus diuersæ rationis; sicut coelum est causa vniuersalis respectu inferiorum corporum: & Deus est causa vniuersalis respectu omnium entium; respectu cuius etiam ipsum coelum est causa particularis, vt probat S. Thom. quest. 6. de Potentia artic. 1. ad 2. vniuersale in representando est vox, vel imago, seu verbum internum significans plura, vt hæc vox; *animæ*, aut eius conceptus, vel verbum significant omnia viuentia sensibilia, nempe, homines, equos, & leones, & alia huiusmodi viuentia sensibilia: quia id intelligimus per *ly, animal*. Vniuersale in essendo est id, quod inuenitur in pluribus cum aliqua vnitatem, vel conuenientiam: & vniuersale in predicando est quod de pluribus affirmari potest. Vnde opusculo 48. apud D. Thomam cap. 1. de predicabilibus dicitur, quod vniuersalia dicuntur prout intellectus attribuit eis esse in pluribus: predicabilia vero dicuntur prout intellectus attribuit eis dici de pluribus. It istis duobus modis nunc precipue inquirimus,

3. Secundo notandum, quod vniuersale diuidi solet in vniuersale *Metaphysicum*, & vniuersale *Logicum*. Quorum distinctionem explicant quidam Recentiores dicentes; quod ad *Metaphysicam* pertinet vniuersale prout est vnum, quia ad eam spectat agere de entitatibus rerum secundum se, & de earum vnitatem, ac multiplicitate. Ad *Logicam* vero pertinet, prout supra vnitatem addit aptitudinem, vt sit in multis, & de illis predicetur.

Hæc explicatio displicet. Primo, quia, vt videbimus, est contra mentem Antiquorum, qui distinctionem adiuenerunt. Secundo, quia vnitatem sine pluralitate, non est vnitatem vniuersalis, sed indiuidui, & singularis, condistincti contra vniuersale: vnde si *Metaphysica* tractat solum de vnitatem, non ager de vniuersali. Rursus, multitudo sine vnitatem est ens per accidens, & sicut acerbus arenam, vel lapidum. Ergo si *Metaphysica*, & *Logica* tractant de vniuersali, ambae debent considerare vnitatem, & pluralitatem. Denique, vt ipsi fatentur postea; de vniuersali materialiter, seu de naturis ipsis, omnes scientia tractant: quia vt dicitur in 3. libro, scientia sunt de vniuersalibus; de vniuersali formaliter, vt ipsi dicunt, tractat *Metaphysica*. Ergo non restat in quo differat à *Logica*: nisi incidet in sententiam S. Thomæ, & nostram, quod *Logica* per se tractet de secundis intentionibus. Quod tamen antea non admitterat.

4. Aliter ergo dicitur: quod, vt notat S. Thom. 1. p. quest. 85. art.

3. ad 1. & lib. 2. de Anima lect. 12.  
 & opusc. 35 in medio. & opusc. 56.  
 & alibi saepe; sed praecipue lib. 7.  
 Metaph. lect. 13. vniuersale dupli-  
 citer potest accipi. Vno modo pro  
*ipsa natura*, cui intellectus attribuit  
 intentionem vniuersalitatatis: & sic  
 vniuersalia, vt genera, & species;  
 substantias rerum significant, &  
 praedicantur in quid: animal enim  
 significat substantiam eius, de quo  
 praedicatur; & homo similiter. A-  
 liomodo potest accipi *vniuersale*, in  
*quantum est vniuersale*, & secundum  
 quod natura praedicta subest inten-  
 tioni vniuersalitatatis, id est, secun-  
 dum quod consideratur animal,  
 vel homo, vt vnum in multis. Pri-  
 mo modo vocatur vniuersale pro  
 abstracto, & materialiter: quia est  
 subiectum secundae intentionis: &  
 secundo modo vocatur vniuersale  
 formaliter: quia iam consideratur  
 sub intentione, quae est forma vni-  
 uersalitatatis.

Et hinc prouenit, quod primo mo-  
 do vocetur vniuersale Metaphysi-  
 cum, & secundo modo vniuersale Lo-  
 gicum. Quorum nominum ratio-  
 nem in simili tetigit S. Thomas dic-  
 ta lect. 13. lit. c. docens, quod Logi-  
 cus considerat res secundum quod  
 sunt in ratione, & ideo considerat  
 substantias, prout secundum accep-  
 tionem intellectus subsunt inten-  
 tioni vniuersalitatatis. Sed Philoso-  
 phus primus, id est, Metaphysicus,  
 considerat de rebus secundum quod  
 sunt entia. Et ideo Metaphysicus  
 principaliter agit de natura vniuer-  
 sali; Logicus vero directe, & prin-  
 cipaliter de ipsa intentione vniuer-

salitatis. Et sic verificant Philoso-  
 phus, & S. Thom. 4. Metaph. lect.  
 4. littera b. quod Logica, & Meta-  
 physica agunt de omni ente.

5 Obijcies: nam commune est  
 omni scientiae, quod tractet de vni-  
 uersalibus: quia de singularibus non  
 est scientia: vt docet Philosophus.  
 1. Poster. textu 11. & 2. de Anima  
 textu 60. ergo hoc non est peculia-  
 re Logicae, & Metaphysicae.

Respondetur obiectum scientia-  
 rum esse peculiare entium natu-  
 ras, & conditio generaliter requi-  
 sita est vniuersalitas: sicut docet Ca-  
 ietanus 4. cap. de ente, & essentia.  
 dub. 3. quod id quod praedicatur est  
 natura; & conditio praedicandi est v-  
 niuersalitas, & superioritas: at-  
 vero obiectum Metaphysicae est  
 ens commune; & ideo vniuersali-  
 tatem, quae est prima intentio,  
 respicit non solum vt conditio-  
 nem generalem (in quo conue-  
 nit cum alijs scientijs) sed vt par-  
 tem, vel proprietatem sui obiecti (in  
 quo ab alijs differt) quia vt docet S.  
 Thomas lib. 1. contragentes cap.  
 65. ratione 3. vniuersale, & singu-  
 lare sunt differentiae, vel per se pas-  
 siones entis: quod est obiectum Me-  
 taphysicae. Et ita ipsa entitas, & pri-  
 ma intentio vniuersalitatatis dicun-  
 tur vniuersale Metaphysicum;

& secunda intentio vniuer-  
 sale Logicum. Et de  
 his inquirimus  
 an dentur?

\*\*\*

## §. II.

*Dantur naturæ vniuersales.*

**D**ico primo, in rebus sunt naturæ, quæ dicuntur vniuersales. Ita Philosophus 1. Poster. & 2. de Anima & lib. 1. & 7. & 10. Metaph. vterudite probat M. Soto quæst. 1. vniuersal. conclus. 2. & est S. Thomæ locis relatis num. 4. & communis. Rationeque probatur primo; scientiæ reales sunt de rebus, quæ sunt à parte rei extra animam: sed scientiæ non sunt de singularibus, sed vniuersalium, vt docet Philosophus locis relatis. Ergo in rebus dantur vniuersalia. Maior patet; quia habemus scientiam de cœlis, de elementis, plantis, & animalium, quantitatibus, & similibus quæ sunt in rerum natura. Minor vero probatur primo: quia scientia est cognitio certa; & euidens rei, quæ aliter esse non potest: sed singularia corruptibilia sunt, & mutabilia, & nunquam in eodem statu permanent: & hac ratione Heraclitus, & Cratillus; qui negauerunt esse in rebus naturas vniuersales, negauerunt subinde esse scientias rerum, vt referunt Philosophus, & S. Tho. 4. Metaph. lect. 12. in fine. Ergo admittendo esse scientias rerum, negari nequit dari in rebus naturas vniuersalium. Secundo probatur prima minor: eiusdem est definitio, ac scientiæ; definitio autem non est singularis, sed vniuersalis, vt docet Philosophus 7. Metaph. text. 37. & 3. & patet, quod quando

dico, *animal rationale*, non definitio solum Ioannē aut Petrum, sed hominem in communi. Ergo definitio, & scientia est vniuersalium, quæ dantur in rebus.

7 Obijcies: aliquid esse corruptibile non obstat vt sit scibile. Ergo, etiam si singularia sint corruptibilia potest de eis esse scientia; & ita ex hoc quod dantur scientiæ, non sequitur, quod in rebus dantur naturæ vniuersales. Probatur antecedens: omnia sublunaria sunt corruptibilia: de omnibus sublunariis est scientia. Ergo de corruptibilibus est scientia.

Dices: omnia sublunaria esse corruptibilia per aliud, nempe ratione singularium, non tamen per se: quia natura est in corruptibilis.

Contra: id quod conuenit vt propria passio, conuenit per se, & cõpetit indiuiduis ratione naturæ, & nõ contra: in hoc enim differunt ab accidentibus communibus: sed corruptibile est propria passio constantium materia non sauiata forme, & composito ex contrarijs. Ergo rebus sublunariis per se competit corruptibilitas.

Iterum respondebis; quod quantum ad radicem corruptibilitas prius conuenit naturæ, quam indiuiduis; sed quantum ad exercitium, est cõtra: quia natura non corrumpitur, nisi ad corruptionem indiuiduorum.

Ceterum ex ista doctrina non videtur solui, sed maiores vires videtur sumere argumentum: quia illa doctrina est generalis de omni propria

pria passione: vnde inquit S. Thomas cap. 7. de Ente, & essentia, *quo ad accidentia, quae consequuntur formam, sunt propriae passionis, vel generis, vel speciei: vnde inveniuntur in omnibus participantibus naturam.* Sed non obstat in alijs passionibus vt sciantur. Ergo etiam corruptibilitas non obstat sciibilitati. Deinde, vt docet Philosophus in cap. de Substantia, *non existit. b. s. primis substantiis: impossibile est esse aliquid altiorum.* Ergo si de facto exercetur corruptio in indiuiduis, saltem secundo, & per accidens vniuersalia corrumpentur, & desinent esse. Ergo de illis non erit scientia realis, quia non est ista de non ente.

8 Respondetur, quod esse incorruptibile contingit dupliciter: vno modo *physice, & positive*: alio modo *metaphysice, & negative*. Primo modo entia spiritalia, & quae non continentur ex contrarijs sunt incorruptibilia, vt Angeli, & Coeli, & animal rationalis: & si entia sublunaria sunt corruptibilia, secundo modo omnes quidditates rerum sunt incorruptibiles, quia connectio praedicatorum est essentialis, & secunda se non dicunt aliquid corrumpens, & mutabile. Et hoc modo verificat S. Th. 1. 2. q. 16. art. 7. ad 2. & q. 5. de potentia vti. 9. ad 16. quod vniuersalia sunt sepe, & vbiq; & quod sunt aeterna, & immutabilia. Et vid. d. Ferrara 2. contrag. cap. 84. & quae nos diximus 1. p. Metap. contr. 12. art. 9. igitur corruptibile physice; si fundet connexionem necessariam, & quae alter esse non potest, potest sciri: sed singularia corruptibilia vt talia, hanc non fundant; & ideo bene

deducitur dari naturas vniuersales, ex eo quod rerum corporalium detur scientia veritatis aeternae, & immutabilis.

9 Praeterea principaliter probatur conclusio à M. Soto, ex communi modo concipiendi hominum, qui maximum pondus habet in Logica: nam dicimus, *haec herba nascitur in horto meo; hoc animal est in Hispania frequenter*; rursus, concipimus animalia esse eiusdem generis, homines esse eiusdem speciei: sed nihil horum verificatur praecise de singularibus: quia omnes norat, quod haec singularis herba, non nascitur in horto alio; nec hoc numero animal est in alijs terris. Et similiter, maius fundamentum habemus, vt affirmemus, homines esse vnius speciei; quae id posset dici de omnibus animalibus: & pariter, aliquam conuenientiam inuenimus in re inter animalia, quam non reperimus inter quilibet, & lapides. Ergo aliquo modo naturae vniuersales dantur in rebus.

10 Lenum probatur: nam *nomines sunt signa conceptum, & conceptus sunt rerum essentiae*: vt dicitur 1. Perier. sed termini, quidam sunt communes, significantes plures sub vna ratione, & sunt capaces signorum vniuersalium, vt dicendo, *omnis homo*, vel *omne animal*. Ergo etiam res aliquae sunt vniuersales praedictis terminis correspondentes. Vnde inquit Philosophus 1. Perier. lect. 10. in principio, *quod rerum aliae sunt vniuersales, aliae particulares.*

Confirmatur: nam si vocibus

communibus immediate correspondent ipsa singularia, & non natura cõmunis; sequitur quod quando dico, *Petrus est homo*, esset falsus, *Petrus est omnes homines* & quando dico, *homo currit*, vel *homo est iustus*, esset idẽ, ac dicere, *omnis homo currit*, vel *omnis homo est iustus*. Sed hoc est aperte falsum. Ergo vocibus vniuersalibus immediate correspondet natura, quæ dicitur cõmunis, & vniuersalis. Sequela est manifesta: nam voce exprimitur immediatum eius significatum. Sequelæ verò falsitas non eget probatione: nam illæ propositiones absque dubio sunt veræ; & essent manifeste falsæ, si illum sensum redderent.

## §. III.

*Non differunt realiter à singularibus.*

**D**ico secundò, naturæ vniuersales esse nequeunt à singularibus realiter separari, & per se subsistentes. Ita docet Philosophus cõtra Platonem; de quo refert posuisse ideas, seu naturas quasdam vniuersales separatas, vt essent principia indiuiduorum naturæ. Ita citant Philosophus 1. Metaphysicæ, capitul. 6. & lib. 7. capit. 8. & S. Thom. lib. 1. lect. 10. & lib. 7. lect. 13. & 14. & 1. p. q. 15. artic. 1. ad 1. & q. 84. art. 1. Verum quia S. Augustinus lib. 33. q. 9. 46. & lib. 7. de Ciuitate cap. 28. & lib. 12. capit. 26. & alij authores grauissimi, Platonem conuincunt exponere de ideis, quas Theologi admittunt

esse in mente diuina; ideo de mente illius multi dubitãr; de quo non vacat disputare. Eruditissime id exponunt Masius sect. 2. de vniuers. q. 1. Sanchez lib. 2. q. 13. PP. Cõnimb. in præfatione Porphirij q. 1. artic. 3. & videndus S. Thomas lib. 3. Met. lect. 11. litt. c. & e. & lib. 1. de Anima lect. 8. in principio. Et lib. 4. de regimine principũ cap. 4.

12 Sed conclusio communis probatur primò: natura cõmunis est de essentia singularium: sed esse nequit de essentia singularium, & ab eis realiter distingui, & separari. Ergo non dantur naturæ vniuersales realiter à singularibus separata. Maior patet; quia hic homo, nempe, *Petrus*, essentialiter est *homo*, & *animal*, & *substantia*. Minor verò probatur: quia prædicatio est signum conuenientis, vel identitatis eorum, quæ prædicantur: ergo quæ realiter separantur, nequeunt vere, ne dum essentialiter prædicari.

13 Secundò probatur: nam sequitur illam naturam esse singularem, & non esse singularem esse vniuersalem, & non esse vniuersalem: quæ sunt contradictoria, quæ de eodem verificari nequeunt. Vt sequela probetur supponenda est definitio vniuersalis, & singularis, quæ traduntur à Philosopho, & D. Thoma 1. Periher. lect. 10. his verbis: *Vniuersale dicitur, quod de pluribus aptum est prædicari, quale est homo: singulare autem, quod illam legem subire nequit, quale est Callias, Socrates, vel Plato.* Vel vt definiunt 7. Metaph. tex-

textu 14. Iect. 13. *vnuerſale eſt, quod pluribus eſſe natura eſt.* Ex quo ſic arguitur: illa natura ſeparata a ſingularibus, eſſet vnuerſalis, vt ſupponitur: ſed ex alia parte, probatur quod non eſſet vnuerſalis, ſed ſingularis: illa natura eſſet exiſtens: ſed omne exiſtens eſt ſingulare. Ergo illa natura non eſſet vnuerſalis, ſed ſingularis. Probatur minor: omne exiſtens eſt extra cauſas & habens vltimam actualitatem: ergo eſt ſingulare, ſupponens naturam indiuiduam ſub determinata actione agentis, quæ ſolum eſſe poteſt circa ſingularia. De quo videatur S. Thomas q. 9. de Potentia artic. 5. ad 13.

14 Hæc ratio, ſi bene attendatur, non ſolum probat de facto non dari vnuerſalia à ſingularibus ſeparata, quæ de illis eſſentialiter prædicentur; ſed oſtendit ex parte facti eſſe implicationem contradictionis. Vnde nec de potentia abſoluta dari poterunt, vt late probant Soncinas lib. 7. Metaphyſ. q. 41. & Sanchez lib. 2. tota q. 14. quia eſſet, ac ſi daretur myſterium S. S. Trinitatis in creaturis. Quod implicat: alioquin Deus non eſſet ſupra omne ſ. Etibile.

15 Sed inſtabis contra definitionem vnuerſalis: nam natura diuina eſt vna in tribus perſonis, de quibus etiam eſſentialiter prædicatur: & tamen natura diuina non eſt vnuerſalis, ſed vnus ſingulariſſimus Deus. Ergo definitio illa vnuerſalis non eſt apta ad intentum.

Respondetur diſtinguendo ma-

ioſorem: eſt vna realiter in ſuppoſitis diuiſi, nego maiorem. Vna numero in illis manens, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam: quia ad rationem vnuerſalis exigitur, quod natura prædicetur de pluribus numero; & eſſentialiter diſtinctis. Ita reſpondet S. Thomas 1. p. quæſt. 30. artic. 4. ad 3. dicens: *Perſona diuina habent vnum eſſe: genus autem, & ſpecies, & quælibet vnuerſale prædicatur de pluribus ſecundum eſſe differentiabus. Vnde non ſequitur quod in diuinis ſit vnuerſale.* Recole, quæ diximus lib. 1. Dialecticæ capitulo 5. quæſtione 2. & quæ dicimus quæſtione 20. §. 5.

16 Rurſum obijcies in fauorem Platonis: id quod intelligitur in actu in rebus, actu eſt in illis: ſed vnuerſale intelligitur actu in rebus. Ergo datur vnuerſale realiter exiſtens in rebus. Maior eſt per ſe nota; alioquin intellectus falleretur, & intenderet rem aliter ac eſt. Minor vero eſt certa ex prima conſiſtione: quia vnuerſale eſt obiectum intellectus; & ſcientia eſt de vnuerſalibus.

Respondetur diſtinguo maiorem: & concedo eam de natura, quæ intelligitur, & nego, ſi ſermo ſit de ſtata, qui eſt conditio vt intelligatur. Pariter diſtinguo minorem, & concedo de vnuerſali materialiter, & ex parte nature; nego verò de vnuerſali formaliter ex parte intentionis. Et conſequenter diſtinguitur conſequens: & conceditur de vnuerſali identificato cum ſingularibus; negatur verò

de vniuersali à singularibus reali-  
ter separato. In quo nulla est falsi-  
tas: quia, vt dicitur 2. Physicorum  
textu 18. *abstractum non est in da-  
tium: & vt notat S. Thomas 1. p. q.*  
*85. artic. 2. ad 2. risus videt color in*  
*pomi sine eius odore; quantum in re non fit*  
*color sine dore* eo solum, quia in visu  
est similitudo coloris, & non odo-  
ris. Ergo pariter absque falsitate po-  
test ab intellectu cognosci vniuer-  
sale sine singulari (a quo in re non  
differt) quia in intellectu est similitudo  
speciei, & non individualium  
principiorum: quia alius est mo-  
dus se tenens ex parte rei intellectæ  
& alius se tenens ex parte intelli-  
gentis, vt ad hoc intentum notat S.  
Thomas 1. Metaphys. lect. 10. qui  
& videtur 1. Perihier. lectione 10.  
in principio.

#### §. IV.

*Vniuersale formaliter solum est  
in intellectu.*

17 **D**ico tertio, vniuersale in ac-  
tu, formaliter, & complete,  
solum reperitur in intellectu. Ita  
docet S. Thomas 4. cap. de Ente, &  
essentia, vbi, & probat autoritate  
Commentatoris, & Auicennæ: & ra-  
tione: quia vniuersale est natura v-  
niformiter se habens ad multa, iux-  
ta eius definitionem: sed in solo in-  
tellectu natura est vna vniiformiter  
se habens ad multa: quia in illo est  
imago naturæ abstractæ ab omnibus,  
vnde prouenit diuersitas. Ergo in  
solo intellectu est actu, & comple-  
te vniuersale. Quod & exprimit

S. Thomas in 1. dist. 19. q. 5. art. 1.  
ita dicens: *Quedam sunt, quæ habent  
fundamentum in re extra animam: sed cõ-  
plementum rationis eorum, quantum ad  
id quod est formale, est per operationem  
animæ: vt patet in vniuersali; huma-  
nitas enim est aliquid in re; non tamẽ  
ibi habet rationẽ vniuersalis, cum  
non sit extra animam aliqua huma-  
nitas multis communis: sed secun-  
dum quod accipitur in intellectu  
adiungitur ei per operationem in-  
tellectus intentio secundum quam  
dicitur species. Idem docet S. Tho-  
mas locis relictis n. 4. & 1. 2. q. 29.  
art. 6. estque Philosophi 1. de Ani-  
ma textu 8. & S. Thomæ ibi lect. 1.  
& lib. 3. lect. 12. & 2. Foster. capit.  
vlt. Imò est S. Damasceni lib. 3. de  
Fide cap. 11.*

18 Alijs pluribus rationibus  
cõclusionẽ probant M. Masius sec.  
2. de Vniuers. q. 4. M. Sanch. lib.  
2. q. 13. conclus. 2. Imò multi dicunt,  
ab hac conclusione non dissentire  
Scorum; quia solum ponit esse in re  
bus vniuersale in potentia, non in  
actu, vt exponunt quidam discipuli  
eius relecta Fonseca 5. Metaphys.  
cap. 28. q. 5. sect. 2. quos sequitur  
Merino cap. 1. de vniuers. 1. disp.  
2. q. 1. Quamuis aliter etiam inter-  
pretetur Lichetus in 1. dist. 1. q. 1.  
§. abbet, & Antonius Andreas 7.  
Metaphys. q. 6. & alij multi apud Ma-  
siam. Quod n. t. us examine eius  
discipulis relinquimus. Fortim e-  
nim propter hoc M. Soto quest. 2.  
vniuersalium ad vltimũ, dixit, *quod  
si quis arguat nos invidere in opus em  
Scott, ref. videtur tanto in lites.* Quia  
semper optamus cum omnibus

pacem habere: dum tamen veritatem non deseramus, quā ubique inuestigamus, & ardentem concupiscimus: quia *amicus Plato, sed magis amica veritas*, ut est in proverbio.

19 Obijcies: correlatiua sunt simul natura; & ita ubi datur vnā, datur, & aliud: singulare autem est correlatiuum vniuersalis: & ita si vnū est in intellectu, etiam aliud. & similiter si vnum datur à parte rei, etiam, & reliquum. Sed singularia dantur in rebus, ut patet: quia omnes homines sunt singulares formaliter. Ergo etiam vniuersale formaliter datur in rebus.

Respondetur, cum PP. Carmelitanis disp. 3. q. 5. ad confir. 1. quod particulare secundum suam entitatem realem non est correlatiuum vniuersalis, neque fundamentaliter, neque formaliter sumpti. Particulare verò sumptum formaliter, in quantum subijcitur vniuersali sumpto formaliter, est eius correlatiuum: sed ut sic, neutrum datur à parte rei: quamuis in re inueniatur vtriusque fundamentum: quia ut inquit S. Thomas 1. Perih. lect. 10. in qualibet re singulari est considerare aliquid quod est illi proprium in quantum est hæc res, sicut Sorti, vel Platoni in quantum est hic homo: & aliquid est considerare in eo in quo conuenit cum alijs quibusdam rebus, sicut quod Sortes est animal, aut homo, aut rationale. Primo modo dicitur singularis; secundo modo dicitur vniuersalis inter

veniente operatione  
intellectus.

\* \* \*

## QVÆSTIO XII.

*Vtrum ante operationem intellectus detur unitas formalis, & aptitudo ad multa?*

### §. I.

*Notabilia præmittuntur.*

1 **A**lijs verbis solet inquiri, an fundamentum proximum vniuersalitatis detur ante operationem intellectus? vel vtrum vniuersale, saltem inchoate, & incomplete, præcedat operationem intellectus? an verò solum in re, vel secundum se detur solum fundamentum remotum, & omnino materiale vniuersalitatis? quæ quæstiones coincidunt cum proposita in titulo: quia de ratione vniuersalis sunt duo, & unitas, & aptitudo ad plura. Et de istis seorsum dicemus, ut clarius decisio percipiatur.

2 Pro quo notandum, ex D. Thoma 4. cap. de ente, & essentia, & Quolib. 8. art. 1. & quaest. 5. de potentia artic. 9. ad 16. quod vniuersale tripliciter considerari potest, vno modo *secundum se*. & secundum sibi propria, prout abstrahit à quolibet esse, & conueniunt ei solū prædicata essentialia, & quidditatiua. Alio modo potest considerari *secundum esse quod habet in singularibus*. Et sic conueniunt ei operationes, & accidentia communia, & non solum propria. Denique vniuersale potest considerari *secundum esse quod habet in in-*

rellectu. Et hoc modo sibi attribuuntur intentiones rationis. Alijs voci bus solet explicari hæc distinctio dicendo, quod natura potest considerari tripliciter, nempe, *Metaphysice, Physice, & Logice*. Metaphysice dicit prædicata, quæ pertinent ad conceptum quidditatum, & essentialem, & connexionem essentialem, quæ conuenit semper, & vbiq̃ue. Physice dicit, quod conuenit per actionem agentis, vt ponitur extra causas existens, & singularis. Logice vero dicit statum accidentalē conuenientē per rationē; & propriissime id verificatur de secunda intentione. Explicanda igitur est vnitas, & aptitudo ad multa, quæ conuenit naturæ in istis tribus considerationibus.

3 Quod vt præstemus, vltimū notādū quod vt ait S. Th. in 1. dist. 24. q. 1. ar. 3. ad 3. hæc est definitio vni? *vnū est ens, quod non diuiditur*: vnde secundū quod aliquid se habet ad diuisionem, se habet ad vnitatem, vt notauerat ipse S. Thomas ibi art. 1. quia de formali vnum significat entitatem vt subest negationi, & negationem solam diuisionis, vnū addit supra ens, vt docet S. Thomas q. 9. de potentia art. 7. de quo late egimus 1. p. Metap. tota Controu. 9. quia tamen priuatio per suum habitum cognoscitur; ideo vnitas, quæ completiue indiuisiōnem significat, ex natura diuisionis, quam priuat, cognosci debet: vnde tot sunt vnitates, quot diuisiones.

4 Vnde notādū, ex Caietano cap. 4. de ente, & essentia q. 6. quod diuisio est duplex: quædam est *mate-*

*rialis* per principia indiuiduationis causata, vt Petrus differt à Paulo per hanc materiā quæritate signatā, quæ est principium indiuiduationis.

Quædam est diuisio *formalis*, quæ fit per principia essentialia, & formalia. Et ista habet latitudinē, quia vel fit per principia essentialia propria; vel principia essentialia cōmunia: & ista iterum subdividitur, secundū quod principia essentialia cōmunia sunt magis, & minus cōmunia, sicut inter Petrum, & hunc leonem, est diuisio formalis per principia formalia propria, nempe, vltimas differēntias: inter Petrum verò, & hanc plātam, est diuisio formalis per principia essentialia cōmunia Petro, & alijs speciebus, nempe, per sensibile, & insensibile: & à lapide differt per communiora principia, scilicet, per animatum.

5 Consequenter vnitas est duplex: quædam *numeralis*; quædam *formalis*: vnitas numeralis attenditur penes priuationem diuisionis per principia indiuiduationis, nempe; principia numeralia, quæ apud nos sunt principia materialia. Vnitas autem formalis attenditur per priuationem diuisionis per principia formalia. Quæ latitudinem habet: nam si priuet diuisione formali causabili per principia propria, est vnitas *formalis simpliciter*: si verò per principia communia est vnitas *formalis secundum quid*: & hæc est causabilis à magis & minus communibus principijs essentialibus: & sic etiam latitudinem habet. Ex quo patet, quod vnitas numerica est maxima; quia nullam admittit diuisionem:

nem: vnitas verò formalis est minor illa; quia admittit diuisionem materialem: & carentia eo est maior, quanto minus relinquatur in subiecto de forma, qua priuat.

6 Ultimo notat Caietanus, quod res potest intelligi extra animam communis dupliciter. Vno modo *positiue*: alio modo *negatiue*. Illa res est communis *positiue*, quæ indiuisa manens in pluribus suppositaliter distinctis inuenitur. Illa verò est communis *negatiue*, quæ nulli supposito est propria. Si loquamur de vnitate communi *positiue* eiusdem numero naturæ, certum est, quod solum in Deo vna natura numero reperitur communis tribus personis. Quare de ista communitate non est quæstio, sed de formali specifica, vel generica: quæ tunc reperitur, quando formaliter vna indiuisa manens secundum illum gradum specificum, vel genericum reperitur in pluribus. Et de ista communitate, vel aptitudine ad plura est quæstio, an conueniat naturæ in statu præcisionis, & secundum se, & à parte rei: an verò solum per operationem intellectus?

## §. II.

*De natura secundum se, & Metaphysice accepta.*

7 **D**ico primò; natura secundum se, nec est vniuersalis, nec *positiue* actu, & simpliciter vna, nec vnitate præcisionis, nec *positiue* cõ-

munis multis: ac proinde, prout sic non est vniuersalis, adhuc in potentia proxima. Probatur ratione S. Thomæ 4. capite de Ente, & essentia: quod conuenit alicui secundum se, in omni statu, semper, & vniuersaliter conuenit: sed naturæ non conuenit in omni statu, nec vniuersaliter, nec vnitas, nec pluralitas. Ergo ista non conueniant naturæ secundum se. Maior patet; quia quod continet secundum se cõuenit essentialiter: quæ conueniunt essentialiter, necessario conueniunt, nec possunt non conuenire. Ergo semper cõueniunt: sicut homini semper cõueniunt esse animal rationale, quia ista secundum se, & quidditate cõueniunt: & quia si aliquando nõ cõuenirent essent essentialia, & nõ essentialia, sed accidentalia. Pro huius maxime defensione legatur M. Arayo lib. 3. Met. q. 3. ar. 3. dub. vnico. Minore probat S. Th. quia natura humana est vna in Petro. Ergo pluralitas nõ est de eius essentia. Quod autem nec vnitas sit de eius essentia, patet: quia realiter plurificatur in Petro, & Paulo. Ergo de se nec est vna, nec plures: quia quod cõuenit alicui per se, semper per cõuenit, vt etiã habetur 1. Poster. & eius oppositum, nec per se, nec per accidens potest conuenire.

8 Obijcies: nam bene potest natura secundum se conuenire aliqua vnitas, vel cõmunitas, & ab extrinsecò impediri ne exerceatur: sicut in capite de qualitate dicem⁹. quod dispositio ex natura rei est facile mobilis, & per accidens ex parte subiecti est difficile mobilis. Ergo falsum est, quod id quod alicui conuenit

nit secundum se, eius oppositū, nec per accidens possit conuenire: quia etiā habitus ex natura rei est difficile mobilis, & per accidens parum durat.

Dices: non esse oppositum, ex natura qualitatis multā durare, & ex parte subiecti parā permanere: & ita maxima nō instatur; quia ad hoc requiritur, quod qualitas ex natura sua difficile mobilis, per accidens esset ex natura sua difficile mobilis.

Admissa doctrina ista; robur accipit argumentū: quia sufficit eius intento, quod natura secundum se, & essentia hęc sit vna, & apta essentialiter ad extendendum in multis: quia essentialiter est materialis; ac proinde, communis pluribus; & ab extrinseco principio, materiali indiuiduationis pluriācerit materialiter, retenta formali vnitāte præcisionis, quæ sit vera vnitā, sed minor vnitāte indiuiduali.

9. Responderetur, quod subiectū non est de essentia accidentis: natura verò est de essentia indiuidui, & principium indiuiduationis substantiæ primum, & radicale, etiam debet esse intrinsecum: vnde si natura secundum se esset vna, vel plures; totum hoc esset in indiuiduo: & cū videamus aliquando naturam esse vnā, aliquando esse plures; & ad pluralitatem indiuidualem etiam plurificari vnitates formales, non potest in natura esse prædicatum essentialiter esse vnā, aut esse plures, aut esse vniuersalem; cum omnes isti sint status accidentales, & quidditatiua ab intrinseco proeuiant.

10. Præterea probatur conclusio: nam omnia prædicata quidditatiua per actionem agentis ponuntur sub existentia: quia ista non destruit essentia, sed actuat ponendo extra causas: sed ista vnitā, vel communitas, de facto non cōuenit naturæ existenti in singularibus. Ergo nō conuenit naturæ secundum se. Alia argumenta contra Fonseca 5. Metaph. cap. 28. q. 3. videantur in P. Suarez disp. 6. Metaph. sect. 3. & in alijs recentioribus.

11. Dico secundò, natura secundum se est vna in potentia, & negative, & vt sic etiam est indifferens, & cōmunis negative. Primo modo loquuntur Capreolus in 3. dist. 5. q. 3. ad arg. contra 1. pag. 59. & 61. Soncinas lib. 7. Metaph. q. 40. Posteriori modo id exponunt Caietanus c. 4. de ente, & essentia q. 6. 8. *Quod ad quantum*, & ad 2. Soto q. 2. vniu. ad 1. Ioan. à S. Thoma q. 3. art. 3. conclus. 2. & ad 4. & ad 2. PP. Carmelitani disp. 3. q. 3. n. 26, & frequenter alij Thomistæ. Habeturq; opus. 42. apud D. Thomam cap. 7. vbi dicitur: *est tamen in ipsa natura absolute accepta, secundum quod non est in scripturis consid. rata, quædam vnitas: cum definitio eius sit vna, & nomen suum, vt patet.* In istis verbis dicitur indicantur rationes.

12. Altera, qua vtitur Caiet. quia id quod vnū non est, nō est definibile vnica definitione; vt habetur 7. Metaph. textu 13. imò nec est intelligibile, vt dicitur, 4. Metaph. cōm. 10. sed natura humana secundum se est definibilis, & intelligibilis, Ergo natura absolute sumpta, ha-

habet unitatem quandam. ¶ Alia ratio est, quæ proponitur à Soncinate: quia de ratione termini uniuoci est significare immediate unum: sed terminus significans naturam absolute, est uniuocus. Ergo natura, ut sic, aliquam habet unitatem.

13 Ex quibus probatur secunda pars: quia natura solitarie, seu metaphysice accepta, non est singularis: quia singularitatis accidit illi ut est à parte rei: ergo secundum se est communis negatiue; id est, ex principijs essentialibus, & intrinsicis præ se, neque est singularis, neque uniuersalis; sed *utrumque illi accidit*, ut ait S. Thomas 4. cap. de ente, & essentia.

14 Obijcies, ut dicitur 2. Perib. *ab affirmatiua ad negatiuam, variatio predicato penes finitum, & infinitum, est bona consequentia: ut; homo est animal; ergo non est non animal.* Alioquin duo termini contradictorij verificarentur de eodem. Ergo si natura secundum se non est determinata; secundum se est non determinata: quod est aperte falsum; cum in intellectu sit indifferens ad plura.

Respondetur, cum Caietano illa q. 6. dub. 2. §. *Secunda causa*, quod illa non tenet addita reduplicatioue: sicut ex ista; *homo in eo quod est homo, non est albus*; non sequitur ista, *homo, in eo quod homo, est non albus*: quia essentialiter neutrum sibi competit; sed utrumque sibi accidit. Quia sic arguendo, variatur appellatio, ut diximus lib. 2. Dialect. cap. 17. in fine. Quod latius explanat Mag. Lerma lib. 3. q. 7. ad 2.

15 Vel aliter responderetur, cum

P. Didaco à Iesu disp. 4. q. 4. in fine; quod regula Aristotelis est vera, dummodo integrum prædicatum, quod in vna affirmatur, in altera negetur: illa autem particula, *secundum se*, vel *de se*, sunt partes prædicati: unde ut formentur contradictorij, debent illæ particule in ambabus repeti, dicendo: *natura est determinata secundum se; natura non est determinata secundum se*; & hæc secunda est vera; sed prima est falsa.

16 Alterum principale conclusionis fundamentum est: quia unum quodque, in quantum est ens; est unum: quia ens est unum per suam essentiam, ut docent Philos. 4. Metaph. textu 3. & S. Thomas 1. p. q. 6. art. 3. ad 1. dicit, quod unum conuertitur cum ente quidditatiue, & nominaliter sumpto: sed naturæ secundum se sunt entia realia ut diximus 1. p. Met. cōtr. 7. ar. 1. & de maiori disputabitur ibi 3. p. Contr. 5.

17 Obijcies: natura secundum se, & quæ est à parte rei, est substantialiter eadem: sed naturæ, quæ est à parte rei, repugnat communitas, etiam negatiua: quia implicat, quod dicitur Petrus sit Paulus. Ergo & naturæ secundum se repugnat communitas negatiua. Consequentia patet: quia quando duo sunt realiter idē, quidquid repugnat, vel conuenit uni ante operationem intellectus, repugnat, vel conuenit alteri. Maior vero probatur: quia prædicata quidditatiua sunt in singularibus: & de natura hominis absolute considerata, inquit S. Thomas 4. cap. de ente, & essentia, quod *illa est, quæ predicatur de omnibus indiuiduis.*

Ad hoc argumentum, quod prolixè proponitur & exaggeratur à Recentioribus contra Caietanum, iam ipse responderat illo cap. 4. ad secundum, & tertium dubium, quod hic sunt duo; & natura, & eius status, seu conditio: si loquamur de natura; sic est essentialiter eadem; si loquamur de statu: sic prout contractæ ratione conditionis, seu status explicati, seu reduplicati, repugnat sibi communitas, quæ illi secundum se, vel in statu solitudinis non repugnat. ¶ Et iuxta hoc distinguitur maior; & concedatur de illa entitatie; negetur vero de illa pro statu, & conditione. Ad probationem conceditur antecedens, de his quæ sunt idem omnibus modis: negatur vero quando est diuersitas status, vel virtualis distinctio. Et hæc ante operationem intellectus datur. Et argumentum deficit, solum distinguens naturam à parte rei, & prout in intellectu; cum tamen ex D. Th. dixerimus, posse considerari tripliciter, Metaphysice, Physice, & Logice. Naturæ ergo prout à parte rei, repugnat communitas; illi vero specificatiue pro statu solitudinis, non repugnat esse in pluribus.

18 Vltimo obijciunt alij Moderni: vnitas negatiua nihil aliud est, quam negatio distinctionis: sed ante operationem intellectus non datur vna negatio distinctionis. Ergo ante operationem intellectus in natura secundum se, non datur vnitas negatiua. Probatur minor; quia sicut Petrus non distinguitur specie à Paulo; ita neque Paulus distinguitur specie à Petro: ergo si-

cut in Petro est negatio distinctionis specificæ à Paulo; ita in Paulo est negatio distinctionis specificæ à Petro. Ergo est duplex negatio in illis.

Respondetur concedo totum, vt conceditur à Caietano ad secundum dubium, loquendo de naturis, quæ sunt à parte rei: sed id non est ad propositum cum loquamur de natura secundum se, & pro statu solitudinis: in illo autem statu non sunt differentie individuales, nisi in potentia: vnde ex eo quod in differentijs individualibus non datur vnitas negatiua; non sequitur, quod in natura secundum se nõ datur vnitas negatiua.

19 Aduerte etiam eisdem Recentibus non legisse Caietanum, cum illi tribuunt, quod ratione vnitatis negatiue communis, natura realis constituitur vniuersalis: cum id ex professo impugnet Caietanus cap. 4. de ente, & essentia q. 6. & q. 7. ita ait: quod si aliquis finxerit, vniuersale in actu constituitur per negationem repugnantiam ad essendum in pluribus: & non exigere affirmatiuam non repugnantiam; aduertat se errare propter tria. Primo, quia in definitione vniuersalis exigitur positua aptitudo, seu non repugnantia ad essendum in pluribus. Secundo, quia ad singulare non sufficit negatio repugnantiam ad essendum in vno solo: alioquin humanitas, in quantum humanitas; erit vniuersalis; & singularis: de ea enim, vt sic, negatur vtraque repugnantia. Demum id probat tali ratione: quia vniuersale in actu repugnat esse in

vno tantum: sed humanitati, in quantum humanitas, non repugnat esse in vno tantum: si quidem potest esse in vno individuo solo. Ergo humanitas, & quaelibet natura secundum se, non est vniuersalis in actu; etiam si habeat aliquam vnitatem; & sit negatiue communis.

## §. III.

*De natura à parte rei, & Physice sumpta.*

20 **C**irca naturam in isto statu; primo oportet videre, an habeat formalem vnitatem? Secundo an distinguatur à numerica? Tertio an à parte rei sit communis pluribus? Indeque constabit, an à parte rei natura sit apta ad essendum in pluribus, & vniuersalis?

Quidam omnino negant in rebus vnitatem formalem, & dicunt omnia prædicata realia cuiuslibet individui esse realiter vnū per vnitatem solum numericam. Ita P. Fr. Didacus à Iesu disp. 4. quæst. 2. & 3. Hurrad. disp. 5. Metaph. sect. 9. & alij recentiores,

Per oppositum alij, non solum admittunt in rebus vnitatem formalem; sed dicunt ante operationem intellectus esse distinctam à numerica; & esse illis communem positue; imo, & vniuersalem à parte rei. Ita Antonius Andreas 7. Metaphysicæ quæst. 17. Venetus, Rodolphus, Toletanus, & alij apud Sanchez. lib. 2. q. 13. 4. *Tertia sententia.*  
¶ Communis tamen, & vera sen-

tentia, media graditur via; & sequētibz explicatur conclusionibus.

21 Dico ergo tertio, à parte rei datur vnitatis formalis in natura, quæ tamen non est vna à parte rei; sed ad indiuiduorum multiplicationem realiter multiplicatur. Priorē partem iudicat Caietanus dicta q. 6. 9. *quoad tertiam; adeo manifestam; quod nullus sana mentis possit eam negare.* Et Suarez disp. 6. sect. 1. n. 2. & 8. dicit in hoc omnes conuenire. Diligenter eam probant PP. Carmelitani disp. 3. tota q. 2. ex Philosopho 5. Metaph. textu 11. & D. Thom. ibi lect. 8. initio, & opusc. 42. capit. 7. & duplici ratione. Altera desumpta ex Philosopho 5. Metaphysicæ textu 20. docente, quod relatio similitudinis, seu identitatis fundatur in vnitatis: sed duo indiuidua eiusdem speciei sunt similia in natura: ergo in illa habent vnitatem: sed non habent vnitatem numericam; quia potius numero distinguuntur; & differentijs individualibus sunt dissimiles: ergo à parte rei habent vnitatem formalem.

22 Ratio alia à priori est Caietani; & formatur sic: vnitatis formalis est entitas indiuisa formaliter: sed à parte rei datur entitas indiuisa formaliter: ergo datur vnitatis formalis à parte rei. Probat minor: nam à parte rei Petrus caret, non solum diuisione materiali, quia est indiuisus materialiter: sed etiam diuisione formali, causabili per principia propria, & communia. Ergo à parte rei datur entitas indiuisa formaliter, ergo datur

vnitas formalis, quæ est fundamen-  
tum vnitatis specificæ, & genericæ.  
¶ Imo concedit bene Caietanus;  
à parte rei dari plures vnitates for-  
males, pro numero graduum essen-  
tialium: quia ex parte entitatis, vni-  
tatis non differt ab ente: vnde, sicut  
non sola indiuiduatio est in re, sed  
etiam omnia illius prædicata quid-  
datiua; ita non sola vnitas nume-  
ralis, sed quælibet eius vnitas for-  
malis, est in re ante operationem in-  
tellectus.

23 Vt autem argumenta con-  
traria radicibus corruant, aduerte  
primo cum Caietano ad secundum  
dubiam, quod vnum, cum dicat *ens*  
*in diuisum*; & importat aliquid posi-  
tium, & aliquid priuarium; illud  
directe; hoc ex consequenti, seu cõ-  
pletive: loquendo de vnitate forma-  
li, & vnitate numerali, quoad dire-  
ctum significatum positium; sic  
sunt idem realiter, & distinguuntur  
soli ratione: quia Petrus est essen-  
tialiter homo, & animal. Si vero lo-  
quamur de his vnitatibus, quoad  
priuationes diuisionum importa-  
tas; sic distinguuntur realiter nega-  
tiue (eo modo que inter negationes  
est realis distinctio) quia alia est pri-  
uatio diuisionis formalis, & alia est  
priuatio diuisionis numeralis: sicut  
alia diuisio est formalis, & alia est  
diuisio numeralis. In vna autem en-  
titate; licet non possit esse distinctio  
realis entitarum, potest esse multi-  
plicitas priuationum.

24 Secundo aduerte, aliud esse,  
quod directum significatum vni-  
tatis formalis sit à parte rei; aliud  
vero, quod à parte rei sit distinctum

à directo significato vnitatis nume-  
ralis: primum potest esse: & est ve-  
rissimum; etiam si secundum sit fal-  
sum: vt ens, & vnum, & bonum sunt  
à parte rei; licet sola operatione in-  
tellectus distinguantur: & Theolo-  
gi dicunt attributa diuina esse reali-  
ter in Deo; licet inter se sola ratione  
distinguantur. Quod notat S. Tho-  
mas q. 8. de potentia art. 1. ad 7. &  
art. 2. ad 3. & ad 7. Entitas ergo quæ  
est à parte rei, identice est vna nu-  
mero, & vna formaliter, & vtrūque  
est quid reale; sed distinctio inter v-  
tramque, est per rationem: quia re-  
perit fundamentum indiuisiōis for-  
malis, & materialis. Quo notato,  
corruunt argumenta: vnde non o-  
pus est ea referre. Videantur San-  
chez lib. 2. q. 13. & PP. Carmelita-  
ni disp. 3. q. 3. & 5.

25. Secundam partem facile ex  
dictis probamus: quia vnitas for-  
malis, quoad directum, & positium  
significatum, est ipsa natura: ergo  
multiplicata natura, multiplicatur  
formalis vnitas. Antecedens pa-  
tet: quia vnum, & ens idem sunt, vt  
dicitur 4. Metaphysicæ comment.  
3. consequentiam vero probat Cai-  
etanus dicta q. 6. §. *Tertia propositio*,  
quia quotiescumque aliqua duo  
sunt conuertibiliter idem realiter;  
multiplicato realiter vno, multipli-  
catur, & reliquum: nam, quæ rea-  
liter sunt eadem conuertibi-  
liter vniter, sunt ea-  
dem realiter in-  
ter se.

## §. IIII.

*De aptitudine, & communitate naturæ.*

26 **D**ico quarto, aptitudo, & positiva non repugnantia ad essendum in pluribus, quod est proximum fundamentum vniuersalitatibus, non conuenit naturæ à parte rei. Colligitur ex D. Thoma. 4. cap. de Ente, & essentia, & habetur opus. 56. vbi dicitur: *habilitas essendi in pluribus, non est de essentia hominis: quia tunc homo, qui est in parte esset habitus ad participationem plurium; quod est impossibile.* Sequitur Caietanus de ente, & essentia quest. 8. & omnes Thomistæ. Imo Suarez disp. 6. sect. 4. num. 2. appellet *conclusionem receptissimam, & euidenem.*

Et ratio est quia ista aptitudo duo dicit, nempe, vnitatem naturæ; & indiuisiorem illius, cum habitudine, & communitate ad plura: sed à parte rei natura diuiditur: Ergo ut sic non retinet indiuisiorem, & communitatem; sed solum in intellectu: nam, ut inquit S. Thomas in 1. ad An. distin 38. quest. 1. artic. 2. *in obo intellectu forma sua communitat sua unum seruare potest.*

27 Prætere; vbi est positiva repugnantia ad vnitatem naturæ seruandam in pluribus, non potest esse positiva non repugnantia, & aptitudo ut vna natura participetur in pluribus: sed à parte rei est positiva repugnantia, & ineptitudo ut vna participetur à pluribus: ergo à parte rei non dicitur habitus, & non re-

pugnantia ad essendum in pluribus. Maior patet: quia, ut inquit Caietanus quest. 6. ad 2. omnis propositio est simpliciter falsa, in qua prædicatum repugnat subiecto; etiã si solum repugnet ratione conditionis implicite importatæ. Probat minor: naturæ singulari repugnat esse in pluribus: sed natura singularis identificatur cum omnibus prædicatis, quæ de individuo essentialiter dicuntur, ut postea videbitur. Ergo naturæ à parte rei positue repugnat communitatis vnitatis formalis in pluribus. Videatur M. Fr. Ioan. à S. Thoma quest. 3. artic. 4.

28 Obijcies: actus, & potentia proportionantur, & sunt in eodem genere, saltim remoto; nam si vñ est substantia, aliud non potest esse accidens; & si vnum est ens reale, aliud nequit esse ens rationis: sed actus huius aptitudinis est aliquid reale, quod est ante operationem intellectus. Ergo, & aptitudo, & in differentia naturæ est realis, conueniens illi in rebus ante operationem intellectus. Probat minor: actus aptitudinis ad essendum in pluribus, est naturam actu esse in pluribus: sed realiter natura est in pluribus quia in omnibus singularibus eiusdem speciei est natura specifica: ergo actus aptitudinis, & ipsa aptitudo conuenit naturæ realiter ut existit in singularibus.

Respondetur negando minorem. Ad probationem distinguo maiorem, est naturam esse in pluribus, retenta vniuersalitate, vnitate, & communitate; concedo. Admit-

tendo diuisionem, & pluralitatē in indiuiduis, nego maiorem. Et concessa minori, distinguitur consequēs, & conceditur de aptitudine remote, & materialiter sumpta; quia ista est ipsa natura, quæ datur in singularibus: negatur vero de aptitudine proxime; quia ad hanc requiritur abstractio principiorum indiuidualium, & vniformitas naturæ: quæ solum conueniunt actu naturæ in intellectu.

29 Præterea arguitur: duo indiuidua eiusdem speciei sunt vnum in natura illius speciei formaliter loquendo: sed totum hoc illis conuenit a parte rei. Ergo vnitas formalis est communis pluribus a parte rei. Probatum maior: quia tantum distinguuntur differentijs in diuidualibus numericis: ergo non distinguuntur in principio formali specifico: ergo, licet sint plura indiuidua materialiter, est in illis vna natura formaliter communis, & proxime vniuersalis a parte rei.

Respondetur cum Herbeo Quodlib. 1. quæst. 9. & alijs Thomatis relatis à Mag. Masio sect. 2. de Vniuers. quæst. 3. conclus. 8. distinguendo maiorem, sunt vnum *vnitate conformitatis*, vel similitudinis, concedo maiorem: quia à parte rei prædicata essentialia vnus in diuidui sunt conformia, & similia prædicatis essentialibus alterius indiuidui. Sunt vnum *vnitate identitatis*, seu in diuisione simpliciter, nego maiorem: quia ista vnitas nõ datur in rebus segregata à diversitate sed hoc fit abstractione, & alijs operationibus intellectus.

30 Sed instabis: nam secundum Philosophum in cap. de Relatione, & 5. Metaphysicæ textu 10. relatio realis similitudinis fundatur in aliqua vnitate reali: non in vnitate numerica; quia sic potius duo indiuidua numero distinguuntur: ergo in aliqua reali vnitate formalis specifica, quæ datur à parte rei, vel in aliqua vnitate formali minore numerali, quæ datur in rebus communis omnibus indiuiduis.

Respondetur solutionem datam esse legitimam; quæ non solum habetur opusculo 48. apud Diuū Thomam tractatu 1. capitulo. 4. Sed aperte indicatur à D. Thoma 1. Posteriorum lectione 20. littera, l. vbi explicans illud dictum Philosophi *vnus sale est vnum præter multa*, ait S. Thomas: quod & si secundum considerationem intellectus, sit vnum præter multa; tamen secundum esse est in omnibus singularibus vnum, & idem; non quidem numero, quasi sit eadem humanitas numero omnium hominum. sed secundum rationem speciei: sicut enim hoc album est simile illi albo in albedine, non quasi vna numero albedine existente in vtroque; ita etiam Sortes est similis Platoni in humanitate; non quasi vna humanitate numero in vtroque existente. Hæc ibi S. Thomas. Cuius doctrina ipsa vulgari loquutione comprobatur: nam homines similes in qualitate, vel quantitate, vel figura, dicimus esse *eiusdem facti*; vel *eiusdem corporis*, vel *eiusdem coloris*; quamuis comperum sit

fit in vtrisque non esse eadem numero accidentia.

31 Ad replicam distinguo consequens; & concedo de vnitare specifica fundamentaliter sumpta: quia ista datur in re, & fundat similitudinem: nego vero de vnitare specifica formaliter: quia ista potius fit ab intellectu: nec potest esse verum de vnitare numerica: nam ista potius impedit realem relationem similitudinis, iuxta S. Thomam. 1. p. quæst. 28. articulo 4. ad 4. & quæst. 42. articulo 1. ad 4. cui ista non possit esse, cum ratio fundandi, & terminandi, est vna numero, & realiter; vt dicitur cap. de Relatione lib. 2.

### QVÆSTIO XIII.

*Qualiter vniversalia distinguantur, & præscindantur à differentijs indiuidualibus?*

**D**Væ quæstiones Metaphysicæ in titulo tanguntur: quæ non potuerunt hic omitti, quia à Recentioribus hic latissime disputantur. Breuiter præstringemus in 1. p. Controuersia 10. Metaphysicæ latius per tractata; vt incipientibus intillemus aliqualem notitiam captui eorum accommodatam.

### §. I.

#### *De varijs generibus distinctionum.*

2 **N**Otandum ergo primo, quod distinctio significat diuisionem, qua vnum non est aliud: nam opponitur vnitati, de cuius ratione est indiuisio in se, & ab alio. Generaliter autem loquendo *omnis distinctio, aut est realis, aut rationis.* Inter quæ, sic ample loquendo, nõ est excogitabile medium: quia diuisio, qua vnum non est aliud, vel secernitur ab alio; vel datur in re ante operationem intellectus; vel solum fit operatione intellectus? Si primum, est distinctio realis, id est, non pendens à fictione, & formatione rationis. Si vero in re non datur actualis distinctio; & tamen distinctio formatur à ratione, erit rationis distinctio: Ergo incommuni loquendo, distinctio est duplex; alia realis ante operationem intellectus; alia rationis, quæ non nisi interuentu operationis intellectus fit.

3 Secundo notandum, quod quatuor alie distinctiones frequentes sunt in Scholis, de quibus est difficultas, an sint admittendæ, & an sint mediæ inter prædictas; vel ad quam illarum reducantur? Sunt autem distinctiones prædictæ, *d. s. n. d. i. o. f. o. r. m. a. l. i. s. e. x. n. a. t. u. r. e. r. e. i.*, qua vtitur Scotus in 1. distinct. 2. qua st. 7. & distinct. 8. qua st. 4. *d. i. s. t. i. n. c. t. i. o. v. i. r. t. u. a. l. i. s.*, seu formalis eminentialiter, vt loquitur Caietanus 1. p. quæst. 39. art. 1. & cap. 6. de Ente, & essentia.

quest. 12, alia est *distinctio fundamentalis*, quæ est in re inchoatiue, & in radice, vt ait Capreolus in 1. dist. 8 quest. 4. ad 15. contra primam. Denique est *distinctio modalis*, de qua meminerunt Durandus in 1. dist. 33. q. 1. & dist. 70. q. 2. Soto 3. Physicorum q. 2. concl. 3.

4 Describuntur autem sic: *distinctio formalis* est in prædicatis, quæ ita non identificantur vt habeant distinctas definitiones, vt vnum nequeat formaliter affirmari de alio; non tamen ita distinguuntur, vt etiam diuinitus vnum possit esse sine alio: vt in quolibet singulari prædicata quidditatiua differunt inter se, & à singularitate. *Distinctio virtualis* est in perfectione ita eminenti, quod cum sit vna, est ac si esset plures: quia gerit munus pluriû vel formaliter, vel eminenter: vt virtus Solis, anima rationalis, & similes perfectiones. *Distinctio fundamentalis* est quando vna entitas simplex, & actu non distincta præbet fundamentum, vt intellectus in illa plura distinguat; vel propter eius eminentiam, & amplitudinem, que vnico conceptu non valet explicari; vel quia est radix plurium; & ideo præbet fundamentum vt pluribus modis concipiatur. *Distinctio modalis* est, quæ intercedit inter rem, & modum, vel inter duos modos. Modus autem, vt distinguitur contra rem, definitur sic: *modus est determinatio ad rem, extra essentiam rei, ita minima entitatis, quod sine illa naturaliter nequit esse; quia modi ponuntur quasi aliquid entis, à quo sustentantur,*

& quod determinant.

5 Tertio animaduertendû, probabilissimum esse distinctiones prædictas solis vocibus diuersis, eandem omnino distinctionem exprimentibus, differre; vt iam diu nota uerant Mag. Flandria lib. 5. Metaphys. quest. 8. not. 4. & Mag. laue Illus lib. 12. quest. 19. quod præcipue verum habet de tribus primis distinctionibus: quia si ab illarum authoribus diligenter inquiratur, vt eas definiant, fere respôdent omnes eandem distinctionem declarando, sed solum diuersis vocibus exprimendo. Cum igitur negari non possit dari distinctionem fundamentalem; quia ex perimur nos sæpe reperire fundamentum, vt vnam rem pluribus conceptionibus exprimamus, vel in ea distinctionem concipiamus; iuxta hoc dici posset, omnes illas distinctiones esse admittendas; & esse reales, ex partu fundamenti, & inchoatiue esse autem distinctiones rationis, cum sunt actu, & completiue.

6 Caterum, quia nec facile percipitur, nec efficaciter persuadetur quod distinctio formalis non realis entitatiua, sit actu realis ante intellectum; si eius dicitur cum Caietano, & cõmuniori sententia Thomistarum, quod distinctio formalis minor reali, non datur ante intellectum, nisi eminentialiter, seu virtualiter: quia hac sola distinctio ad omnia componenda sufficit: & ita sine causa alia maior distinctio excogitatur: & etiam, quia si ante opus intellectus, in ipsis entibus realiter existentibus, vnum prædicatum

tum non est aliud, non est. cur non re aliter, & physice dicantur distingu: quia hæc nõ identitas prædicatarum, nõ conuenit solã nature secundum se, & in abstractione metaphysicã; sed in situ reali, & physico: & ita cum reali inseparabilitate, erit realis entitativa distinctio: que opponitur simplicitati: & ita, nec in transcenditis, nec in Deo loci habebit. Manet ergo sola concedendã distinctio formalis virtualiter, seu eminentialiter talẽ; & quod ista, sola voce differt à distinctioe reali fundamentaliter: quia fundamenta est in rebus; & distinctio actualis à solo fit intellectu.

7 Explicant autem Recentiores distinctionem fundamentalem, alle reates, quod distinctio fundamentalis tunc cõtingit, quãdo vna, & eadem entitas realis respicit diuersa cõnotata realia; & intellectus potest talẽ entitatem concipere in ordine ad quoduis ex illis connotatis, quia concipit in ordine ad alia.

Hæc tamen expositio admittenda nõ est: primò, quia est à posteriori: nam licet operationes, & effectus, quod nos deseruiant ad cognitionem causarum; quia sunt quid notius: verumtamen à priori, & secundum se, antecedit ad operationes & effectus, & alia connotata, debet assignari cõstitutiuũ, & distinctiuũ principiorũ, & causarũ. Ergo à priori hæc nõ est propria ratio distinctionis fundamentalis. ¶ Secũdò rejicitur illa expositio: quia non est vniuersalis, & omnibus apta: nam dantur aliquæ entitates, quæ nil cõnotant; vel quia operatiuæ nõ sunt,

vel quia nõ sunt relictuæ; & tamen in illis habet locũ fundamentalis distinctio. Nõ ergo ista tota est reducenda ad cõnotata. ¶ Quis potius eius origo est ex illo axioma S. Dionisi; 3. cap. de diuinis nominib; quæ in inferiorib; sunt diuersa, in superioribus; si vnica. Quia quo aliquid est magis perfectũ, est magis eminent, & magis vnũ: & ista reali vni tere tenet, est inequalendo plura. & hoc est fundamentum distinctionis, eminentia vnũtis. Quod exponitur, manuali exẽplo nũmi aurei, quod vna cum sit, quinalet multis nũmis aureis, vel inferioris metalli.

8 Rursus addant Recentiores, distinctionem virtuale dari in Deo; nõ tamen habere locũ in creaturis; quia in Deo est cõcedenda; ideo est, quia sine illa cõponi reate nõ possunt, quæ fides catholica docet, & ratio naturalis dicit de summa illa perfectione. Creaturæ verò procul sunt à tanta perfectione: & propterea non est cur illis attribatur talis distinctio virtualis.

9 Cetera, argumentũ solã probat, quod in creaturis nõ est distinctio virtualis, cum tanta eminentia, ac est in Deo: quia ille est actus purus, & abyssus essẽdi simplicissimus in vna essentia admittens reale distinctionẽ personarũ: quæ nullatenus dantur in creaturis. Cum quod sit aliqua distinctio virtuale habere locum in creaturis: vt patet, quod virtus Solis est eminenter multiplex; & anima rationalis habet plures gradus virtualiter distinctos, vt docet S. Thomas 1. p. q. 76. art. 6. ad 1. & rursus probatur, quia distin.

tinctio virtualis, & distinctio fundamentalis sæpe solis vocibus differunt, & in re idem importat: sed isti, contra quos disputamus, admittunt in creaturis distinctionem fundamentalem: ergo non est cur negent distinctionem virtualem in creaturis. Deinde, in creaturis sunt, perfectiones, quæ cum unitate æquivalent pluribus, ut species Angelorum, sensus communis formæ constituentes in specie a thoma, & aliæ huiusmodi: sed hoc intelligimus nomine distinctionis virtualis: ergo datur in creaturis.

10. Circa distinctionem rationis notandum, quod distinctio rationis est, quæ actu non datur in rebus, sed fit interueniente operatione intellectus: & hæc est duplex; alia *rationis ratiocinantis*; alia *rationis ratiocinatae*: ut docet S. Th. in 1. dist. 2. q. 1. art. 2. & dist. 22. q. 1. art. 3. prima est, cum in ipsa re non est fundamentum ad distinctionem; sed eam format intellectus pro libito ex se, vel ex aliqua comparatione, aut habitudine ad extrinsecum. Unde non consistit solum in repetita cognitione eiusdem rei (quidquid dicat P. Vazquez, quæ acriter impugnat M. Cabero hic tractatu 2. disp. 2. dub. 2.) quia etiã potentia non formantes distinctionem repetitè attingunt obiecta; sed exercetur hæc distinctio, quando idem apprehenditur, ut duo extrema, vel comparatur, aut refertur, non sumpto fundamento ex ipso obiecto. Distinctio rationis ratiocinatae est, quæ fit ab intellectu, sumpto fundamento ab ipso obiecto; & sic fundamentum distinctionis rationis ratiocinatae solet esse eminentia ipsius ob-

iecti, cum summâ unitate præstantis propria plurium prædicatorum.

11. Demum notandum, quod utraque distinctio, tam realis, quam rationis; alia est adæquata, & mutua; quando ex parte utriusque est eadem distinctio: alia est inadæquata, & non mutua, cum distinguuntur ut includens ab incluso, ut Petrus distinguitur ab anima. Utraque alia est inter rem, & rem; & inter rem, & modum; quia in entibus rationis datur modalis distinctio; & enti reali attribuantur diversi modi rationis. ¶ Cum autem distinctio formalis sit, quæ sumitur à forma essentiali, vel à propria rei conceptibilitate; in communi loquendo, *distinctio formalis abstrahit à reali, & rationis*: nam homo, & equus differunt formaliter; quãuis differant entitative; & in eodem, verum, & bonum distinguuntur formaliter; quãuis distinguantur solùm ratione: vnde convenienter M. Flandria lib. 5. Metaph. q. 9. art. 8. notab. 1. diuidit distinctionem formalem, quod alia est *formalis realis*; alia est *formalis rationis*. Ficta datur in rebus fundamentaliter, vel virtualiter, & fit actualis per rationem.

## §. II.

### De præcisionibus obiectiuis.

12. **A**lter terminus in titulo quæstionis expositione indigens, est *ly præcisio*: nã licet idem videatur importare, ac *distinctio*: quia tamen seorsum à Modernis sub istis terminis de præcisione disputatur; ideo etiã de illis oportet legentes instructe-

trueret. Igitur *præcisio*, segregatio, separatio, & distinctio, de quibus in præsentibus, est duplex: alia *obiectiua*, quæ se tenet ex parte rei intellectæ, & obiectæ cognitioni: alia est *præcisio formalis*, quæ se tenet ex parte actus intellectus tantum: imò non differt ab ipso actu intellectus.

13 Exponunt autem Moderni terminos prædictos dicentes, quod tunc datur præcisio obiectiua, quando per cognitionem præscindentem attingitur unum prædicatum in obiecto, & non attingitur aliud realiter identificatum cum illo. Tunc verò datur præcisio formalis, quando per cognitionem præscindentem attingitur tota entitas realis obiecti; non tamen expresse in ordine ad unum connotatum.

Hæc tamén expositio, quoad secundam partem de connotatis, iam reiecta est n. 7. Quoad prioré verò, etiam est diminuta: quia etiá duo prædicata realiter distincta, si differant formaliter, obiectiue præscindunt: & illis non convenit hæc expositio. Deinde, etiá cum non est præcisio obiectiua, sed tantum formalis, solet contingere quod per cognitionem præscindentem attingitur unum prædicatum in obiecto, & non attingitur aliud realiter identificatum cum illo: ut patet in transcendentibus, quæ obiectiue non præscindunt: & experimur unum cognoscere, non cognito alio, nec clare, nec obscure, nec incommuni, nec in particulari: quævis ibi implicite, & identice sit. Denique expositio deficit, quia non cõsonat genuinæ significationi terminorum.

14 Facile nos hoc exponimus, notando, quod præcisio dici potest

obiectiua; vel quia datur in rebus antequam intellectus præscindat, & distinguat. Et hæc appellatur *præcisio in re*: & reperitur inter res realiter, & formaliter distinctas actu ante operationem intellectus; ut, inter rationalitatem hominis, & inenitabilitatem equi. Vel dicitur *præcisio obiectiua*; quia, licet non differant realiter; differunt actu formaliter ex natura rei, ut loquitur Scotus, vel metaphysice, ut alij loquuntur. Et hæc etiam est *obiectiua in esse rei*. Denique, potest esse *præcisio obiectiua in esse obiecti*: quia præcisio, & distinctio formata à ratione fundatur in eminentia obiecti, & distinctione formali virtualiter tali, & est distinctio in re fundamentalis, & redditur actualis per intellectum. Et hæc dicitur *præcisio obiectiua in esse obiecti*, quia ratio, & distinctio aequaliter est in re: quia est aliquid illi correspondens in re ut signum in signo. Quod totum desumitur ex D. Th. 1. dist. 2. q. 1. art. 3. in cor. & ad 5. unde apud nos est præcisio formalis solum, vel quia solum est distinctio rationis ratiocinantis; vel quia rationes obiectivæ sunt transcendentes: præcisio verò obiectiua datur, cum reperitur virtualis distinctio, vel formalis, aut alia maior: siquidam distinctio formalis datur actu in re, erit distinctio obiectiua in esse rei: si verò solum datur in re virtualiter, seu eminentialiter, erit distinctio obiectiua solum in esse obiecti cognitionis.

15 Ultimo notandum, quod duplex solet distingui præcisio intellectus: quædam dicitur præ-

cisio *negativa*; alia est praecisio *positiva*. Prima est cum abstrahitur, vel praescinditur unum predicatum, non cogitando de alio: praecisio positiva est, quando dicitur positive, hoc predicatum non est illud. Et quia haec fit secundae operatione intellectus; ideo vocatur abstractio, vel praecisio, *affirmationis*, vel *compositionis*. Quia tamen abstractione negativa fieri potest sola apprehensione unius, alio relicto, dicitur abstractio, vel praecisio *simplicitatis*: & de ista verificatur à D. Thoma 1. p. q. 85. art. 1. ad 1. illud commune proloquium: *abst. heri: unum est mendacium*: sicut sine falsitate videmus colorem, non sentiendo saporem, vel odorem; quomuis in re sit simul in pomo, color, odor, & sapor

## §. III.

*Sententia Doctorem.*

16 ¶ Citur loquendo de prima intentione universalis, seu de natura metaphysice sumpta, est quaeritio qualiter distinguatur, & praescindatur à differentia individuali? ex indeque constabit, an sint admittendae praecisiones obiectivae? vel solum formales? & an compositio metaphysica sit realis, vel solum rationis? omnia enim ista ex eisdem principiis resolvantur.

17 Prima sententia affirmat, gradus universales distinguuntur ex natura rei à gradibus singularibus, seu distinctione formali actuali minore distinctione reali entitativa. Ita Scotus 7. Met. q. 16. & Quodlib.

2. & in 1. dist. 3. q. 1. quae sequuntur omnes sui discipuli: quorum varios diceendi modos refert, & examinat Merino de universis, cap. 1. disp. 1. q. 2. sect. 2. insuper Fonseca 2. Met. et. et. 1. 1. & lib. 4. cap. 2. q. 4. sect. 3. & lib. 5. cap. 7. q. 3. sect. 3. ad 2. Ex Thomistis idem tenent Ferrara lib. 1. contrag. c. 24. §. Ad evidentiam. & c. 42. ratione octava; nec oppositum dicit lib. 2. cap. 95. si attente legatur. Banez 1. p. q. 3. art. 5. notab. 3. & Nazarius ibi Controvers. 1. in fine. ¶ Ex parte huic adhaerent sententiae Albertinus to. 2. disp. 1. q. 10. dub. 2. concl. 1. docens, predicata essentialia distinguuntur inter se actu ante operationem intellectus; id verificari tamen realiter cum differentiis individualibus correspondentibus singulis predicatis.

18 Per oppositum alii, non solum negant inter predicata essentialia inter se, & cum differentiis individualibus comparata, intercedere distinctionem formalem actuali; sed etiam non admittunt distinctionem virtualem; solum agnoscetes distinctionem rationis per se connotata: unde dicunt, gradus metaphysicos, nec inter se, nec à differentiis individualibus praescindunt obiective, sed solum formaliter. Ita Ocham in Logica cap. 14. & Quodlib. 15. q. 3. & in 2. dist. 2. & in aliis Nominales, qui ponunt vocibus universalibus non correspondere immediate unam naturam, sed solum ipsam inferiorem indistincte, & confuse. Quae opinio à scholis est ablatim illis introducere conati sunt Hurtadus disp. 5. Metaph. sect. 10. & alij Recentiores Societatis Iesu.

19 Communis tamen, & vera sententia docet, ista prædicata in re distingui virtualiter, & ab intellectu distingui actualiter, sumpto fundamento ab intrinseca eminentia obiecti, & non solum à connotatis: vnde consequenter dicunt, non tantum dari præcisiones formales, sed etiam obiectiuas; non quidem quia præcedant actualiter in esse rei; sed quia in re dantur virtualiter, & fiat formaliter vt correspondent cōceptibus. Ita Caietanus cap. 3. & 4. de ente, & essentia q. 6. Soncinas lib. 7 Metaph. q. 36. ibi Iauellus q. 18. Araujo lib. 3. q. 4. & 6. Soto q. 1. vniu. concl. 2. vbi iam cōmuniter acceptatur à Thomistis, quos citat, & sequuntur PP. Carmel. disp. 3. q. 4. & disp. 5. q. 5. M. Ioan. à S. Th. q. 2. art. 3. & q. 3. art. 6. M. Lerma lib. 3. q. 5. cōcl. 3. & lib. 4. q. 5. Item M. Cabero hic disp. 2. dub. 3. Plures alios citat, & sequitur P. Suarez disp. 6. Metaph. sect. 9. n. 9. & disp. 5. sect. 2. concl. 2. & quāuis prima opinio Scoti non videatur improbabilis (imò forte in solo modo loquēdi à nostra differens) hæc tamen nō solum est probabilior; sed *omnino tenenda*; quia facilis, & vera, & ad mentē S. Thomæ, vt iam exponimus.

§. IV.

*Probat, quod non distinguantur actu formaliter.*

20 **D**ico primò, gradus metaphisici, seu vniuersales, nec inter se, neque à differentia individuali distinguuntur, nec realiter, nec for-

maliter actualiter ante operationē intellectus. Sumitur ex D. Thomæ 3. cap. de ente, & essentia: & est cōmunis authorum contra defensores primæ sententiæ. Hanc conclusionem probat aliqui Recentiores: quia si isti gradus distinguerentur ante operationē intellectus, nō esset cur in eodem non possent separari, & inter se, & à differentia individuali, saltem de potentia Dei absolutæ: sed hoc est aperte falsum; alioquin posset dari vniuersale existens sine singulari, quod supra reiecimus. Ergo gradus essentialis ante operationem intellectus sunt indistincti.

21 Rationē hanc efficacem non esse, iam ad aliud intentū notatum est 1. p. Metaph. Controu. 7. n. 73. quia nec materia potest esse sine forma; nec essentia sine existentia; nec natura sine subsistentia; & in multo tam sententia, ista diuinitus existere nequeat separata: & realiter differunt: vt idē authores dicunt. Deinde, maior est distinctio realis modalis, quam formalis; vel ad minus, eādem admittunt separabilitatē, aut inseparabilitatē: quia ante operationem intellectus excludunt simplicitatē, & identitatē, & ponat diuisionem: & tamen ipsi dicunt, quod ea, quæ distinguuntur modaliter, nec diuinitus possunt separari: ergo multo melius id poterit affirmare Scotus de his, quæ solum formaliter distinguuntur.

22 Melius ergo probatur, primò: in eodem individuo prædicata omnia vniuersalia, & particularia identificantur realiter: sed in entita-

te vna realiter, non habet locū distinctio formalis actualis precedens opus intellectus: ergo predicata omnia superiora, & inferiora non distinguuntur ante operationē intellectus actu formaliter, aut ex natura rei. Maior patet: quia alioquin Petrus essentialiter non diceretur homo, animal, substantia, & ens. Minorē verò iam ostendimus num. 6. consequentia verò probatione non eget.

Secundò probatur: nam frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora: nec admittenda est distinctio, nisi eius necessitas sufficienter cōvincatur: sed nulla est necessitas quod predicata superiora actu formaliter distinguantur inter se, & ab inferioribus. Ergo actu non distinguuntur ante operationē intellectus. Probat minor; ad omnia cōponenda sufficit, quod in re precedat fundamentū distinctionis, vt interuentu distinctionis rationis ratiocinatae, quaedā propositiones verificentur in sensu formali, & aliae negentur; secundum vnā rationē dicantur conuenire, secundum aliā differre: secundum vnā rationem correspondere vocibus, & conceptibus vniuersalibus, & secundum aliam vocibus, & conceptibus indiuiduorum: eo quod totum hoc reperitur in re; & intellectus noster solet absque falsitate aduata seorsum intelligere, & in re diuisa, in cognitione adunare. Ergo absque necessitate introducit istā actualis formalis distinctio ex natura rei.

23. Terriò probatur: quia in vno

indiuiduo omnes gradus superiores, & inferiores proueniunt ab vna forma absque vlla multiplicitate: sed ea quae sumuntur ab eadē forma non distinguuntur formaliter: ergo gradus metaphysici nō distinguuntur actu formaliter. Probat minor; quia, stante formae identitate, nō est vnde colligatur, & desumi possit formalis distinctio. Prima verò maior est D. Th. 1. p. q. 76. art. 3. ad 4. & lib. 7. Metap. lect. 12. & totus discursus est indicatus à D. Th. 1. p. q. 50. art. 4. ad 1..

Dices; quod, qui ponit in indiuiduo gradus metaphysicos distingui actu formaliter; etiam in ipsa forma dicent distingui diuersos gradus actu formaliter: ergo ex identitate formae, non infertur negandam distinctionem formalem.

Sed cōtra primò; nam vna forma absq; vlla diuersitate, sed maxime simplex, potest adunare, & praestare propria inferiorū: quia dispersa in inferioribus, in illa sunt vnita: ergo nō est cur ponatur distincta formaliter. ¶ Secundò: distinctio formalis est, quae sumitur à forma, vel ratione formali: & ita nō apparet qualiter in vna forma secunda se. seculsa eminentia, vel nō attendendo, quod sit radix aliorū, habet locū formalis distinctio. Attēdere autē ad eminentiā vnitatis, solū est ponere distinctionē formalem eminenter talem, seu fundamētaliter à parte rei: quā nos nō negamus. ¶ Denique, videmus vnā indiuisibilem potētiam, absque multiplicitate ex natura rei, esse principiū diuersorū actuum: ergo pariter eadē forma absque distinctione

tione actuali ex natura rei, præstabit gradus omnes, qui in inferioribus proueniunt à formis diuersis.

24. Vltimo probatur: gradus metaphysici nõ distinguuntur actu formaliter ante operationẽ intellectus à differentia indiuiduali: sed quæcũque increatis identificantur vni tertio ante operationẽ intellectus, identificantur eodẽ modo inter se: ergo gradus metaphysici nõ distinguuntur actu formaliter inter se ante operationẽ intellectus. Probatur maior; quia, si gradus metaphysici sunt actu distincti à gradu indiuiduali; sequitur quod illi gradus essent vniuersales à parte rei: siquidẽ habent vniformitatẽ à parte rei obiectiue actu præcisam à differentijs indiuidualib': hoc autẽ supra reiecimus: ergo admittẽdũ non est, quod actu formaliter distinguatur gradus metaphysici inter se, & à differentia indiuiduali.

Respondet Albertinus, cuiuslibet prædicato vniuersali correspondere suã differentia indiuidualẽ, à qua nõ differt actu ante operationẽ intellectus: cum quo tamẽ stat, quod, sicut gradus metaphysici inter se distinguuntur actu formaliter; ita differentie indiuiduales correspondentes singulis gradibus, eodem modo distinguantur actu formaliter inter se.

25. Tam diu euasione hanc impugnaverit Suarez dicta sect. 9. n. 15. quia ratio generica nõ est proxime capax indiuiduationis, nisi vt de terminata per rationẽ specificã: nõ enim est minus essentialis ordo inter differentia genericã, specificã, & indiuidualẽ; quã inter ipsos gradus

superiores inter se: sed aliquid non est capax generũ, & differentiarũ inferiorũ, nisi medijs alijs immediatis: ergo nec genus est capax indiuidualis differentie, nisi media differentia constituyente specie. ¶ Secũdo: nam vnica differentia indiuidualis sufficit ad determinãdũ vltimo omnia predicata superiora: ergo frustra differentie indiuiduales multiplicantur. Et hac ratione in Physica dicemus, vnica existentia existere materiã, & formã, & totũ cõpositũ: quia vltima actualitas vnica sufficit pro omnibus: ergo vnica differentia materialis, & indiuidualis pro omnib' sufficet. ¶ Et vrgetur: nã res à parte rei est existens: vt sic autẽ est singularis: ergo nullũ prædicatũ existens à parte rei est indifferens ad id quo est capax existẽtiã: ergo nullũ prædicatũ existens à parte rei præcindit ab alterius differentia indiuiduali.

## §. V.

*Soluuntur argumenta.*

26. **P**rimò arguitur: quæ diuersis definitionibus essentialibus definiatur, distinguuntur actu formaliter ex natura rei: sed gradus metaphysici diuersis definitionibus essentialibus definiuntur: ergo distinguuntur actu formaliter ex natura rei. Minor patet: quia definitio explicat essentia rei: ergo diuersa definitio essentialis, explicat diuersam essentia essentialiter, & formaliter. Minor verò probatur: quia diuersa est definitio animalis, à definitione hominis, & rationalis; & aliqua sunt

de rationi individui, quæ non sunt de ratione speciei.

Respondetur distinguendo maiorem: & concedendo eam de definitionibus adæquatis, quæ dantur de rebus vt sunt à parte rei: negãdo verò de definitionibus inadæquatis explicantibus rem solum prout isto, vel illo conceptu exprimitur. Si autè gradus Metaphysici prout sunt in isto individuo definiantur; vnica definitione omnia quæ sunt de illius entitatis ratione exprimentur. Quamuis, quia definimus prout concipimus, definiri solet seorsum ratio generica, & specifica, & individualis. Imò non solemus definire nisi rationes communes abstractas ab indiuiduis, quæ solum vt sic sunt in intellectu: modo autem loquimur de gradibus metaphysicis in eodem a parte rei existentibus.

27 Secundò arguitur: in homine, verbi gratia, ratio animalis est ratio conueniendi cum equo: & ratio rationalis est ratio discoueniendi: sed eadè met ratio formalis non potest esse ratio conueniendi, & ratio discoueniendi respectu eiusdè termini: ergo ratio animalis, & ratio rationalis ante operationè intellectus formaliter distinguuntur. Probat minor: quia conuenire, & discouenire, seu differre, est conuenire, & non conuenire: quæ contradictorie opponuntur, & de eodem secundum eandè rationem formale nequeunt verificari: vnde S. Th. 1. p. q. 40. art. 2. vt per se notú assumit, quod in quibuscumque pluribus inuenitur aliquid commune, oportet

ter quærere aliquid distinctiuum.

Putant aliqui Recentiores se satis fecisse huic argumento, distinguendo maiorem; & cõcedendo eam de cõuenientia per rationè; & negãdo de conuenientia reali. Constat autè quod idem realiter, si ratione distinguatur, est ratio cõueniendi, & discoueniendi per rationem.

Sed solutionè insufficientè esse, probatur instaurando argumentũ: nã à parte rei homo est viuens sensibile, & à parte rei equus est viuens sensibile: ergo à parte rei homo, & equus cõueniunt in ratione animalis: & à parte rei rationale non est irrationale: quia differentia istæ sunt oppositæ, & repugnantes ante operationem intellectus: ergo à parte rei ratio animalis est ratio conueniendi cum equo, & ratio rationalis est ratio differendi.

28 Aliter ergo respondetur, cõcedendo maiorè; & distinguendo minorè; & cõcedendo eã de eadè ratione formaliter, & virtualiter eadè: negãda verò est, quãdo est vna formaliter, & plures virtualiter, seu equialèter, vel eminèter. Ad probationè respondetur, quod vt dicit S. Th. q. 7. de Potètia art. 1. ad 5. *de eo quod est idè res, & differens ratione, nihil prohibet cõtradictoria predicari*, vt dicit Philosophus 3. Physic. tex. 21. de quo iterũ S. Th. ibi q. 8. art. 2. & ad 7. & ad 10. & 1. p. q. 28. art. 3. ad 1. quia etiã in creaturis, rationis distinctio fundata in obiecto, sufficit impedire aliquorũ prædicatorũ cõtradictionè; quia nõ cõueniunt secundum idè: & cõtradictio nõ est, nisi oppositio sit eiusdè de eodem.

29 Tertio arguitur, & replicatur contra datam solutionem: idē respectu eiusdem non potest fundare relationes, non solum realiter diuersas, sed & oppositas: sed animal in homine fundat realem similitudinem cum equo, & rationale in eodem fundat realem dissimilitudinem cum eodem: ergo animal, & rationale in homine ante operationem intellectus distinguuntur. Idem que argumentum fit de gradu specifico respectu differentie indiuidualis: quia Petrus est similis in natura cum Paulo, & dissimilis in differentia indiuiduali.

Non de sunt Recentiores, qui respondeant, eandem entitatem respectu eiusdem termini, dici simile in ordine ad aliquas operationes, quas in se continet, & dissimile in ordine ad alias operationes: quia semper similitudo, & dissimilitudo in ordine ad operationes tanquam ad rationes fundandi desumitur: præcis enim operationibus, & accidentibus, similitudo in substantia non reperitur.

30 Hæc euasio in multis deficit: in primis est contra Philosophum, & S. Thomam 5. Metaph. lect. 17. vt referemus lib. 2. in cap. de Relatione, & 1. Post. lection. 20. littera, l. Secundo, ideo operationes sunt similes, quia sunt eiusdem rationis: sed substantiæ etiam sunt eiusdem rationis, non intellecto ordine ad operationes: ergo non est cur sic non dicantur similes; vel eadem in substantia, non numero, sed specie, vel genere.

Tertio: iam sæpe monimus, quod

operationes à posteriori manifestat conuenientiam, vel disconuenientiam principiorum, & substantiarum: nunc autem loquimur à priori de conuenientia, vel disconuenientia in gradibus metaphysicis. Ac proinde, extra rem recurritur ad operationes connotatas. Præterquam quod, etiam si substantia non sit operatiua, intelligitur in genere, & specie, imo in particulari existens perse. ergo tunc oporteret argumentum soluere.

31 Nos facile respondemus, quod propter distinctionem virtutalem, & distinctionem rationis, quæ in re est fundamentaliter, possunt in eodem esse oppositæ relationes ad terminos entitatiue distinctos, & terminantibus secundum diuersam virtualitatem: quia in eodem possunt esse relationes plures specie distinctæ. Et iam diximus q. 12. in fine, quod à parte rei est vnitas formalis, & vnitas specifica fundamentaliter sumpta; & quod in ista fundatur relationes reales.

32 Quarto arguitur: vbi est vera, & realis compositio, est vera, & realis distinctio: sed gradus metaphysici in specie faciunt veram, & realem compositionem: ergo habent veram, & realē distinctionē: non entitatiuam: alioquin non essent de essentia indiuidui: Ergo distinguuntur actu formaliter ante operationem intellectus. Maior patet, quia vbi non est distinctio, est identitas, non compositio: nec valet intellectus concipere, qualiter compositio possit esse realis, si extrema solum distinguuntur ratione.

Minor vero probatur: primo, quia compositio metaphysica generis, & differentia correspondet compositioni physicae materiae, & formae: unde dicit Philosophus 8. Metaphysic. textu 6. quod genus sumitur à materia, differentia vero à forma. Sed compositio physica materiae, & formae est realis. Ergo & compositio metaphysica generis, & differentiae.

Secundo probatur minor: ubi est realiter aliquid potentiale, & determinabile, & aliquid actuale, & determinans, est realis compositio, & distinctio: sed genus est aliquid potentiale, & determinabile; & differentia aliquid actuans, & generis potentialitatem determinans, ut ex eorum definitionibus constat. Ergo genus, & differentia, realem faciunt compositionem, & admittunt actualem formalem distinctionem ante operationem intellectus.

Tercio suadet minor: quia compositio rationis non obstat simplicitati; & ideo posset habere locum in Deo: sicut sine prauiudicio summae simplicitatis divinae, admittimus attributa ratione ratiocinata distingui: sed compositio metaphysica generis, & differentiae non habet locum in Deo; ut probat S. Thomas 1. p. quaest. 3. artic. 5. ergo illa compositio non est rationis, sed realis: ergo gradus metaphysici, ex quibus constat, ante operationem intellectus distinguuntur.

33 Responderetur concedendo maiorem, & negando minorem; quia cō-

positio metaphysica non est realis, sed rationis, ut docet S. Thomas q. 27. de Verit. art. 1. ad 8. his verbis: *ad hoc ut aliquid sit in praed. can. entis aliquo accidentis, non requiritur, quod sit compositum compositione reali, sed solummodo compositione rationis ex genere, & differentia.* Idem dicit alijs locis relatis à M. Sanchez lib. 3. Logica q. 8. concl. 1. & hoc probant rationes nostrae conclusionis.

Ad primam probationem minoris respondetur, quod non semper correspondent: quia in accidentibus est compositio metaphysica, & non physica; & pariter in Angelis: in quibus, ut ait S. Thomas 1. p. q. 50. artic. 2. ad 1. genus, & differentia in eis non accipitur secundum aliud, & aliud; sed secundum unum & idem: quae tamen differunt secundum considerationem nostram: in quantum enim intellectus noster considerat illam rem ut in determinate; accipitur in eis ratio generis; in quantum vero considerat, ut determinate, accipitur ratio differentiae. In nobis vero genus, & differentia proxime sumuntur ab eadem entitate; sed radicaliter genus à materia, & differentia à forma; ut dicitur infra q. 19. §. 6. ex quo solum habetur, quod in re est fundamentum distinctionis; ipsa tamen actualis distinctio solum fit per rationem. Cuius rationem assignat S. Thomas 1. p. q. 76. art. 3. ad 4. *quia non oportet secundum diversas rationes, vel intentiones logicas; quae consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere: quia ratio una, & idem secundum di-*

hos modos apprehendere potest: præcipue quando in re inuenit fundamentum. Et ita ait S. Thomas 3. cap. de Ente, & essentia, quod hæc compositio non est sicut ex duobus rebus tertia re, sed sicut ex duobus intellectibus tertius intellectus. Quod subtiliter declarat Caiet. in 3. p. cap. notab. 2.

34 Ad secundam probationem respondetur, quod ut ait Sanctus, Thomas 1. p. q. 50. art. 4. ad 1. differentia est nobilior genere sicut determinatum in determinato, & proprium communi; non autem ficta alia, & alia natura: unde hæc determinatio, & in determinatio non est physica, & realis, sed secundum considerationem nostram, ut dixerat idem S. Thomas ibi art. 2. ad 1. ac per consequens, animal, quod est in homine, non est realiter potentiale, & determinabile; sed identificatum cum rationali: quamuis animal ut sic, abstracte consideratum, concipiatur ut potentiale, & determinabile, & actuabile per differentias.

Ad tertiam dicitur, quod compositio metaphysica, quamuis formaliter sit quid rationis: originatiue, & fundamentaliter, non solum exigit distinctionem, sed potentialitatem Deo repugnantem, de qua S. Thomas illo artic. 5. q. 3. 1. p. & q. 13. art. 4. ad 3. & q. 2. de Veritate art. 2. ad 3. & ideo quamuis compositio metaphysica sit quid rationis, & ex hac sola parte non diceret imperfectionem; eam tamen dicit ex

parte fundamenti; & ideo absolute in Deo locum non habet.

## §. VI.

*Qualiter præscindant gradus metaphysici?*

35 **S** Itiam secunda conclusio: gradus metaphysici inter se, & à differentia individuali non præscindunt in esse rei, & actu formaliter: præscindunt tamen obiectiue, in quantum correspondent præcisioni formali intellectus, ut aliquid extra propriam rationem formalem alterius, à quo virtualiter differt.

Prima pars sequitur ex prima conclusione, sola explicatione terminorum: nam idem intelligimus nomine præcisionis obiectiue in esse rei præuenientis omnem actum intellectus, ac nomine distinctionis formalis actualis ex natura rei: sed ostendimus hanc non interuenire: ergo nec datur inter istos gradus præcisio obiectiua in esse rei.

36 Ut probetur secunda pars; prius est explicanda: quia sinistre ab impugnantibus exponitur: arbitrantur enim quidam nos asserere, quod quando intellectus præscindit animal à rationali, cognoscit in ipso obiecto unitatem quandam rationis, per quam animal obiectiue sit unum distinctum à rationali. Cū autem ex parte animalis, & rationalis dantur duæ unitates consistat in illis ab intellectu, sunt duo obiecta à se se mutuo distincta per rationem; & sic verificatur dari præcisionem obiectiuam: quia in obiecto derivatur unitas rationis, qua ad inuicem se figurantur: siue hæc unitas sit negatio, siue sit aliquid positium.

37. Hæc tamen expositio est contra mentem Thomistarum: nam ipsi negant entia rationis habere esse in rebus: nec alibi habent esse obiectiue nisi in intellectu: ergo, si præcisiones explicarent solum entibus rationis confictis, potius deberent affirmare solum dari præcisiones formales, & non esse admitteudas præcisiones obiectiuas.

Secundo; hæc formatio entium rationis, siue per resultantiam, siue per ad inuentionem intellectus, etiam habet locum cum cognoscimus eas, & alia transcendentia, ne npe, verum; & bonum: imo relationibus, vel negationibus rationis proprietates entis ab ente distinguuntur: & tamen ens, & alia transcendentia negamus obiectiue præscindere: quia in terminis implicat, transcendentia perfecta, cum præcisione obiectiua: dicta ergo expositio nostræ sententiæ, est contra mentem authorum, qui eam docent.

38. Nos facilius, cum D. Thomam in 1. dist. 2. q. 1. artic. 3. incor. & ad 5. distinctiones, & præcisiones istis obiectiuas explicamus, per correspondentiam obiecti ad actum intellectus præscindentis formaliter. Potest autem intellectus præscindere, vel formando speciem representando vnum, & non aliud: vel considerando vnum sine alio: vel negatiue; vel positiue dicendo, hoc non est illud formaliter: & ulterius potest intellectus reflecti supra suos actus, & cognoscere, quod in obiectis sic cognitis sunt singulæ unitates, ac proinde singulæ ne-

gationes: quia vnum supra ens, addit indiuisiōnem, quæ est negatio: & cognoscit quod relatio distinctionis eorum, quæ sunt identificata, non est realis, sed rationis, vt docet S. Thomas 1. p. q. 28. articulo 1. & de istis modis abstrahendi, & præscindendi, agit S. Thomas, 1. p. quæst. 85. artic. 1. ad 1. & artic. 2. ad 2. & op. 48. cap. 1. & opulc. 55.

Oportet etiam recolere ex dictis quæst. 12. num. 24. quod licet distinctio sit rationis, entitas cui tribuitur est in re; licet non distincta; tamen cum eminentia unitatis, & virtuali distinctione, & exclusionem, vnius formalitatis ab alia. Diximus etiam ibi num. 23. quod vnitatis, quoad directum significatum, est quid positium, & quod indirectum, seu completium, est quid negatiuum.

39. Sensus ergo conclusionis est, quod speciei, vel cognitioni præscidenti, correspondet gradus, vel natura virtualiter distincta ab illo, à quo præscindit, & ideo verificatur, quod vnum formaliter non est de ratione alterius, propter fundamentum, seu virtualem distinctionem, quæ in re præcedit: & hoc sufficit ad præcisionem obiectiuam. Postea tamen intellectus potest cognoscere duas unitates in obiectis præcisis: & illæ ex parte entitatis, erunt quid reale positium; ex parte vero indiuisiōnis, erunt quid negatiuum. Potest etiam intellectus relationem distinctionis ad inuenire, vel considerare; & ita fundamentaliter ex parte naturæ.

est

est quid reale; formaliter vero est quid rationis: vt docet S. Thomas q. 7. de potentia art. 11. & hæc conclusio nis explicatio, sit prima eius prolatio.

40 Præterea probatur: nam Philosophus 3. Metaph. textu 10. & S. Thomas 1. p. q. 3. art. 5. ideo probant quod *ens non potest esse genus alicuius*; quia omne genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis. nulla autem differentia potest inueniri, quæ esset extra ens: quia non ens non potest esse differentia. Et secundo Post. lect. 12. doceat, quod genus continet differentias, non in actu, sed in potentia. Ex quo sic arguitur. Si animal præcinderet à rationali, tantum ex parte nostri, & non ex parte obiecti; tantum præcinderet prænes implicitum, & explicitum: ergo nulla esset differentia inter istum modum præcisionis, & præcisionem entis à modis, & inferioribus eius: sed hoc est falsum: alioquin ens esset genus, & extra conceptum inferiorum: quod libro sequenti excludetur.

41 Tertio, vt dicit S. Th. 3. cap. de Ente & e'entia *genus non prædicatur de differentia per se loquendo*, vt dicit Aristot. 3. de Anima, & 4. Topicorum: quia differentie sunt extra rationem generis: & pariter principia indi. id est, non sunt de ratione speciei, vt docet S. Thomas 1. p. q. 35. artic. 1. dicit. vnde in definitione speciei non intrant individualia principia: ergo genus præcindit à differentia, & species præcindit ab individualis.

Dices: licet physice, genus, & differentia sint idem; & pariter species & indiuiduum; tamen metaphysice differunt prænes propriam conceptibilitatem: & hoc sufficit vt præcendant ex parte actus, & ad inuicem non prædicentur formaliter, nec intrent in definitione speciei indiuiduantia principia; non tamen sequitur, quod præcendant ex parte obiecti.

Hæc tamen solutio, vel inuita concedit, quod negare intendit: quia nos non contendimus probare præcisionem physicam, nec metaphysicam, à parte rei formaliter actu existentem; sed solam præcisionem metaphysicam, in re virtualiter, & fundamentaliter existentem; ratione cuius verificetur, quod differentie sunt cum fundamento in re extra propriam rationem generis, & differentie individuales extra propriam rationem speciei: sed hoc verificatur, stante reali identitate physica, cum sola præcisione metaphysica: quam solutio concedit: ergo illa non enervatur, sed firmatur nostram argumentum.

42 Quarto probatur: si gradus metaphysici præcindunt solum ex parte actus, & non ex parte obiecti, nec virtualiter sequitur, quod non detur compositio metaphysica, cum fundamento in obiecto, sed tota se tenebit ab extrinseco ex parte intellectus, & ex parte connotatorum: sed hoc est aperte falsum: ergo, & illud est, quo sequitur. Maiorem adhibebunt, quia id inenitabiliter sequitur ex eorum sententia: cum compositio, & vno locum non ha.

habeat ex parte obiecti; quando distinctio, & praecisio tota se tenet tantum ex parte intellectus. Minor vero suadetur primo: quia alioquin differentia sola esset aequae simplex, ac tota species; quia ab extrinseco, etiam differentia admittit diuersos conceptus, & plura connotata. Secundo, sequitur quod nulla sit differentia inter transcendētia: & nō trāscēdētia: & ita sicut ens transcendit ultimas differentias, etiā genera. Et tertio sequitur, cōpositionem metaphysicam esse in Deo, contra doctrinam S. Thomae 1. p. q. 3. art. 5. Theologorum communem, contra unum, vel alterum id negantem.

43 Ultimo vrgentius probatur: si homo obiectiue non praescinderet à singularibus, sequitur quod conceptus obiectiuus hominis, sit cōceptus obiectiuus singularium; sed hoc est falsum: ergo vniuersalia obiectiue virtualiter praescindunt à singularibus. Maior ex terminis patet; quia conceptus obiectiue non praescindens ab alio, obiectiue identificatur, & est idem cum illo. Minor vero probatur: quia sequitur, quod non sit differentia inter intellectum, & sensum, quoad hoc: nam, sicut sensus immediate est singularium, ita & intellectus: cuius oppositum, cum Philof. 2. de Anima cap. 5. & 1. Physicorum textu 49. docet S. Thom. 1. p. q. 86. art. 1. Item sequitur, quod vocibus vniuersalibus non correspondeat natura vniuersalis: quod *haeresis Dialectica* vocat D. Anselm. lib. de Incarnatione cap. 2. id autem aperre sequitur quia vniuersale, &

singulare obiectiue prorsus sunt idem: & ita si vox singularis representat singularia immediate, pariter vox vniuersalis.

Dices: discrimen esse, quod cōceptus singularis explicitè representat singularia; conceptus vero, qui dicitur vniuersalis, explicitè representat in quo conueniunt singularia; & ipsa singularia impositat in cōfuso, & indistincte.

44 Sed contra, primo: nam sequitur, quod idem conceptus correspondeat termino collectiuo singulari, ac termino cōmuni vniuersali: sed hoc est falsum: ergo conceptus vniuersalis non representat immediate ipsa singularia incōfuso Maior patet: quia terminus collectiuus, vt Collegiū, Populus, Prouincia, significant immediate plura singularia in cōfuso sub aliqua ad unatione, & collectione. Minor vero probatur: nam alicui repugnant termini collectiuo, cui conueniunt termini communes, & vniuersales; vt Petrus est homo; & tamen non est Collegium, nec Prouincia, & sic de alijs.

Secundo clarius id cernitur in praedicationibus: nam, si, *homo* significat omnia singularia immediate, quauis in cōfuso; sequitur quod cum dico, *Petrus est homo*, esset sensus quod, *Petrus est Ioannes, & Franciscus & Antonius &c.* Quod aperte est falsum. Probatur sequela: nam immediatum significatum termini debet conuenire subiecto, cum terminus praedicatur: sed immediatum significatum, iuxta sententiam quam impugnamus, sunt singularia; ergo illa de-

berent termino singulari cōuenite.

Demū, cum dico, *homo disputat*, esset sensus, quod omnia singularia disputarent, si omnia indiuidua immediate significarētur termino, & conceptu cōmuni: sed hoc est manifeste falsum: ergo voces, & conceptus vniuersales importāt aliquā naturam immediate virtualiter præcindentē à singularibus. ¶ Qualiter autem hæc argumenta instantiā nō habeant in ente, & in alijs trāscendētibus: libro secundo dicetur.

Argumenta etiā omnia, quæ pro Scoto adduximus §. 5. hanc secundam conclusionem conuincunt, & nullatenus opponuntur primæ, ut in eorum solutione explicuimus.

## §. VII.

*Alia argumenta solvuntur.*

45 **S**ed contra nos arguunt Recētiōres, primo: quia animal nō potest realiter produci, quin per eā dē productionē realiter producatur rationale: loquendo de animali, quod est in homine: quia realiter sunt eadem entitas: ergo neque potest realiter cognosci animal, quin per eandem cognitionem realiter cognoscatur rationale. Probatur consequentia, primo; quia utrobique est eadem ratio. Secundo, quia iam de eodem verificarentur duæ contradictoriæ, nempe, *hoc ens cognoscitur, & hoc ens non cognoscitur.*

Facillime respondetur, concesso antecedenti, distinguendo consequens: & concedo illud de cognitione adæquata, immediata, & in-

tuitiua; nego vero de cognitione inadæquata, & abstractiua, & præcisiua: sicut enim ipsi admittunt, eandem entitatem posse attingi expresse per vnā cognitionem, qua exprimat animal, & non exprimat rationale distincte, absque eo, quod sit contradictio; quia non sunt eiusdem de eodem; ita nos dicimus de cognitione inadæquata: quia sicut de Deo simplici, plures conceptus formamus absque falsitate; ita multo melius de obiecto creato cōposito.

Ad primam probationem dicitur, quod esset par ratio de cognitione adæquata, qua attingit omnia prout sunt, sicut physica productio rem causat, ut postea est: at vero cognitio inadæquata, potest attingere vnā virtualitatem, quin attingat aliam. Et iam diximus distinctionem virtualem impedire aliorum prædicatorum contradictionem; quia non continentur secundam idem.

46 Sed instabis: nam distinctio virtualis ponitur in Deo propter mysterium SS. Trinitatis: ergo cum huic simile non sit in creaturis, non licet ad illas eam extendere.

Huic argumento iam respondimus nūm. 9. & vltius addimus, quod non omnia; quæ in Deo sola ratione distinguuntur; in nobis debent maiori distinctione differre: quia ens, & bonum in Deo sola ratione distinguuntur, ut notat S. Thomas quaest. 21. de Veritate articulo. 1. ad 5. & tamen in nobis etiam sola ratione distinguuntur:

ex eo, quod distinctio virtualis datur in Deo; non sequitur, quod eadem sit maior in creaturis: quia in nobis nunquam est cum tanta eminentia, ac est in Deo. Et licet tollat aliquorum prædicatorum contradictionem, nempe, illorum, quæ important explicite illas virtualitates: non tamen omnis contradictio per distinctionem virtuales potest tolli. Imo nec tolleretur per distinctionem formalem; adhuc si daretur actualiter ante intellectum. Vide quæ scripsimus 1. p. Metaph. Controv. 10. art. 7. §. 5. & artic. 3. & 6.

47 Secundo arguitur ex eisdem: quia distinctio animalis, & rationalis non est in obiecto, prout distinctio à cognitione: ergo distinctio, seu præcisio non datur ex parte obiecti; sed solum ex parte cognitionis. Probaturs antecedens: quia antequam cognoscatur animal, non habet aliquid ex parte sui, per quod sit formaliter aliud à rationali: ergo hoc, quod est esse aliud à rationali, provenit illi à cognitione: ergo distinctio datur ex parte cognitionis, & non ex parte obiecti.

Respondetur distinguendo antecedens; non est in obiecto, actu, & formaliter antecédenter ad cognitionem; concedo, Non est in obiecto, virtualiter, fundamentaliter, aut eminenter; nego antecedens Pariterque distinguo consequens: ergo præcisio non datur in obiecto, in esse rei; concedo: quia sic solum ponitur ab illis; qui in rebus admittunt distinctionem formalem

actuales minorem distinctione reali; quæ est sententia Scoti. Non datur præcisio in obiecto, virtualiter, & per correspondentiam ad actum præscindentem, quo fit præcisio formalis; nego. Et solum hoc modo à Thomistis admittuntur præcisiones obiectivæ, prout iam explicuimus, & verum esse ostendimus.

### §. VIII.

#### *Dubium appendix.*

48 **I**nquirunt hic non nulli, an gradus superior possit ab vno solo inferiori præscindi? Consequenter alij disputant, vtrum natura abstracta ab vno individuo sit vniuersalis?

In vtroque puncto, qui de illis disputant, in varia placita diuiduntur: quia non eodem modo voces vsurpant. Qui dicunt, quod eo ipso quod natura abstrahatur ab vno abstrahitur ab omnibus; id probant quia natura abstracta ab vno individuo, cognoscitur sine vlla singularitate: ergo abstrahitur ab omnibus: quia abstrahere, est vnum sine alio cognoscere: ac proinde, cognita sine omnibus abstrahitur ab omnibus.

49 Per oppositum alij contendunt, quod abstrahere non est solú vnum sine alio cognoscere: quia quando cognosco animal, non cognito lapidè, non dicor abstrahere animal à lapidè: est ergo abstrahere cognoscere vnum sine alio, quod cum ipso est identificatum. Cum

igitur natura vnius indiuidui non sit identificata cum alio; tantum ab illius indiuiduali differentia dicetur abstrahi. Et cum prædicetur solum de illo, à quo abstrahitur; vt natura possit prædicari de omnibus indiuiduis, debet ab omnibus abstrahi. Ex quo inferunt, naturam ab vno indiuiduo abstractam vniuersalem non esse: quia vt sic non est apta nata dici de pluribus.

50 Isti deficiunt, quia non distinguunt inter abstractionem negatiuam, & positiuam. Nec discernunt inter vnitatem numericam, & vnitatem formalem; & pro eodem accipiunt vnitatem identitatis, ac identitatem vniuersitatis. Quæ omnia supra satis distinximus.

Dicimus ergo, quod eo ipso quod natura cognoscitur sine vlla singularitate, dicitur negatiue abstrahens ab omnibus: quia nullam explicat, & quia cognoscitur natura vt natura, non vt singularis. Et quantum ad hoc, vera est prima sententia: cui maxime fauet S. Thomas 3. par. quæst. 2. artic. 5. ad 2. ¶ Vnde falsum est, quod inquit M. Cabero tract. 3. præd. disput. 3. dub. 3. in fine, quod natura abstracta ab vno, & ad illum comparata, erit vniuersale metaphysicum, & metaphysice superius. nõ vniuersale logicum: quia logicè nõ est æquale. ¶ Sed non video cur intellectus supra metaphysice superius, non possit fundare secundam intentionem logicè superioris: & ita natura abstracta ab vno, erit etiam logicè vniuersalis. ¶ Cum quo ta-

men stat, quod hæc præcisio negatiua ob omnibus, ab vno solo occasione sumpserit; vel quia vnum tantum indiuiduum vidit; vel quia vnum tantum est naturaliter possibile.

51 Quod non tollit, quod natura sic abstracta possit esse vniuersalis: quia ex vi naturæ, plura indiuidua non repugnant: vnde dicitur communis, non secundum rem, sed secundum rationem tantum. Quod notat S. Thomas 1. p. quæst. 13. artic. 9. dicens: *Natura Solis non est communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum. Potest enim natura Solis intelligi vt in pluribus suppositis existens. Et hoc ideo, quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singulari. Vnde esse in vno s. pposito singulari, vel in pluribus, est præter intellectum natura speciei. Vnde seruato intellectu natura speciei, potest intelligi vt in pluribus existens.* Hæc S. Thomas. ¶ Ex quo cessat argumentum contrarium; quia ad rationem vniuersalis, non requiritur, quod actu sit in pluribus; sed quod ex vi naturæ, non repugnet esse in pluribus. Vnde Philosophus ad hoc insinuandum in definitione vniuersalis, nõ dixit quod pluribus inest; sed quod pluribus esse natum est, vt notat S. Thomas 7. Metaphys. lect. 13. Vtrū autem idem dicendum sit in natura

Angelica? infra in capite de Specie dicitur q. 21.

\*\*\*

## QVÆSTIO XIV.

*Qua operatione intellectus fiat  
vniuersale formaliter?*

§. I.

*Termini exponuntur.*

**P** Rælibanda sunt aliqua, ex his  
quæ libro tertio de Anima la-  
tius traduntur circa operationes  
nostri intellectus in cognitione vni-  
uersalis. ¶ Cum experiamur nihil  
esse in intellectu, quod pri<sup>o</sup> nõ fuerit  
in sensu; prior est operatio sensus,  
quam operatio intellectus. Et præ-  
ter operationes notissimas quinque  
sensuum externorum; dantur aliæ  
in sensibus internis: quia adiuti spe-  
ciebus immixtis ab obiectis, & sensi-  
bus externis, produciunt in se ima-  
ginem, seu speciem expressam ob-  
iecti, per quam fit sensatio interior:  
& quia directe sunt circa singularia,  
species istæ vocantur *phantasmata*,  
seu simulacra singularium: quia in-  
diuidua repræsentant cum proprie-  
tatibus singularibus pertinentibus  
ad sensus, vt cum colore, odore, sa-  
pore, sono, & sic de alijs: quia tamẽ  
intellectus intelligit abstrahendo à  
singularibus sensibilibus; ideo oportet  
vt depuretur natura ab istis, vt  
directe possit ab intellectu per-  
cipi.

2. Secundò notandũ, ex Philoso-  
pho 3. de Anima, & ex D. Th. 1. p.  
q. 79. art. 2. & 3. quod in nobis est  
duplex intellectus: alius *possibilis*,

seu possibilis, quia patitur recipien-  
do species: nam à principio est sicut  
tabula rasa, in qua nihil est scriptum: &  
sic scriptus, & depictus speciebus,  
eis vitur intelligendo in actu. Alius  
est intellectus *agens*: qui abstrahit  
species à phantasmatibus, & facit in-  
telligibilia in actu, per abstractionẽ  
specierum à conditionibus materia-  
libus: quia formæ in materia existẽ-  
tes, non sunt intelligibiles actu: nec  
formæ sensuum sunt proportionatę  
intellectui spirituali. ¶ Est ergo  
quæstio, an vniuersale formaliter  
fiat actione intellectus agentis, qua  
formatur species repræsentans na-  
turam sine singularitate? an verò sit  
expectanda actio intellectus possi-  
bilis? ¶ Quia tamen istius actio,  
quoad præsens, attinet, est triplex,  
nempe, *simplex cognitio* naturæ ab-  
tractæ; *simplex comparatio* eiusdẽ ad  
inferiora, à quibus est abstracta; *ac-  
tualis verò prædicatio, vel comparatio*,  
est vltima; ideo vltèrius inquiritur,  
qua istarum fiat vniuersale, forma-  
liter?

3. Distinximus supra q. 11. vni-  
uersale in repræsentando, & in cog-  
noscendo: & vniuersale metaphysi-  
cum, & vniuersale logicũ. Et quid  
his vocibus importetur, satis expli-  
cuimus. Quia tamen relationes iste  
rationis difficile percipiuntur; ideo  
reijciuntur à Ludouico Vives lib.  
3. de Corruptis disciplinis fol. 112.  
quæ sequentes plures Recentiores  
Societatis Iesu scriptores, censent  
formam vniuersalis esse ipsam et  
cognitionẽ præcisiuã terminatam  
ad collectionẽ individuorũ in ordi-  
ne ad connotata, seu operationes  
simi-

similes, ratione quarum inftar vnius naturæ cognoscuntur: & ita forma vniuersalis est ipsa cognitio extrinsece denominans indiuidua confuse cognita. Ita Hurtadus disp. 5. Metaph. sect. 7. & 10. Arriaga disp. 6. Logicæ sect. 4. & alij. Et videtur sententia Nominaliū, iam diu relata, & impugnata à M. Soto q. 1. vniu. concl. 2. & in proprijs terminis opinionem impugnaverant Sanchez lib. 2. Logicæ tota q. 17. & Masius sect. 4. vniu. q. 2.

4 Contra illorum positionem asserimus formam vniuersalis logici esse relationem rationis, quæ est secunda intentio: quam præcedit prima intentio, quæ est ipsa denominatio extrinseca cogniti: & hanc præcedit vniuersale in representando, quæ est species entitatie singularis, & representatiue vniuersalis: vt autè distinguantur ab vniuersali logico, tam prima intentio, quam vniuersale in representando, appellatur vniuersale metaphysicum: quauis nonnunquam ipsa natura dicatur vniuersale metaphysicum. Hæc vltima pars pertinet ad modam loquendi: de quo iam dictū est. ¶ Aliæ verò partes huius communis asserti sunt omnes expressæ S. Thomæ. Primā exprese docet in 1. sentent. dist. 2. q. 1. art. 3. & q. 7. de Potentia art. 11. & 1. Ferih. lec. 10. & habetur opusc. 42. capit. 4. & opusc. 48. cap: 1. imò, & 1. p. q. 28. art. 1. & fauet Porphyrius cap. de specie dicens, *genus esse correlatum speciei.*

5 Et quia reliquæ partes, in conclusionibus responsiujs ostendētur,

& de illis non est difficultas, sufficiet assignare rationē primæ partis, quæ talis est. Ens rationis est, quod cum in re nō sit ens, accipitur vt ens in ratione, seu quod *habet esse solum obiectiue in intellectu*: sed vniuersalitas naturæ non est aliquid reale: quia non datur in rebus: & est aliquid de nouo conueniens ipsi naturæ, quasi ipsam afficiens quasi intrinsece: ergo est ens rationis. Sed non est negatio: quia positue dicitur: ergo est aliqua relatio. ¶ Præterea: tunc est relatio rationis, cum est respectus rationis conferentis vnum alteri, inter quæ à parte rei non est habitudo: ita definit S. Thomas 1. p. q. 28. artic. 1. Sed inter naturam, & eius indiuiduationem, vel inter speciem, & genus, à parte rei non est habitudo: quia eiusdem ad se ipsum non est relatio realis: & manifeste videmus habitudinem fingi, vel formari à ratione: ergo est relatio rationis vniuersalis. Aliæ dux rationes videantur in P. Rubio q. 5. Vniu. concl. 1. & oppositam sententiam totam subvertente Logicam dixit M. Sanchez lib. 2. q. 2. concl. 7. & q. 16. concl. 8. & videtur tota q. 17.

Dices, authores relatos non negare intellectū posse fingere huiusmodi relationes rationis: quia id manifestæ experientie aduersaretur: sed asserere, tales rationes necessarias non esse, vt natura dicatur vniuersalis; quia ad hoc sufficit, vel representatio, vel cognitio confundens plura indiuidua; etiam si relatio non resultet, vel fingatur.

6 Sed contra est, primò; quod Ludouicus Viues, qui videtur patronus huius sententiæ, istas relationes rei, citat *vt portentosis*: eis ergo negat contra vniuersalem consensum omnium Logicorum, quibus in huiusmodi omnimoda fides esset adhibenda; ad huc si non tam clare demonstraretur, vt hactenus demonstrauimus. ¶ Secundo, licet relationis non sit necessaria vt naturæ dicatur vniuersalis in representando, seu vt obiectum representatum, vel extrinsece; est tamen necessaria, vt dicatur vniuersalis, quasi in essendo, & intrinsece: sed de isto nunc loquimur; ergo ad intentum ratio est necessaria. Quod alijs terminis exprimit P. Suarez disp. 6. Metaph. sect. 6. num. 8. dicens, vniuersale dupliciter posse à nobis concipi, vel denominari. Primò, vt quid *absolutum secundum esse*, quod potest relationem aliquam fundare. Secundò vt *relatiuum secundum esse*, dicens ordinè ad inferiora. Primo modo, nos vocamus *primam intentionem* vniuersalitatæ, & relationem vocamus *secundam intentionem*.

7 Tertiò, sic oportet loqui, vt assignemus formaliter vniuersale metaphysicum, nempe, naturam vt cognitam primò; & formam vniuersalis logici, quæ sit aliquid rationis, iuxta dicta q. 11, quia nisi sic dicamus, non erit facile assignare formam vniuersalis metaphysici, distinctam à forma vniuersalis logici.

Demum, illam explicationem vniuersalis, iam reiecimus quæst. 13.

num. 30. & obiter impugnetur M. Fr. Ioan. à S. Thoma q. 3. artic. 3. §. *Ex quo inferes*: nam restat explicare, quomodo operationes illæ connotatæ sint vnum, vt concipiuntur instar vnius naturæ? si solum habent vnitatem similitudinis; sequitur, quod non habeant maiorem vnitatem, quam ipsa naturæ singulares: quia istæ non sunt dissimiles in natura: & si propter similitudinem operationum, naturæ accipiuntur vt vnum; multo melius ipsa naturæ habebunt vnitatem ante connotationem: alia maior vnitas operationum, non est assignabilis: ergo melius est recurrere ad vnitatem vniuersalitatæ, quam nos explicauimus. His prælibatis, de vniuersali in tribus istis acceptationibus videndum, quæ operatione fiat?

## §. II.

### De vniuersali in representando.

8 Dico secundò, per actionem intellectus agentis sit species representans naturam vniuersaliter: quod est fieri vniuersale in esse obiectiuo, & metaphysice. Habetur opusculo 48. apud D. Thomam capite 1. vbi loquendo de specie intelligibili causata ab intellectu agente in intellectu possibili, dicitur: *Quæ formate presentat hominem vt abstractum à conditionibus materialibus: & hoc dicitur esse vniuersale*. Cum igitur, vt postea dicitur, ibi non sit

vniuersale logicum, erit vniuersale metaphysicum. Et in opusc. 55. asseritur: quod vna, & eadem natura, qua singularis erat, & indiuiduatur per materiam in singularibus hominibus, fit postea vniuersalis per actionem intellectus, depurantis ipsam à conditionibus, qua sunt hic, & nunc. ¶ Clarissime idem docet S. Th. 4. cap. de Ente, & essentia: & illius rationem sic ad formam redigit ibi Caietanus in 6. conclus. ante q. 7. Vniuersale est vna apta dici de multis, vt ex definitione Philosophi constat: sed res secundum esse obiectiuum in intellectu agente est huiusmodi: ergo vt sic est vniuersalis. Probat minor: res abstracta à conditionibus indiuidualibus, vt sic, est apta nata prædicari de pluribus; sed res secundum esse obiectiuum in intellectu agente, est abstracta à conditionibus indiuidualibus: ergo vt sic est apta nata dici de pluribus: ac proinde, dicitur vniuersalis. Vide etiam S. Thom. 1. p. q. 85. art. 1. ad 1.

9 Dices, cum P. Suarez dicta sec. 6. n. 7. in fine, vltimam minorem esse falsam: quia intellectus agens producit species materialium spiritualiter, & ita producit species, que repræsentent singularia: vnde verum simile est, nunquam posse producere species repræsentantes naturas abstractas à singularibus.

Hæc solutio manifestè contradicit S. Thomæ, qui 1. d. q. 14. art. 11. ad 1. ait: quod intellectus noster speciem intelligibilem abstrahit à principijs indiuidualibus. Vnde species intelligibilis nostri intellectus non potest esse similitudo principiorum indiuidualium. Et prop-

ter hoc intellectus noster singularia non cognosci. Hæc ibi S. Thomas, & q. 85. art. 1. ad 3. & 4. Deinde in libris de Anima ex professo est impugnanda illa euasio, & dicendum cum D. Th. 1. p. q. 85. artic. 1. quod intellectus noster directe non est cognoscitius nisi vniuersalium: & quod singularia solum indirecte attinguntur ab intellectu, & quasi per quandam reflexionem.

10 Dices secundò, cum eodem Suarez, quod iuxta veram sententiam, species impressa, neque est formalis imago; nec vlllo modo formaliter repræsentat; sed effectiue, vt se men, & instrumentu obiecti.

Respondetur illam sententiam esse falsam; nisi questio sit de modo loquendi: quia imago impressa, quamuis actu illa intellectus nõ utatur, repræsentatio propria, & formalis est: cum intentionaliter assimiletur, & conueniat formaliter cum obiecto. De quo non est locus disputandi. Videatur Thomæ relati ab Araujo lib. 3. Metaphys. q. 2. art. 5. ad 2. n. 55.

11 Dices tertio, cum eodem Suarez, quod & si demus vniuersale aliquo modo fieri per abstractionem intellectus agentis: id solū erit in habita, seu in actu primo.

Respondetur, de isto puncto integram questionem proponere Sanchez lib. 2. q. 18. & resoluit cum Caiet. quod quando species intelligibilis seruetur in memoria, etiam sine actuali consideratione, est actu vniuersalis: quia est actualis formalis repræsentatio naturæ sine conditionibus indiuidualibus: & nihil

aliud videtur exigi ad vniuersale, de quo nunc loquimur. Vnde inquit S. Thomas 1. p. q. 86. artic. 1. *quod autem à materia indiuiduali abstractitur, est vniuersale.* Et ratio est manifesta, nam sic eo modo, quo natura est in specie, esset à parte rei, esset vniuersale Platonicum: ergo, vt in specie, est vniuersale metaphysicum in actu: quamuis comparative ad primam, & secundam intellectus operationem, dicatur in actu primo: quia per istam abstractionem, nec est in actu secundo denominatio extrinseca cogniti, quæ est prima intentio; & multo minus tunc est actualis secunda intentio logicalis: quia ista exigit actualem secundam cognitionem.

21 Aliud conclusionis fundamentum, indicatum à D. Thoma illo capite quarto, sic proponi potest: natura repræsentatur in specie producta ab intellectu agente, cum sufficiente vnitatem, & aptitudine positiuam ad plura: ergo nihil sibi deficit vt dicatur vniuersalis. Probat antecedens: sic repræsentatur in specie intelligibili, sicut ab intellectu cognoscitur: sed ab intellectu cognoscitur immediate, vt vna apta ad essendum in pluribus: ergo sic repræsentatur. Minorem sequenti conclusione ostendemus. Maior verò probatur, primò, quia sic species proportionatur cognitioni. Secundò, quia vniuersalitas, & prædicabilitas non conueniunt rei pro esse physico; sed secundum esse intentionale, in specie in repræsentando, & in actu intellectus in cognoscendo; vt autem natura repræsentatur

abstracta ab omnibus, vniiformiter se habet ad omnia, & vt ait S. Thomas *essentialiter est imago omnium, & inducens in cognitionem omnium in quantum sunt homines*: ergo in illa specie est natura obiectiue vniuersalis. Videatur etiam S. Thomas 7. Metaph. lec. 13. litt. b.

13 Dices primò; species intellectus agentis solum repræsentant, quæ illi proponitur à sensibus: sed sensus solum repræsentant singularia: ergo, & species intellectus agentis solum repræsentant naturam singularem vt est extra animam.

Responderetur, maiorem esse falsam: quia vt dicit S. Thomas 1. p. quæst. 84. artic. 6.  *nihil corporeum imprimere potest in rem incorpoream*: & ideo ad causandam intellectualem operationem, non sufficit, sola impressio sensibilium corporum; sed requiritur aliquid nobilius, nempe, intellectus agens, qui facit phantasmata à sensibilibus accepta intelligibilia in actu, per modum cuiusdam abstractionis. Vnde ex singularibus sensuum tanquam ex materia, accipit intellectus agens speciem abstractam vniuersalem. Vnde inquit S. Thomas 1. p. quæst. 79. artic. 5. ad 2. *quod intellectus agens causat vniuersale abstractendo à materia.*

14 Iterum obijciens: nam natura sic abstracta, & repræsentata, non habet amplius, quam natura secundum se: quia in ista abstractione solum repræsentantur prædicata quidditatiua: sed natura secundum se non est vniuersalis, vt diximus quæstione 12. ergo, nec

vt representata in specie intellectus agentis.

Respondetur, quod hoc quod est naturam esse abstractam, & representatam, & hoc esse intentionale in specie respectu naturæ, vel est nouus accidentalis status, vel solum noua denominatio extrinseca: & hæc sufficit vt, prout sic, denominetur vniuersalis, propter vnitatem vniuersalitatis, quæ prouenit à præcisione; ex qua etiam habetur aptitudo vt dicatur de pluribus: vnde licet non sit vniuersalis logice, & intrinsece; est tamen metaphysice, & extrinsece, vt terminus imaginis vniuersalis, in qua fundamentaliter est ens rationis.

§. III.

*De prima intentione vniuersalitatis.*

15 **D**ico tertio, per cognitionem præcisiuam intellectus possibilis fit prima intentio vniuersalitatis: quæ dici potest forma vniuersalis metaphysici. Colligitur ex D. Thoma 4. cap. de Ente, & essentia, & clarius 1. p. quæstione 85. artic. 2. ad 2. vbi ait: *Sed quod humanitas apprehendatur siue individualibus conditionibus, quod est ipsum abstrahi, ad quod se iungit intentio vniuersalitatis, accidit humanitati secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo nature speciei, & non individualium principiorum.* Ergo ex mente D. Thomæ, quam primum ab intellectu percipitur, seu cognosci-

tur natura abstracta, sequitur intentio vniuersalitatis.

Dices, cum Araujo lib. 3. Metaph. quæst. 3. artic. 5. num. 57. S. Thomam loqui de vniuersali fundamentaliter. Vel vt dicunt PP. Carmelitani disp. 3. quæst. 6. num. 64. abstractionem intellectus possibilis, sequitur secunda intentio vniuersalis, eo modo quo relationes dicuntur consequi ad suum fundamentum. Vel vt alij loquuntur, intentio vniuersalis sequitur mediate ad illam abstractionem; nõ verò immediate.

16 Istæ tamen expositiones ex parte veræ sunt; sed nõ omnino satis faciunt; nec nobis cõtrariæ sunt. ¶ Non omnino adæquant mentem S. Th. quia intentio vniuersalis est vniuersale formaliter: sed loquitur S. Thomas de intentione vniuersalis: vt patet ex eius verbis: ergo loquitur de vniuersali formaliter. Deinde, si solum loqueretur de sequela mediata, deberet assignare causam immediatam intentionis: sed de illa ibi non meminit, nisi de abstractione vtriusque intellectus: ergo sentit illa fieri vniuersale formaliter.

Quod autem expositiones illæ magis firment nostram sententiam; patet: quia prima intentio est quidem forma vniuersalis metaphysici; sed fundamentum vniuersalis logici: ergo immediate resultat prima intentio, & mediate secunda. Et ita consonat hæc doctrina S. Thomæ cum adducenda in sequentibus. Videatur opusc. § 6. vbi dicit: *est intentio vniuersale pñi vniuersate cognitionis, &c.*

17 Ratione probatur, primo ex precedētibus: quia totum quod repræsentatur per speciem, cognoscitur per intellectum possibilem: sed per speciem intellectus agentis repræsentatur ut vniuersalis: ergo cognoscitur per intellectus possibilis præcisionem, ut vniuersalis.

Secundò: natura sic abstracte, & præcisiue cognita, cognoscitur ut vna uniformiter se habens ad plura, & apta dicere illis: ergo vniuersalis metaphysice. Consequentia ex definitione patet. Et antecedens probatur: quia differentiæ diuersificantes ibi non relucet, & relucet natura: ergo relucet natura uniformiter se habens ad plura: ergo, & apta ut dicatur de illis: ac proinde, ut vniuersalis. Non oportet in hac conclusione probanda immorari: quia arbitror à fere nullo, quoad rem ipsam, negari: quamuis in vocabulis nonnulli dissentiant.

18 Sed inquires, an ista prima intentio solum fiat abstractione negatiua; an verò exigat abstractionem positiuam?

Respondetur, vel sola abstractione negatiua, vel sola positiuam, vel vtraque abstractione posse fieri vniuersale metaphysicum, seu primam intentionem vniuersalis: ut late probat M. Fr. Ioannes à S. Thoma q. 3. Logicæ art. 5. concl. 3. & q. 4. artic. 2. conclus. 1. quia vtraque præcisio relinquit inferiora, & ab illis separat: ergo idem operantur quoad dandam vnitatem, & aptitudinem: licet modus operandi sit diuersus, vel omittendo pure

inferiora, vel ab illis positiuè separando.

19 Secundò inquires, an in ista operatione ponatur fundamentum proximū vniuersalitatis logicæ, an verò solum fundamentum remotū?

Solum poni fundamentum remotū, tenent Rubio quæst. 5. vniuers. concl. 4. & ex Thomistis Callego Controu. 10. ad 3. latius Lerma lib. 3. q. 8. n. 10. & probatur, quia posito fundamento proximo, statim resultat relatio: & ideo ad relationem non datur per se actio; sed actio ne qua ponitur fundamentum proximum resultat, ut inductione constat. Sed si sequenti ostenderetur, quod in ista operatione non ponitur formaliter relatio secundæ intentionis vniuersalis: ergo neque ponitur fundamentum proximum illius.

Secundò est argumentum Lerma: per illam actionem fit dumtaxat vniuersale logicum fundamentaliter proxime, per quam habet natura, quod immediate ei possit intellectus tribuere aliquam specificam determinatam intentionem in vniuersalitatis: sed natura præcisiue cognita, adhuc est indifferens ut intellectus ei tribuat hanc, vel illam speciem intentionis vniuersalis: ergo illa operatione tantum ponitur fundamentum remotum. Probatur minor: nam abstracta albedine à Petro, & Paulo, indifferens est ut referatur ad Petrum, & Paulum; vel ad hoc, & illud album comparetur; & in primo casu tribuitur ei intentio accidentis, & in secundo conuenit

uenit intentio speciei: similiter rati-  
ficabile abstractum, potest dici pro-  
prium, & potest denominari spe-  
cies: & denique, rationale est diffe-  
rentia, si referatur ad naturam, &  
species dicitur, relate ad indiuidua:  
ergo ex sola actione præcisiua, na-  
tura est indifferens ad diuersas rela-  
tiones: ac proinde, ex vi illius non  
ponitur fundamentum proximum,  
sed solum remotum.

20 Dico tamen quarto; prima  
operatione intellectus possibilis po-  
nitur fundamentum proximum v-  
niuersalis logici. Est communis  
inter Thomistas, duobus relatis ex-  
ceptis. Et probatur primo: funda-  
mentum secundæ intentionis est  
formale primæ intentionis; nam se-  
cunda intentio proxime fundatur  
in prima, vt iam diximus q. 10. §. 4.  
sed ista operatione ponitur forma-  
liter prima intentio, vt conclusio-  
ne tertia est ostensum: ergo ista  
ponitur fundamentum proximum  
secundæ intentionis.

Secundo probatur: vnitas, &  
aptitudo ad ad plura est proximum  
fundamentum vniuersalitatis logi-  
cæ, eo quod est forma vniuersalis  
metaphysici, cui immediate tribui-  
tur intentio logicalis: sed ostensum  
est ista operatione tribui naturæ v-  
nitatem, & aptitudinem, & ratione  
illius habet aliquid, quod non con-  
uenit naturæ secundum se: ergo ex  
vi istius operationis conuenit illi  
proximum fundamentum vniuer-  
salis.

21 Denique probatur: nam  
tunc est fundamentum proximum  
relationis, quando in genere causæ

materialis, & per modum subiecti  
nihil mediat inter fundamentum;  
& relationem. Sic autem contin-  
gere in præsentia, probatur: nam ac-  
tio subsequens non exigitur vt ra-  
tio fundandi; sed solum quasi cau-  
sa efficiens relationem ipsam: ergo  
antea præcedebat totum fundamen-  
tum proximum in operatione inte-  
llectus: quod videtur expressisse S.  
Thomas in 1. dist. 2. q. 1. artic. 3.  
dicens: quod *huiusmodi intentionis* (lo-  
quitur de secunda intentione gene-  
ris) *licet proximum fundamentum non  
sit in re, sed in intellectu, tamen remotum  
fundamentum est res ipsa.*

22 Ad primum contrariæ sen-  
tentiæ responderetur, cum Mag. Ioan-  
nès S. Thoma quæst. 4. art. 2. ad 1.  
quod illa maxima habet verum so-  
lum in relationibus realibus, prop-  
ter rationem assignandam libro se-  
cundo: non tamen verificatur in re-  
lationibus rationis: quia illarum  
esse est cognosci; & ita ratio ra-  
tionis non habet esse per resultan-  
tiam; sed per cognitionem. Et rela-  
tio rationis nõ est, nisi sit aliqua cõ-  
paratio, & habitudo: quæ non est  
sola prima præcisiua intellectus  
agentis, vel possibilis: & istæ duæ  
operationes non sunt duo funda-  
menta proxima eiusdem rationis;  
sed diuersæ. Videatur Mag. Arau-  
jo dicto arti. 5. ad 3. Vel sunt duo  
fundamenta vnum altero magis  
proximum: vel sola representatio-  
ne speciei, non verificatur sim-  
pliciter esse fundamentum proxi-  
mum. Quod verius videtur.

23 Ad secundum responderetur,  
quod ad fundamentum proximum,  
non

non exigitur, quod actu sit tributa determinata species: quia hoc non esset solum fundamentum; sed ipsa existentia relationis: sufficit ergo, quod defacto sit capacitas; licet determinatio relationis dependeat ex determinata actione, & determinato termino. Est ergo in differentia in actione, & in respicientia termini determinati; non quia ex parte subiecti non sit in genere causæ materialis determinatio exacta in genere fundamēti. Iuxta hoc ergo, in forma, concessa maiori, distinguenda est minor; est indifferentia in genere subiecti, quasi aliud mediet ut instrumentum relationis, nego. Est in differentia, quasi in genere efficiētis, & indeterminationis termini; concedo minorem; & nego consequentiā: quia ex probationibus solum habetur, quod sine habitudine comparatiua, non ponatur actu ipsa secunda intentio; cum quo comparatur, quod antecedenter sit eius fundamentum proximum.

## §. IV.

*Qua operatione intellectus fiat formaliter secunda intentio vniuersalis logicæ*

24 **H**Oc est vltimum, quod exponēda restat. Circa quod varia sunt authorum placita. Quidam per vnum extremum censent vniuersale logicum fieri per comparisonem compositam intellectus. Solet communiter circumferri

sine certo authore. Sed expresse eā docet P. Vazquez 1. p. q. 15. disp. 73. cap. 2. n. 7.

Per oppositum alij censent, vniuersale logicum fieri prima operatione intellectus agentis. Tribuitur M. Soto q. 2. vniuersalium, & alijs Thomistis; qui loquuntur solum de vniuersali metaphysico, seu primo intentionaliter.

Tertia sententia tenet, vniuersale logicum fieri formaliter actione præcisiua intellectus possibilis. Multi congeruntur authores pro ista sententia; quos non constat loqui de secunda intentione, de qua modo loquimur. Expresse loquendo de secunda intentione, hanc sententiam tenet Toletus q. 2. & 3. vniuers. & M. Ortiz tract. 3. confer. 2. conclusio. 5.

25 Communis tamen sententia docet, vniuersale logicum fieri secunda operatione intellectus possibilis, quæ est simplex comparatio. Est communis Thomistarum, vt referunt, & sequuntur Sanchez lib. 2. q. 16. concl. 6. vbi ostendit eam tenere Scotum, & omnes eius discipulos. Videantur etiam P. Carmelit. disp. 3. q. 6. M. S. Thom. M. Lerma & omnes Recentiores Thomistæ. Item P. Suarez disp. 6. Met. sect. 6. num. 10. P. Rubio q. 5. vniuers. concl. 4. & alij. Pro cuius expositione.

26 Dico vltimo, secunda intentio vniuersalis logicæ, nō sit formaliter ante comparisonem simplicem; nō tamē exigit comparisonem in actu signato cognitum, nec actualem prædicationem: ac proinde, sit simpli-

plici comparatione. Videtur expressa S. Thomae q. 7. de Potentia art. 11. vbi inquit. *huiusmodi sunt relationes rationis, quae attribuantur ab intellectu rebus intellectis, prout sunt intellectus, sicut relatio generis, & speciei has enim relationes rationis ratio adinuenit considerando ordinem eius, quod est in intellectu ad res, quae sunt extra.* Expressius idem habetur opusc. 48. apud D. Thomam cap. 1. & saepissime alibi.

Respondent, quod ut relationes istae in actu signato considerentur, & directe attribuantur naturis, & terminis requirunt comparationem naturae ad inferiora: & de ista loquitur S. Thomas. Cum quod stat, quod ut in actu exercito huiusmodi relationes resultent, vel consequantur, sufficiat actus absolutus, seu cognitio praecisua intellectus possibilis.

Hæc euasio, licet apparentiam habeat, quoad auctoritatem desumptam ex auctore illius opusculi: nã ibi sermo est de actu proprie reflexo: tamen reliquis auctoritatibus, non nisi extorere aptatur: nam primam formationem actualem relationis generis, & speciei, docet S. Thomas exigere adinventionem intellectus, & comparationem naturae ad inferiora: cum ergo non expectet comparationem reflexam, & in actu signato, ut ipsi fatentur, desiderabit comparationem exercitam per cognitionem naturae cum habitudine ad inferiora.

Secundo, de ista attributione in exercitio, loquitur S. Thomas in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. dicens: *ex hoc, quod*

*intellectus intelligit animal ut in pluribus speciebus, attribuit ei intentionem generis.* In quibus verbis non est sermo de reflexa cognitione relationis; sed de prima eius formatione, quae est per secundam cognitionem naturae animalis: quae est cognitio secunda, in actu exercito, primo factiua secundae intentionis vniuersalis. De qua clare loquitur S. Thomas 1. Perih. lect. 10. litt. b. docens, *quod intellectus attribuit has relationes naturae intellectus, secundum quod comparat eam ad res extra animam.*

27 Ratione conclusionem probant PP. Carmel. primo in n. 60. quia nullum ens rationis resultat in natura per abstractionem intellectus agentis, & possibilis: sed omnis vniuersalitas proprie dicta est ens rationis: ergo non fit ante comparationem. Maior, quoad intellectum agentem, probatur, quia ens rationis non fit a potentia non cognoscitiua sed intellectus agens est potentia non cognoscitiua: ergo ab ipso nullum fit ens rationis. Quoad intellectum vero possibile, probatur maior: quia illa prima operatione, non cognoscit naturam aliter ac est; neque fingit ibi aliquod esse; sed potius cognoscit praedicata realiter representata in specie; mere negative se habens circa singularitates: ergo nullum ens rationis format ibi.

28 In ista ratione nos non possumus vim facere: quia ostendimus qualibet operatione intellectus, posse in exercitio fieri aliquod ens rationis: imo admissimus sensibus internis fieri posse formaliter: vnde consequenter tenemur id nul-

in operationi intellectus negare. Nec video cur ista prima operatione, intellectus non possit in exercitio formare unitatem rationis; vel ipsam denominationem rationis cognoscere ad instar formæ: quod à fortiori admittent, qui ponunt formale primæ intentionis esse quid rationis; & tamen omnia ista sunt ante actum comparatiuum: ergo ratione generali entis rationis, non bene probatur conclusio.

29 Melius ergo ab eisdem, & ab alijs authoribus probatur duplici titulo speciali; qui procedit in istis, & non in alijs entibus rationis, videlicet, & quia sunt relationes, & quia sunt secundæ intentiones rationis. Ex primo capite probatur sic: omnis relatio rationis exigit comparationem extremorum, inter quæ est relatio: sed vniuersale logicum, de quo loquimur, est relatio rationis, vt ostensum est cõclusionem primâ: ergo exigit cognitionem comparatiuam; non quidem in actu signato cognitam; sed in exercitio formatum. Cætera patet: & maior in primis est D. Thomæ 1. p. quæst. 28. art. 1. vbi ait: *aliquando respectus significatus per eam, quæ dicitur ad aliquid est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri, & tunc est relatio rationis tantum; sicut cum comparat ratio hominem animali, vt speciem ad genus.* Hæc ibi. Et ratione probatur; nam relatio est ordo, ergo relatio rationis, est ordo factus à ratione: sed ratio non facit nisi conferendo: ergo relationem facit conferendo, & in exer-

citio comparando naturam ad terminum: quia propria ratio relationis, non sumitur in ordine ad subiectum; sed in ordine ad terminum, vt etiam notat S. Thomas ibi ad 1. & 2.

30 Vltterius probatur, ex alio prædicato vniuersalis logici: nulla secunda intentio rationis fit prima cognitione intellectus possibilis: vniuersalitas, de qua nunc loquimur, est secunda intentio: ergo non fit prima operatione intellectus possibilis. Maior constat ex dictis de formatione secundæ intentionis: quia est secunda cognitio, ac proinde supponit primam: & cum prima intentio formalis sit prima cognitio, & secunda intentio sit secunda attentio, seu cognitio; manifestum est, quod secunda intentio fieri nequit prima cognitione. Et cum sit intentio relatiua, debet esse comparatiua, & respectiua.

Tertio probatur: quia pernes habitudinem, & comparationem ad diuersa inferiora, eadem met natura denominatur genus, vel differentia. ergo species vniuersalium distinguuntur per diuersas comparationes ad diuersos terminos; etiã stante identitate naturæ: cum videamus vno vno homine posse intellectum formare quinque prædicabilium, vel vniuersalium intentiones: ergo, cum idem sit constitutum, & distinctiuum, actio comparatiua ad terminum, exigitur ad formandum secundam intentionem vniuersalis.

## §. V.

*Solvuntur argumenta.*

31 **S**ed contra istam conclusionem obici potest: primo, rationes omnes secundæ, & terciæ assertionis contra hanc militare. quia ad vniuersale logicum, tantum dæ conditiones exiguntur; nempe, vnitatis naturæ cognitæ, & aptitudo eius ad plura: nam de isto vniuersali loquens Philosophus 1. Periherm. capit. 5. ait; *vniuersale dico, quod de pluribus aptum est predicari*: sed natura prima cognitione intellectus possibilis accipit vnitatem, & aptitudinem, seu indifferentiã, vt dicatur de pluribus: ergo ista prima operatione resultat in natura formaliter vniuersalitas logica. Probat minor: & in primis, quod tunc fit natura vna vnitatis cognitionis, habetur opusculo 56. apud D. Thomam: & per se notum est, quia actus est vnus, & obiectum est vnũ: si quidem differentiæ diuersificantes ibi non attinguntur, & cognitio hac de causa dicitur præcisiua. Quod autem sit indifferens, patet: quia vt sic non est determinata. Denique, quod sit apta vt dicatur de pluribus; constat: quia in re est in illis, & identificatur cum illis, à quibus præscindit per rationem: ergo nihil illi deest ad vniuersale logicum.

Dices; tunc non cognosci naturam formaliter vt vnã, sed fundamentaliter: quia vt cognoscatur formaliter, vt vna, exigatur actus esse

xus, quo intellectus fingat vnitatem rationis, & illam tribuat naturæ cognitæ.

Hæc tamen euasio aliquorum; iam à nobis est reiecta. quia vt naturæ in actu exercito tribuatur vnitatis rationis, non opus est reflexione, nec nouo actu: quia ipsam cognitionem vnã naturæ non diuisæ formaliter, consequitur in ipso exercitio vnitatis rationis.

32 Secundo frequenter respondent alij, ad vniuersale metaphysicum sufficere illam vnitatem, & indifferentiam negatiuam: ceterum ad vniuersale logicum exigitur vltius indifferentia, & aptitudo positiua: quam tamen non habet natura in intellectu agente, nec in prima operatione intellectus possibilis: quia vt sic nullo modo attinguntur inferiora; & ideo non est positiua indifferentia ad illa.

Sed contra: nam nec species intellectus agentis, nec prima cognitio possibilis possunt omnibus modis præscindere ab inferioribus, vt saltem in obliquo illa non attingant: sed posita positiua vnitatis; & posito, quod positiue non explicentur, iam habetur habitudo sufficiens ad vniuersale logicum: ergo non solum vniuersale metaphysicum; sed secunda intentio, sit ista prima operatione. Probat maior; nam si species, sicut in obliquo, non representaret inferiora; non haberet intellectus principium representatiuum intentionale, quo manuducatur ad secundam operationem comparatiuam: sed hoc est aperte falsum, vt experientia cognoscitur.

ergo, saltem in obliquo, repræsentantur inferiora.

33 Dices; probare argumentū, quod repræsentantur, & cognoscuntur indiuidua, vt terminus relictus, & vt à quo est abstractio, & præcisio; non tamen vt terminus ad quem est respectus: quia hoc iam esset comparare naturam ad inferiora: quod est munus secundæ operationis,

Hæc tamen solutio, non videtur satisfacere: nam si in specie intellectus agentis repræsentatur natura cum sufficiente vnitatem, & indiuidua saltē in obliquo attinguntur; nō est cur, quā primū intellectus possibilis totum hoc cognoscit, nō resulet in exercitio relatio naturæ præcisæ, & abstractæ, ad indiuidua in obliquo repræsentata; & licet actu non dicatur esse in illis, & dici; sufficit ad vniuersale posse dici, & prædicari.

34 Qua propter secundam solutionem sustinēdo; replicæ respōdet M. Lerma lib. 3. q. 8. ad 2. quod nec in specie intellectus agentis, vltatenus repræsentantur inferiora, etiā vt terminus à quo; nec prima operatione possibilis vltatenus cognoscuntur: quia præscindēs ab aliquo, nulloatenus repræsentat id a quo præscindit: vt patet exāplo, quod ad hoc intentum assert S. Thom. 1. p. q. 85. art. 2. ad 2. de visu attingente colorem pomi sine eius odore. Ad hoc autem vt postea fiat comparatio ad indiuidua, opus est vt intellectus conuertat se ad phantasmata, à quibus fuit abstracta species; & sic cognoscet singularia; & ad illam referen-

do naturam, facit vniuersale logicum, & prædicabile.

Hæc solutio placet, quoad id quod est sumit de modo cognoscendi singulare, vt latius in lib. de Anima, & quoad explicationem præcisionis naturæ ab indiuiduis. In duobus tamen deficit. Primo, quia hæc conuersio ad phantasmata, necessaria non est cum ad inuenitur secunda intentio relationis generis ad speciem; & præcipue in naturis spiritualibus. Secundo deficit, quia non vult admittere naturæ in illa prima operatione positiuam indifferentiam conuenire; & concedi conuenire positiuam vnitatem: quod non videtur consequenter dictum: quia cum illa vnitatem positiuam sit per exclusionem positiuam, vel negatiuam differentiarum; hoc ipsum est mōre naturam nudam ab omnibus, & positiuam indifferentem ad omnes.

35 Facilius ergo respondetur; concedendo ibi reperi positiuam vnitatem, & positiuam indifferentiam, & absolute ibi esse naturam vniuersalem primo intentionaliter: inde tamen nō inferitur ibi esse vniuersale relatiuum, & secundoam mentionē vniuersalis logici formaliter: quia ad istam, vitra vnitatem, & indifferentiam positiuam, exigitur positiuus respectus, & relatio ad inferiora: & hanc vocat M. Ioan. à S. Thom. quaest. 4. art. 2. ad 2. aptitudinem non absolutam; sed relatiuam, & ordinatam respicientem positiuam plura: quæ non est sine aliqua comparatione in exercitio naturæ ad illa. Ac proinde, sine simplici comparatione non est forma.

liter secunda intentio vniuersalis logici, iuxta dicta num. 29.

46 Secundo arguitur ab Ortiz: nam vt resultet ens rationis, sufficit actus directus, & absolutus intellectus attingens obiectum, & indirecte ens rationis: sed prima operatione intellectus possibilis adest cognitio abstractiua directe tendens ad obiectum, & indirecte ad ens rationis: ergo ex vi illius resultat relatio constitutiua vniuersalis.

Respondetur, distinguendo maiorem; vt resultet ens rationis, quod est relatio, & secunda intentio ad inferiora; nego maiorem: vt resultet aliud ens rationis; concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam: quia arguitur a superiori ad inferius affirmatiue: quæ nõ est consequentia formalis: vt non bene valet; *est animal, ergo est homo*; quia potest esse leo, vel equus: & ita ex eo quod prima operatione intellectus possit fieri aliquod ens rationis; non inferitur, quod possit fieri relatio, quæ est illa secunda intentio vniuersalis logici.

37 Tertio arguitur pro sententia P. Vazquez: vniuersale est, quod est in pluribus, vt patet ex definitione Philosophi 4. Metaph. textu 14. & 2. Politic. cap. ultimo: sed intellectus cognoscit naturam esse in multis acta affirmando esse in illis, & comparatione composita ad illa referendo: ergo ista operatione composita fit vniuersale logicum.

Respondetur, quod vt notat P. Rubio tota quaest. 7. vniuers-

sale est contra Aristotelem, & D. Thomam, & communem omnium consensum, exigere ad constitutionem vniuersalis actualem affirmationem, & prædicationem: quia in definitione vniuersalis, vel prædicabilis, non ponitur actualis prædicatio, vel affirmatio, sed solum aptitudo, vt patet 1. Perih. cap. 5. & lib. 7. Metaph. textu 45. lect. 13. apud D. Thomam. Et quia alias non differrent secunda intentio prædicabilis, à secunda intentione prædicationis, vel prædicationis: quod est aperte falsum. Iuxta hoc ergo distinguatur maior. Et ad minorem dicitur, quod etiam simplici comparatione, & apprehensione cognoscitur natura in multis: imo hæc simplex apprehensio solet præcedere, vt actu iudicemus, & prædicemus esse in illis.

## §. VI.

## Dubium incidens soluitur.

38 **O**ccasione vltimi argumenti oritur dubium, vtum natura communis in actuali prædicatione seruet vniuersalitatem, quam habet ante prædicationem?

Pro negatiua sententia citatur Scotus quaest. 9. in Coriphium, & quaest. 16. ad 2. & P. Fonseca lib. 4. Metaphysica cap. 2. q. 2. sect. 7. ad 2: & eam amplectuntur recentiores: & probant dupliciter primo, nam in ista prædicatione, *Petrus est homo*, natura hominis prædicatur pro vt identificata realiter cũ *h*etro. eo quod in affirmati-

tua propositione prædicatum est idem cum subiecto: sed vt identifi-  
cata cum vno non potest esse in alijs, à quibus realiter differt: ergo prout in illa prædicatione non est vniuersalis, seu communis multis.

Secundo probant: quia diuisum non est in membris eodem modo ac erat in se ante diuisionem: ergo natura, quæ per abstractionem erat vniuersalis, amittit vniuersalitatẽ per cognitionem representantem identitatem illius cum suis inferioribus.

39 Oppositum docent Caiet. cap. 3. de Ente, & essentia dub. 3. & M. Ioan. à S. Thoma q. 5. Logicae art. 1. & Communiter Thomistæ. Item PP. Comimbriæ. q. 6. vniu. art. 4. P, Rubio quæst. 6. num. 72. & Communiter Authores. Et clarescitur ex Porphyrio cap. de Specie dicente: *aqua de equis prædicari oportet, aut miora de mioribus, vt hinnibile de equo, aut animal de homine.* Ex quo sic arguitur: istæ prædicationes, *homo est animal, Petrus est homo;* non sunt identicæ: alias esset idem, ac dicere: *homo est homo*, aut dicere, *Petrus est hoc homo*: non sunt æqualis de æquali: alioquin differentia assignata à Porphyrio inter illas duas prædicationes nulla esset: nec in istis prædicaretur genus primo intentionaliter de specie, nec species de individuo: ergo ibi formaliter exercetur prædicatio superioris de inferiori: ergo ibi retinetur vniuersalitas metaphysica, de qua procedit dubium.

40 Præterea vt docet S. Thomas 4. cap. de Ente, & essentia, na-

tura hominis absolute considerata abstrahit à quolibet esse; & hac natura sic considerata, est quæ prædicatur de omnibus indiuiduis. Quod est dicere: natura, quæ prædicatur, est quæ abstrahitur ab intellectu, & quæ est in rebus: & solum status sunt diuersi; sed ratio, & natura, quæ abstrahitur, prædicatur. Ex quo sic arguitur: ibi prædicatur significatum speciei, & quod concipit intellectus de natura humana, non explicatis differentiis: sed illud est vniuersale metaphysicum: ergo in illa prædicatione retinetur vniuersalitas metaphysica: quod contingit, quando termini supponunt communiter, & personaliter: quando autem supponunt simpliciter, etiam vniuersalitatem logicam possunt retinere, vt quando dico, *homo est species, animal est genus*: quia prædicatum est terminus secundæ intentionis, & subiectum accipitur in sua abstractione, & logica vniuersalitate, iuxta dicta lib. 2. Dialecticæ capite 10.

Tertio, isti fatentur quod quando terminus communis se tenet ex parte subiecti, vt cum dico, *homo est animal*, seruat in prædicatione suam vniuersalitatẽ, quia præscinditur à suis inferioribus: ergo pariter cū se tenet ex parte prædicati. Consequentiã patet, primo à paritate. Secundo, quia in vtroque casu est eadem significatio, & intrinseca representatio vocis, & conceptus; sola extrinseca applicatione mutata: ergo non amittitur vniuersalitas variato conceptu communi in singularem; sed attribuitur cuidam

contento sub ratione communi.

41 Ad primum in contrarium distinguitur maior, & si sumatur specificatiue; concedatur: & negetur, si faciat sensum reduplicatiuum: nam in hoc est tota deceptio Recentiorum; quia putant omnes propositiones affirmatiuas esse idénticas: cum tamen potius directa affirmatiua prædicatio condistinguat ab idéntica, vt paret in M. Soto q. 5. vniuersi, & in alijs Doctoribus. Imò S. Thomas 1. p. quæst. 13. artic. 12. dicit, quod in qualibet propositione affirmatiua requiritur, quod subiectum, & prædicatum significēt, id quod aliquo modo est idem secundum rem, & diuersum secundum rationem: & hæc diuersitas secundum rationem, sufficit vt vniuersale prædicetur de singulari.

42 Ad secundum dicitur, quod verum est, quod inferiora singula non habent rationem diuisam in tota sua communitate ( licet habeant tota essentiale diuisi, vt ait S. Thomas 1. p. q. 77. artic. 1. ad 1. ) quia singula inferiora rationem communem non adæquant, sed participant: vt autem ait S. Thomas opusc. 69. *participare est, quasi partem capere, & ibi ait, quod homo dicitur participare animal, quia non habet rationem animalis secundam totam communitatem, & eadē ratione Sortes participat hominem.* Vnde diuerso modo accipitur diuisum in se, ac in singularibus ipsum participantibus. Sed quando significatur nomine communi, non explicatur id in quo distinguuntur; & ideo vniuersalitas retinetur; sed vni sub

illa contento materialiter, & in supponendo applicatur.

## QVÆSTIO XV.

### De Prædicationibus.

1 **Q**uia vniuersale, quod est *vnū in multis*, est, de multis prædicabile, vt ex adductis definitionibus constat: cum prædicabilitatis actus sit prædicatio; ideo ad notitiā completam vniuersalium, & ad assignandam infirmitatem prædicabilium; maximo conseruerunt Doctores de prædicationibus hic disputare: & etiam, quia doctrina tradenda maxime vtilis est ad aliarum scientiarum quæstiones enodandas; & improprias loquutiones amputandas.

#### §. I.

*Quid, & quotuplex sit prædicatio?*

2 **V**t notat M. Soto q. 5. vniuersalium (ex qua fere omnia in hoc §. notanda, sunt desumenda) prædicatio, apud Dialecticos, idem significat, quod enuntiatio, vel propositio: & ita definitur vt sit *attributio vnius ad alterum*, aut affirmando, aut negando; vel est *oratio verum, vel falsum significans*, iuxta dicta lib. 2. Dialecticæ cap. 7. Accipitur autem dupliciter: vel *formaliter* pro actu intellectus componentis, & diuidentis; vel *obiectiue* pro fundamento, vel obiecto huius compositionis intellectus. Vnde inquit S. Th. 4. cap. de Ente, & essentia, quod *prædicatio est quod*

quoddam, quod completur per actionem intellectus componens, & diuidens, habens tamen fundamentum in re ipsam unitatem eorum, quorum unum dicitur de alio. Cum hoc discrimine, quod si prædicatio est affirmatiua vera, in re illi correspondet conuenientia, vel identitas extremorum, cum diuersitate rationis, vt notat S. Thomas 1. p. q. 13. art. 12. & identitatē, vel conuenientiā obiecti, explicat intellectus per compositionem, seu copulam; diuersitatem autem, per diuersos cōceptus prædicati, & subiecti. Si verò propositio sit negatiua, illi correspondet diuisio, seu disconuenientia extremorum, quæ negatione exprimitur in voce.

3. Præterea notandū, quod prædicatio est triplex; *identica, disparata, & media*. Identica est, in qua idem prædicatur de eodem, vel quando diuersitas est in voce, & identitas in significatione: vt *gladius est ensis: homo est homo*. Disparata est, in qua prædicatum nullam habet connexionem cum subiecto: vt *homo est lapis*. Exempla, quæ subieci possunt de affirmatiuis, pariter subieci possunt in negatiuis: nam hæc propositio, *homo non est homo*, est identica; & hæc est disparata, *substantia non est qualitas*; quamuis illa sit falsa, & hæc vera.

4. Prædicatio identica subdividitur à M. Fr. Ioan. à S. Thoma q. 5. art. 2. in fine, in identicam materialiter; & identicam formaliter. Formaliter identica est, quando ex vi significationis terminorum, idem significat vnus, ac alter: vt, *homo est homo*. Prædicatio materialiter identica est, quando significationes qui-

dem sunt diuersæ, sed realitas, seu entitas est eadē: vt eū dicitur; *ad o est passus, album est substantia, vel corpus*.

¶ Has tamen propositiones M. Soto, & alij logici non reputant identicas; sed formales, seu medias: quia vt ait S. Tho. 1. p. q. 13. art. 9. ad 2. *nomina non sequuntur modum essendi, qui est in rebus, sed modum essendi secundum quod in cognitione nostra est*; vnde eo ipso, quod significationes, & cognitiones nostræ sunt diuersæ, propositiones non sunt ideticæ, sed formales: & solum reputantur identice, cum prædicatur idem de eodem, vel synonymum de synonymo: nam, si rei identitas sufficeret, vt propositiones dicerentur identicæ, omnes propositiones de Deo formatae in essentialibus, essent identicæ: quia Deus est omnino simplex. Imò omnes propositiones essentielles in creaturis: constat autem vtrumque esse manifeste falsum. Ergo non est dicenda prædicatio identica, cum significationes sunt diuersæ; si proprie loquendum est. Sed potius dicendū, quod prædicatio formalis affirmatiua, aliquando est vera propter identitatem entitatis; aliquando propter formalitatem; aliquando propter connexionem, vel conuenientiam in subiecto.

5. Prædicatio media est, in qua prædicatū connectitur cum subiecto, sed non per omnimodā identitatē. Et est duplex, alia directa, alia indirecta. Prædicatio directa est, in qua illud quod se habet vt actus, vel forma subiecti, se tenet ex parte prædicati: vt, *homo est animal rationale*. Indirecta verò est, in qua illud quod se habet vt subiectū, vel vt determinabi-

le, se tenet ex parte prædicati: vt, rationale est homo: albus est Petrus: & ratio est, quia ex modo essendi rerū, sequitur modus prædicandi, vt sumitur ex 5. Metap. tex. 14. & prædicatū gerit munus formæ, & subiectū munus materie: vnde inquit S. Tho. 1. p. q. 13. art. 12. quod prædicata tenentur formaliter, & subiecta materialiter: accidentia autē sunt formæ, & subiectū est quasi materia: & ideo, homo est albus, est prædicatio directa. Pariter, quia superius est forma inferioris, vt dicitur 2. Phys. tex. 28. & 5. Metap. tex. 2. hæc est directa, Petrus est homo: quāuis sola ratione distinguantur: quia metaphysice superius contrahitur ad esse inferioris. Hæc autē propositio, hoc animal est homo, designato, Petrus, est directa; designato equo, est disparata: quia hoc debet regulari ex parte suppositi, & non ex parte significati formalis.

6 Aduertit autē M. Soto, quod sola prædicatio directa est simpliciter, & absolute prædicatio; alix verò secundū quid: nā idem respectu sui, sicut nō est forma, ita nec prædicatū: & multo minus nominū disparatorū vnū est prædicatū alterius. Et denique, prædicatio indirecta nō meretur absolute nomen prædicationis, sed cum addito, & secundum quid dicitur, indirecta prædicatio; & ideo Porpharius in cap. de Specie, dicit, *minora de maioribus minime prædicant*: eo solum, quia non prædicatur directe, etiā si prædicatur indirecte.

7 Demū, prædicatio directa diuiditur in essentialē, & accidentalem. Essentialis est, in qua prædicatū est de essentia subiecti, Et diuiditur in quiddi-

ratiuam; vt prædicatio generis; & id quiddi: ratiuā, vt prædicatio differentie: de quo infra q. 19. & q. 25. accidentalis est, in qua prædicatū est extra essentia subiecti, siue prædicatur in se sit accidens, siue substantia; & dicitur accidens predicabiliter, licet nō prædicament aliter: & diuiditur postea in accidens propriū, & accidens commune, de quib' dicitur q. 26. & 27.

## §. II.

*Exponitur differentia inter concreta, & abstracta.*

8 **Q**uia tamē diverso modo prædicationes verificantur in nominibus concretis, & in abstractis; ideo quæritur inter ista distinctio; diligenter est inuestigandum. Supponimus ex dictis lib. 1. Dialecticæ cap. 6. istorū nominū definitiones: Nunc addimus, quod concretū, & abstractū, aliud est substantiale; cuius forma est substantialis, faciens vnū per se cum materia: aliud est accidentale; cuius forma est accidentalis: ex qua, & subiecto solum fit vnū secundum quid; & simpliciter est ens per accidens. Vnde S. Thomas 7. capite de Ente, & essentia, inquit: *ex accidenti, & subiecto non fit vnū per se, sed vnū per accidens: & ideo ex eorū coniectione non resultat essentia quædam, sicut ex coniectione forma cum materia.* Et in 7. Metap. lect. 3. ex Philosopho docet S. Thomas, quod *homo albus, est vnū per accidens, non per se: quia forma adueniens enti in actu completo, non constituit cum eo vnū per se.*

9 Rursum; utrumque concretum, & abstractum dividitur in *physicum*, & *metaphysicum*: *physicum* constat forma *physica* realiter distincta à materia; vel natura realiter distincta à subiecto; vel supposito: ut *h. mo.* constat *corpore*, & *anima*, ex *humanitate*, & *subsistentia*, & *album* ex *corpore*, & *albedine*. Concretum metaphysicum est, quod constat ex forma solum formaliter, vel metaphysice, vel logice distincta à subiecto, seu materia: ut *h. mo.*, ex *animali*, & *rationali*.

10. Omnia autem ista, aut significantur nominibus primæ intentionis, ut in exemplis allatis; aut nominibus secundæ intentionibus, ut, *genus*, *spec. e.*, & alia huiusmodi: quarum definitiones lib. 1. Dialecticæ cap. 6. explicuimus. Et vel significatur nomine substantiuo, seu significante rem ut per se stent, ut, *album*: vel nomine adiectiuo, seu significante rem ut alteri adiacentem, ut cum dico, *Petrus est albus*: sic hæc nomina explicant Grammatici. Quamuis Dialectici dicant, non esse idem nomen connotatiuum, & adiectiuum: quia, *album*, substantiuè est terminus connotatiuus: nec est idem nomen absolutum, & substantiuum, ut eadem ratione patet.

11. Circa significationem concretorum, quidam Moderni censent, quod omnia concreta, tam substantia, quam accidentalia adiectiuè sumpta significant subiectum in recto, & formam in obliquo: ut, *albus*, sit idem ac habens albedinem: probant, quia, si albedo importaretur in recto, hæc esset falsa predicatio, *Petrus est al-*

*bus*: quia esset sensus, *Petrus est albedo in sub. et o.*: quod est falsum. Et ratio est, quia ut predicatio sit vera, significatum in recto prædicati, & subiecti debent esse idem, ut inductiuè constat in omnibus propositionibus, quæ ex communi consensu sunt vere: sed albedo non est idem cum Petro: ergo non importatur in recto per nomen adiectiuum.

Loquendo verò de concretis adiectiuè sumptis, dicunt utramque partem dicere in recto: quod probant, quia si in recto significarent formam, hæc esset falsa in Christo. Dominio, *hoc suppositum est homo*: quia esset sensus, *subsistentia hæc adiuncta humanitati, est humanitas ad unã a subsistentia*: quia in prædicationibus affirmatur identitas extremorum: & subsistentia diuina nõ est natura humana: ergo in recto concretum substantiuum non importat naturam: ergo utramque partem important in recto. ¶ Cum hoc discrimine, quod concreta substantia substantiuè sumpta, dicunt partem formalem determinate, & materiale solum vage, seu incommuni: ut *Deus* determinate dicit naturam diuinam, & vage unam ex personis: & *suppositum* dicit determinate subsistentiam, & vage naturam. At verò concreta accidentalia utramque partem dicunt in recto determinate: quia hoc numero totum ex hac numero materia, seu subiecto, & hac numero forma constat.

12. In omnibus displicet hæc sententia. Primò, quia est contra communem: & in significatione nominum authoritas Doctorum sola suf-

sufficit: quia *nominibus utendum est*, ut plures, iuxta Philosophum 1. Topicorum. ¶ Secundò: si concreta accidentalia significarent in recto vtramq; partē, significarēt in recto ens per accidens, nempe, aggregatum ex rebus diuersorum prædicamentorum: ac per consequens, non possent vnica definitione definiri: quia *definitio est oratio explicans naturā rei*; & entis per accidens non est *vna natura, nec vnum genus, nec vna differentia*, vt arguit ad intentum S. Thomas 6. cap. de Ente, & essentia.

Tertiò deficiunt: quia in consequenter præcedunt; nam ratio ipsorum ad probandum, quod concreta accidentalia vtramque partem determinate dicunt in recto; eo quod de essentia huius compositi est hæc numero materia; fortius militat in concreto substantiali: quia ipsi expresse dicunt, quod hoc numero totum substātile dicit in recto, & determinate, hanc numero materiā, & hanc numero formā: ergo, ex eorum sentētia, deberēt inferre, quod concreta substātilia dicunt determinate hanc partē materialē: quod tamen ipsi merito impugnant.

13 Quartò deficiunt: nam ipsorum ratio parui momenti est, & laborat in æquiuoco: nam vt prædicatio sit verè, subiectum, & prædicatum debent supponere pro eodē; non tamen debent significare idem. Quod est dicere, sufficit, quod adueniunt in vno subiecto per convenientiam secundū quid, & accidentalem; non tamen exigitur idētitas simpliciter, & essentialis: alioquin nulla prædicatio accidentalis esset

vera: quia accidens nō idētificatur cum subiecto. Dicitur ergo cum D. Thoma 1. p. q. 13. art. 12. quod ista debent esse idem subiecto: quāuis definitione, & ratione essentiali differant: vnde facile patet sensus illius propositionis: nam, *Petrus est albus*, est idem, ac *Petrus est subiectum albedinis*, vel *habet albedinem*, à qua denominatur, & quam in recto dicit prædicatum, connotando subiectū. ¶ Ista ergo, & similibus sententijs omisissis; ad exponendam S. Thomæ & communem sententiam.

14 Dicimus primò, quod concreta accidentium eandem formā in recto significant, ac eorū abstracta. iuxta illud Philosophi in prædicamentis cap. 1. *nomen albi, nisi qualitas e- a nihil significat*. Quæ verba adducit, & sic exponit S. Th. 7. Metaph. lect. 1. & lib. 5. lect. 9. & lib. 8. lect. 4. Docuit idem Commentator 4. Metaph. vt refert, & approbat S. Thomas in 1. dist. 18. q. 1. artic. 2. ad 2. sequitur Caietanus 7. cap. de Ente, & essentia, tertia parte capituli & 3. p. q. 16. artic. 5. Item Capreolus, Soncinas, Masius, & Sanchez, & communiter Thomistæ, quos citant, & sequuntur PP. Carmel, disp. 4. q. 3. n. 17. M. Ioan. à S. Tho. q. 5. art. 2. & q. 7. art. 2. M. Lerma lib. 5. q. 1. Item Scotus q. 8. vniuersalium, quem ibi sui sequuntur discipuli. Estque satis recepta inter alios Doctores, quos refert, & sequitur Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 7. questione 5. sect. 3. Rubio tractatu de Prædicationib' num. 14. Quæ propter merito diximus esse communem sententiam.

15 Rationeque probatur primò, quia formæ accidentales, tam vt cogitantur præcisè à subiecto, quam vt cognoscuntur in illo concreto, possunt à nobis concipi; & iste conceptus potest aliquo nomine significari: vt per se notū est; quia reliqua, quæ concipimus mente, nominibus explicamus in voce: sed nō sunt alia, nisi nomina concreta, & abstracta; ergo cōueniunt in forma significata, & differunt in modo illā significandi. ¶ Deinde idem probatur; quia sic communiter sentiunt Grammatici, & sic concipiunt Dialectici; quod nomen, & significatio est eadem; & diuersitas est in cadentia, & modo: sed constat, quod abstractū significat in recto formam: ergo, attento directo, & principali significato, concretum etiam directe significat eandem formam.

16 Dicimus secundò; quod abstractum, & concretum differunt ex modo significandi, & se habent in uerso modo: nam concretū ratione significationis importat primo, & principaliter subiectū, & ex cōsequēti formam; ex modo uero significandi est cōstratio, quia primo subiectum; & ex consequenti formā importat. Ita notat Cuietanus dicto cap. 7. de Ente, & essentia. Imò id uidetur expresse tradi, & probari à D. Thomā 1. 2. q. 5. art. 2. ad 3. ita scribente: accidens significatum in abstracto importat habitudinem ad subiectum, que incipit ab accidenti, & terminatur ad subiectum; nam albedo dicitur, quia aliquid est album; & ideo in definitione acciden-

tis in abstracto non ponitur subiectum quasi prima pars definitionis, quæ est genus, sed quasi secunda, quæ est differentia: sed in concretis incipit habitudo à subiecto, & terminatur ad accidens: dicitur enim, album, quod habet albedinē: propter quod in definitione huiusmodi accidentis ponitur subiectum tanquam genus, quod est prima pars definitionis: dicimus enim, quod simus est nasus curuus. Hæc ibi S. Thomas.

17 Aliam notandam differentiam inter concretum, & abstractū, assignat S. Thomas opusc. 69. super secundam textum Boetij: nam abstractum nō habet aliquid extraneum, neque alienum, quia significatur formaliter vt *quo* aliquid est tale: secus uero concretum; nam significatur vt *quod*, & ideo non prohibetur habere aliquid aliud, nisi sibi oppositū sit: Et ideo, *homo*, & *albū* possunt aliquid aliud habere, quam humanitatē, vel albedinē: eo quod in subiecto istarum formarum possunt alia compari: secus uero si significantur in abstracto, & vt *quo*. Et hæc est ratio, quare *albedo*, vel *humanitas* significatur per modum partitis, & non predicantur de concretis, sicut neque sua pars de suo toto. De quo uideatur S. Thomas 1. p. q. 3. art. 3. & 3. p. q. 2. art. 2. Alias differentias inter abstracta, & concreta explicant PP. Carmelitani ubi supra n. 18. & 19. & breuiter lauellustrata 5. Logica parte 2. cap. 5. agens de concreto qualitatis. ¶ Quæ diximus de cōcretis accidentalibus, pariter procedit de substantiali-

ialibus: quia modus significandi est idem: licet differentia sit ex parte formarum: & quia substantialis facit cum subiecto, & materia vnū simpliciter; accidentalis vnum secundū quid. His præmissis, sequitur vt de veritate prædicationum agamus.

18 Solum prius est notandum, cum M. Soto lib. 1. Dialecticæ cap. 7. ad 2. quod substantiuum, & adiectiuum idem significant; nec differunt ex parte significationis; sed ex modo diuerso grāmaticali; & quia adiectiuum appellat, id est, applicat suum significatum ad formale substantiuum; substantiuum autem non applicat alteri suam formale significatum. Et hoc est quod inquit S. Thomas 1. p. q. 39. art. 5. ad 5. dicens, quod *hæc est differentia inter nomina substantiua, & adiectiua, quia nomina substantiua ferunt suum suppositum; adiectiua vero non; sed rem significatam ponunt circa substantiuum.* Vnde Sophista, id est, Dialectici in parte sophistica, dicunt, quod nomina substantiua supponunt; adiectiua vero non supponunt, sed copulant. Quod qualiter intelligatur, explicuimus in Dialecticis institutionibus lib. 2. cap. 9. & lib. 1. c. 8. n. 8. Iam ad rem accedamus.

## §. III.

*De prædicationibus in terminis  
prima intentionis.*

19 **E**X dictis deducitur, quod concreta de concretis vere, & formaliter prædicantur: quia vt docet S. Thomas 3. cap. de Ente, & essentia, concretum sumitur vt to-

tum, & ab alijs non præscindit: vnde, vel propter essentialem connectionem, vel propter cōuenientiam in eodem supposito, vel adunationem in eodem subiecto, possunt de concretis prædicari in substantialibus, & accidentalibus: in propositionibus quidditatiuis, & in contingentibus, & accidentalibus: vnde dicimus, quod *homo est animal*, quod *homo est albus*, & quod *album est coloratum*, & sic de alijs. Ipsum autem compositum ex subiecto, & accidente non prædicatur de ipso subiecto: quia compositum importat aliquid realiter à subiecto distinctum: prædicatur tamen de subiecto accidens in concreto sumptum. De quo videatur S. Thomas 7. Metaphys. lectione 3.

20 Deducitur secundo, quod in prædicationibus non transcendentibus, non est vera prædicatio concreti de abstracto, nec abstracti de concreto: vnde non dicitur, *albedo est alba*, vel *calor est calidus*. Ita docuit S. Dionysius, 2. cap. de diuinis nominibus; vt refert, & sequitur S. Thomas q. 21. de Veritate artic. 4. ad 4. & alibi sæpe. Et probatur primo ratione S. Tho. opusc. 69. lect. 2. quia pars non prædicatur de toto: vt hæc est falsa, *homo est anima*, *homo est materia*: sed abstracta significantur vt partes, & concreta vt totum: ergo non vere prædicantur. Videatur S. Thomas 4. cap. de Ente, & essentia, initio. ¶ Præterea, in affirmatiua prædicatione prædicatum, saltem implicite, includit totum, quod subiectum: quia cōpositio est signum conuenientiae, vel idētitatis eorū: sed abstra-

Etum solam dicit formam; concretum vero dicit subiectum, vel suppositum: & ita differunt, quia aliquid realiter includit subiectum, quod non includit abstractum: ergo non sunt veræ prædicationes abstracti de concreto; neque e contra.

21 Sed obijcies, primò: nã hæc est vera prædicatio; *entitas est ens*; quia quantumcumque abstrahatur, illud quod præscinditur est aliquid, ac proinde, ens: ergo abstracta possunt prædicari de concretis.

Respondetur concessio antecedenti, vt conceditur à D. Thoma 1. 2. q. 55. artic. 4. ad 1. & de veritate vbi supra, & art. 5. ad 6. & q. 2. de virtut. art. 2. ad 8. & negando consequentiam: & ratio disparitatis est: nam in terminis vniuersalissimis, & transcendentibus, transcendentia impedit perfectam præcisionem; & ideo admittitur in illis prædicatio abstracti de concreto: aliquando quidem identice; quia distinctio ex modo significandi impedit formalem prædicationem: aliquando verò etiam formaliter; eo quod distinctio ex modo significandi in prædicatione non exercetur, vel non exprimitur, ita vt impediatur formalitatem prædicationis. At verò, cū hæc transcendentia non reperiatur in prædicatis specialibus, de quibus loquimur; ideo in illis verissimum est, quod abstractum non prædicatur de concreto.

22 Sed instabis: non minus, imò magis, Deitas transcendit omnia, quæ sunt in Deo, quã entitas transcendat omnia, que sunt in creaturis: sed nõ obstat transcendentia Dei-

tatis, in diuinis nõ prædicatur abstractum de concreto: ergo transcendentia entis non sufficit vt in illo admittamus prædicationes abstracti de concreto. Probat minor: nã hæc est catholica, *Deus genuit Deum*, quia Pater Deus generat Filium Deum: & hæc est hæretica, *essentia genuit essentiam*, vt definitur in Concilio Lateranensi. Quod esse non posset, si in sensu formali, *Deus esset Deitas*.

Propter hoc argumentum Lerma lib. 5. q. 2. concl. 3. dicit, quod in nominibus significatibus naturã diuinã, abstracta de concretis, & concreta de abstractis in sensu identico vere prædicantur: & sic intelligendus S. Tho. 1. p. q. 3. art. 3. docens, quod, *Deus est sua Deitas*: non tamen in sensu propriissimo, & formali: quia vt probat 1. p. q. 39. art. 5. ad veritatẽ, & proprietatem loquutionum, *non solum oportet considerare res significatas; sed etiam modum significandi*: constat autem, quod in diuinis non est idem modus significandi abstracti, & concreti; & ideo solum identice, & non formaliter in diuinis prædicantur abstracta de concretis.

23 Sed quia argumentum à paritate transcendentium, contra hoc videtur urgere; ideo melius dicitur, quod etiam in Deo distinguimus duo genera prædicatorum: quod dicitur, que significant aliquid transcendens, & imbibitum in omni prædicato diuino: vt, *actus purus, ens à se infinitum, & similia*. Alia verò significant prædicata quasi specialia, ratione nostra quasi metaphysice ab alijs præcissa: vt, *natura diuina, attributum bonitatis, & sapientia, & alia huiusmodi*.

in prioribus admittitur formalis prædicatio abstracti de concreto, & e contra, sicut in alijs transcédentibus: in posterioribus vero negatur; & solum veræ sunt propositiones, quæ significant identitatem, quæ est in re. Quod latius explanare, ad Theologos attinet.

24 Tertio arguitur: hæc est vera propositio, *linea est quanta, superficies est quanta, & quantitas est quanta*, ut communiter admittunt Dialectici. Ergo in prædicatis particularibus concreta prædicantur de abstractis, & e contra.

Aliqui respondent istas propositiones, esse falsas; nisi faciant hunc sensum; *quantitas est extensa, aut linea est extensa*: & tunc non prædicatur concretum de abstracto, sed acci- dens de subiecto: quia extensio est proprietas quantitatis.

Sed contra, primo: quia extensio partium in se, est propria ratio quantitatis, ut libro secundo dicitur: de ista autem procedit argumentum: ergo non bene soluitur præfata solutio.

Secundo; linea, & superficies sunt species, quarum genus est quantitas: cum autem genus prædicatur de speciebus, est prædicatio in quid: ergo non est prædicatio accidentis de subiecto.

25 Respondetur ergo, cum Magist. Masio sect. 4. de Vniuers. q. 5. quod in istis loquutionibus accipitur concretum pro abstracto: & id est necessarium, quia caremus nomine abstracto condistincto a concreto: nam eodem vocabulo nuncupamus abstractum lineæ, & super-

ficies, & similitum. Aliam solutionem ex doctrina S. Thomæ, simul cum ista tradunt PP. Carmelit. disp. 4. quæst. 4. num. 40. omitimus, quia eius intelligentia pendet ex dicendis in libris de Generatione. Aduerte tamen non concedi à Dialecticis, quod *quantum est quantitas*: quia ex modo significandi importatur subiectum realiter à quantitate diuersum.

26 Sequitur tertio ut comparemus abstracta cum abstractis. Et loquendo de abstractis accidentium comparatis ad prædicata essentialiter superiora, ex eis sunt prædicationes veræ, & formales: quia accidentia in abstracto ponantur in prædicamento, & significant totam rationem inferiorum implicite. De quo videatur S. Thomas 7. cap. de Ente, & essentia, & q. 3. de Veritate artic. 7. ad 2. Et habetur opusculo 42. cap. 19. vnde concedimus quod *Albedo est color, & color est qualitas*: & dicimus, quod *Logica est scientia, & scientia est qualitas, & intellectus est potentia*, & sic de alijs. Et ista vocantur à quibusdam abstracta physica, & dicunt quætionem solum esse de abstractis metaphysicis.

Sed potissime inquiritur de abstractis substantialibus, an in illis sit vera, & formalis prædicatio superioris de inferiori, dicendo, *hominitas est animalitas*?

27 In quo puncto, certum est dictas propositiones esse veras, saltem identice, & materialiter (quod contra omnium sensum Recentes quidam negant, fatilibus moti fundamentis,) & ratio est plana, quia præ-

prædicatum est de essentia subiecti, sicut superius est de essentia inferioris, & de illo prædicatur in quid. Deinde, isti gradus, ut ipsi fatentur, realiter proueniunt ab eadem forma: ergo realiter sunt idem: ergo identice, & materialiter possunt prædicari. Demum, hic urget illud argumentum: nam designata ista humanitate, v.g. humanitate Christi, verum est dicere, quod *hæc humanitas est humanitas*; non obstante, quod in subiecto exprimitur indiuiduatio, quæ non importatur in prædicato: ergo non obstante, quod animalitas explicet aliquid genericum, quod non explicatur in humanitate, erit propositio vera, saltem identice.

28. Sed obijciunt Recentiores; primo, nam *animalitas* est aggregatum quoddam naturarum, quæ in singulis inferioribus inueniuntur: hoc autem aggregatum non est idem realiter cum quouis ex inferioribus: ergo, adhuc in sensu identico, non potest prædicari de illis.

Respondetur negando maiorem. Cuius probatio ab ipsis non proponitur, & à nobis improbat: quia non magis animalitas dicit aggregatum, quam *animal*: constat autem nos vere dicere, quod *homo est animal*: ergo, nec animal, nec animalitas dicunt aggregatum; sed potius rationem vnam, in qua vniuersæ omnia animalia conueniunt: Vnde Porphyrius cap. de Genere ait: *species in vnam naturam multa congregat; & magis id etiam genus.*

29. Secundo obijciunt; *animali-*

*tas* in abstracto, non solum significat naturam animalis in recto; sed etiam cognitionem per quam præcinditur, seu distinguitur ab alijs: sed hæc cognitio non identificatur cum rationali: ergo illa prædicatio est falsa, adhuc in sensu identico.

Respondetur, quod maior omni caret specie probabilitatis: quia cognitio, vel est *causa efficiens*, vel *conditio sine qua non* est præcisum; & abstractum significatum illo termino; non tamen significatum ipsius termini; nisi in quantum in significando est idem cum illo: *quia intellectus sunt similitudines rerum, voces autem intellectuum*, ut dicitur 1. Perib. & inde probat S. Thomas 7. Metaph. lectione 1. *quod modus significandi, non consequitur immediate modum essendi rerum; sed mediante modo intelligendi*. Vnde informa, vel negetur maior: vel distinguatur; & negetur de cognitione subiectiue, & in esse entis; & concedatur de illa in esse imaginis, & ratione rei representata. Et sic falsa est minor; quia obiectum vtriusque cognitionis realiter est idem. Manet ergo *indubiatum* prædictas propositiones, esse veras identice, & materialiter.

30. Præterea videtur certum; quod si ista abstracta sumuntur *reduplicatiue*, & cum præcisione suorum inferiorum, prout sic, non possunt de illis formaliter prædicari: quia ut sic sumuntur per modum partium, & pars non prædicatur de toto: Quia ratione ad hoc intentum vtitur S. Thomas opusculo 69, & 4. cap. de

de Ente, & essentia. Et etiam, quia significantur ut quo: formalissime autem loquendo, illud quo homo est homo, non est illud, quo est animal: nā homo explicat principium ratiocinandi, & animal principium sentiendi præcisse: quæ in re possunt esse idem; non tamen formaliter. Et denique, quia forma abstracta, neque implicite dicit id, à quo abstrahit. Solum ergo manet dubium, an abstracta possint sumi specificatiue, & sine præcisione suorum inferiorum, ita ut possint prædicari de illis?

31 Respondetur affirmatiue. Ita tenent M. Soto q. 3. vniuersi; M. Masius q. 6. M. Sanchez q. 13. PP. Carmel. disp. 4. q. 4. n. 33. M. Ioan. à S. Thoma q. 5. artic. 4. M. Lerma lib. 5. q. 3. & communiter Thomistæ: vnde sine fundamento illis tribuitur opposita sententia. Hanc etiam tenent P. Suarez disp. 6. sect. 10. num. 6. P. Fonseca, & alij.

Et probatur primo: nam distinctio rationis, si explicite, & quasi in actu signato non importetur; non sufficit falsificare propositionem: sed ex eo quod prædictæ rationes significantur nominibus abstractis, eorum distinctio non importatur explicite, & in actu signato. Ergo non semper reddit propositionem falsam. Totus discursus explicatur: nam Theologi communiter dicunt has propositiones esse falsas, attributum iustitiæ est attributum misericordiæ; quia fieret sensus quod nec ratione ratiocinata differrent. Et dicunt istas, concedi

debere, iustitia est misericordia; quia in Deo est summa simplicitas, & non obstante quod nomina sint abstracta, non importatur earum distinctio ita ut impediat prædicationis proprietatem. Ergo pariter in præsentibus. Vnde etiam concedimus quod humanitas est entitas, non obstante distinctione rationis, inter humanitatem, & rationem entis. Videatur S. Thomas quest. 7. de Potentia art. 2. ad 6. & lib. 7. Metaph. lect. 5. in fine. & lect. 12. vbi cum Philosopho concedit illam propositionem, *scissio pedis est quedam pedalitas*.

32 Præterea probatur: bene potest aliquid significari nomine abstracto, & ut includens prædicata superiora, vel inferiora. Sed ad veram prædicationem sufficit, quod prædicatum implicite, & in potentia contineat subiectum. Ergo adhuc in prædictis abstractis admittuntur prædictæ prædicationes. Maior probatur, distinguendo cum D. Thoma 1. p. questione 40. artic. 3. duplicem abstractionem: alia dicitur totalis, seu vniuersalis, qua vniuersale abstrahitur à particulari: alia dicitur formalis seu præcisua: & ab ista nomina dicuntur abstracta, non vero ab abstractione vniuersali: quia vniuersalia prædicamenti substantiæ significantur in concreto, & abstrahunt vniuersaliter: & in singularibus fiunt abstracta: & ibi nulla interuenit abstractio vniuersalis. Ergo bene competitur; quod forma significetur abstrac-

ta à suis concretis, vel subiectis, & non à prædicatis superioribus, vel inferioribus: quia vt inquit S. Thomas opusculo 70. quæst. 5. artic. 3. nihil potest abstrahi abstractione formali ab aliquo, de cuius essentia est: aliqua autem prædicata sunt de essentia humanitatis, quia prædicata essentia sua semper conueniunt. Ergo de illa possunt prædicari.

33 Obijcies primo: animalitas dicit naturam animalis, non vt cūque sed vt præcissam à rationalitate, & irrationalitate. Sed vt sic nequit verificari in sensu formali de humanitate. Ergo animalitas nequit prædicari de humanitate formaliter. Probat minor: tum quia id quod præcindit ab aliquo, vt sic de illo non prædicatur. Tum quia videtur importare aliquid illi repugnans.

Respondetur, quod animalitas non semper sumitur vt præcissa à differentijs, nec ab inferiorib'. Vnde negatur maior: quia ex vi abstractionis formalis, non exprimitur abstractio vniuersalis. Et adhuc in concreto, animal non repugnat homini: quamuis istæ prædicationes abstractorum non sint directe generis aut speciei, vt docet S. Thomas in 1. distinct. 23. quæst. 1. articulo 1. possunt tamen ad prædicationem reduci.

34 Secundo arguitur humanitas dicit principium sentiendi, & ratiocinandi simul; animalitas dicit principium sentiendi tantum prout excludit principium ratiocinandi. Ergo animalitas non prædicatur vere de humanitate.

Respondetur concedendo antecedens, loquendo de istis terminis sumptis reduplicatiue, & cum omnimoda præcisione; negando vero de illis sumptis specificatiue, & vt solum præcindunt formaliter. Vnde argumentum probat id quod diocimus num. 30. nō tamen impugnat conclusionem propositam num. 31. quia animalitas dicit principium sentiendi, nec explicās, nec excludens diuersos modos específicos, & differentiales sentiendi: imo eos implicite continet cum abstrahit vniuersaliter.

35 Sed restat adhuc dubium, vtum istæ sint concedendæ, *hūmanitas est rationalitas?* Quando differentia in abstracto prædicatur de specie. Quod pariter inquiritur de ista, *rationalitas est animalitas?* Quando forma generica in abstracto prædicatur de differentia in abstracto significata.

De vtraque negatiue respondent PP. Carmelitani num. 26. & primam esse falsam probant, quia differentia non prædicatur in quid, sed in quale, & per modum alteri adiacentis: abstracta autem significant per modum per se stantis, vt patet ex D. Thoma 7. Metaphys. lecti. 1. & opusculo 42. capit. 19. inde que colligunt quod etiam secunda sit falsa: nam quamuis differentia sit de essentia speciei, quia tamen prædicatur in quale; ideo debet significari adiectiue. seu per modum alteri adiacentis. Quod non contingit quando prædicantur in abstracto, vt per se constat.

36 Nihilominus Mag. Soto

q. 3. vniuers. art. 2. ita ait ; & quia distinctio solius rationis non sufficit falsificare propositionem , istæ omnes prædicationes sunt formaliter veræ, humanitas est animalitas, humanitas est rationalitas, rationalitas est animalitas. Hæc ille. Cuius sententiam late cõfirmat. M. Lerma lib. 5. quæst. 3. conclus. 2. & 3. ostendens rationes omnes probantes primam propositionem esse veram, idem ostendere de alijs duabus: quia distinctio rationis non importatur in actu signato: & quia præcisio à supposito, non est præcisio ab omni inferiori. Et specialiter quod tertia sit admittenda, probatur isto syllogismo: *hæc humanitas est animalitas: hæc humanitas est rationalitas; ergo rationalitas est animalitas.* Qui est syllogismus expositorius absque villo defectu; cum in eodem sensu accipiantur omnes illius propositiones.

37 Ad argumentum contrariũ respondetur, quod differentia prædicatur in quale; sed nõ semper per modum alteri adiacentis: quia hoc est proprium illius significatæ in concreto, aut adiectiue. Præterquã quod, bene potest abstractio esse à subiecto; & implicite significari qualificatio constitutiuæ speciei: & ista in abstracto significata, adhuc constat ex genere, & differentia; quamuis in rigore non sit species, quia non significatur vt totum, & in supposito. Et licet genus sit extra cõceptum differentiarum; eas implicite continet, & de illis potest prædicari: quamuis ipse de illo non prædicentur directe: præ-

dicantur tamen de specie contingente generis rationem: & hoc sufficit vt prædicentur formæ genericæ de differentijs: quia non potest genus abstrahere abstractione formali à natura specifica; & ita neque a genere, & differentia, ex qua constat.

§. IV.

*De prædicationibus interminis secundæ intentionis.*

38 FAcile ex dictis, omnes combinationes in istis terminis: possibiles fieri, possunt intelligi, solum aduertendo, quod secundæ intentiones respectu primarum se habent vt accidentia respectu substantiæ; & ideo fere sequuntur regulas accidentium realium: vnde sicut in concreto concedimus, quod *homo est albus*, ita secundæ intentionaliter dicimus, quod *animal est genus*, & *homo est species*: & sicut non dicimus, quod *homo est albedo*; ita neque dici potest, quod *homo est species*, & *animal genericitas*.

Iam autem notatum est ex D. Thoma 4. cap. de Ente, & essentia, quod ista propositio, *animalitas est genus, humanitas est species*, est falsa: quia significatur essentia per modum partis. E contra vero est in accidentibus: quia in abstracto significata ponuntur in prædicamento, & non in concreto, nisi reductiue: quia *cum subiecto non faciunt unum per se*, vt notat S. Thomas 7. capit. de Ente, & essentia: vnde dicimus,

mus, quod *Albedo est qualitas*, & quod *Logica est scientia*, & sic de alijs; ita pariter dicimus, quod *generitas est vniuersalitas*, & quod *vniuersalitas est ratio rationis*: quia, quoad hoc, par ratio est secundarum intentionum, & accidentium realium.

39 Comparando autem ipsas secundas intentiones inter se: quia vnum accidens potest denominatiue de alio praedicari, vel quia ambo absque ordine sunt in eodem subiecto; vel quia vnum inest alio media te, ideo vna secunda intentio potest de alia in concreto praedicari, vt cum dicimus *genus est species subalterna*: *genus est relatio*, & sic de alijs; quamuis in abstracto non praedicentur; sicut nec praedicari possunt duae intentiones, etiam in concreto, si repugnet in eodem adunari; vt, non concedimus, quod *genus est differentia*: & in omnibus de his philosophandum est cum proportione ad accidentia realia.

40 Aduertunt tamen bene I. P. Carmel. disp. 4. q. 5. n. 43. quod in secundis intentionibus potest optime concretum praedicari de abstracto; in quo secundae intentiones non sequuntur realia accidentia: licet illa imitentur in hoc, quod abstractum non praedicatur de concreto, in praedicatis non transcendentes. Ratio huius differentiae est: quia vna secunda intentio in abstracto significata potest esse fundamentum alterius, & induere rationem primae, respectu illius: quia omne, quod ab intellectu cognoscitur, potest esse prima intentio intellectus, eo quod prima attentione potest attingi: ergo vna secunda intentio in concreto, potest esse forma denomi-

nans aliam secundam intentionem in abstracto: ac proinde, potest de illa praedicari dicendo; *vniuersalitas est genus*; *generitas est species*: & sic de alijs.

41 Obijcies: nam ex doctrina data sequitur dari processum in infinitum in secundis intentionibus: sed processum in infinitum dari est manifestum inconueniens: ergo, ex eo, quod vna intentio fundetur super aliam, non sequitur, quod in secundis intentionibus possit concretum praedicari de abstracto. Maior patet, quia sicut super secundam potest fundari tertia, ita super tertia poterit fundari quarta, & super quartam quinta, & sic in infinitum pro libito intellectus.

Respondetur, concedendo sequelam, cum D. Thom. 5. Met. lect. 11. id autem non esse inconueniens, explicat S. Thom. 1. p. q. 28. art. 4. ad 2. dicens: quod in nobis relationes intelligibiles in infinitum multiplicantur: quia alio actu intelligit homo lapidem, & alio actu intelligit se intelligere lapidem, & alio etiam intelligit hoc intelligere; & sic in infinitum multiplicantur actus intelligendi, & per consequens relationes intellectus. Vnde D. D. communiter, nullum reputant inconueniens admittere processum in infinitum in relationibus rationis: quia nec subordinantur per se, nec aliam causam exigunt, quam intellectus operationem.

42 Solu restat dubium; Vtrum nomina secundarum intentionum vniuersalium supponant personaliter pro singularibus indiuiduis? Quod est inquirere; an debeat concedi, quod *Petrus est species*; & quod *homo est genus*?

Respondetur, quod nomen secundae

intentionis vniuersalis nõ supponit pro indiuiduo; nec nomẽ secundæ intentionis indiuidui supponit pro specie, sed pro natura, cui conuenit illa intentio. Est communis: & diligenter eam probat M. Soto q. 3. vniu. art. 2. quia quotiescũque variatur appellatio & genus suppositionis, consequẽtiæ sunt malæ, & propositiones, defectus istos cõtinẽtes, sunt falsæ, vt dictũ est lib. 2. Dialect. c. 10. sed sic cõtingit in præsentia, quia nomina secundarũ intentionũ appellat supra propriũ cõceptũ termini, in quẽ feruntur, & faciunt illum supponere simpliciter: prædicta vero prædicata supponunt personaliter pro indiuiduis: ergo variatur appellatio, & genus suppositionis. Et isto defectu duplici laborat isti syllogismi: *homo est species: Petrus est homo: ergo Petrus est species: animal est genus: homo est animal: ergo homo est genus.*

Secũdo probatur: nõ si sensus illarũ propositionũ explicetur, in omnibus illis prædicatũ repugnat subiecto: ac proinde, sunt falsæ. Probatur antecedens: nam sensus huius propositionis, *Petrus est species:* est quod *Petrus, quatenus concipitur cõceptu singulari, est vniuersalis, & species:* sed hoc in terminis repugnat: ergo nomina secundarum intentionum vniuersalium, non supponunt personaliter pro indiuiduis.

43. Obijcies: vniuersalia prædicantur de singularibus: quia vniuersale est *vñ in multis, & de multis:* sed species est vniuersalis: ergo prædicatur de indiuiduis.

Respondetur, quod vniuersalia primo intentionaliter, prædicantur

de indiuiduis primo intentionaliter, & secundum proprias rationes, quas habent in rebus: vt cum dicimus, *Petrus est homo, Paulus est homo: homo est animal, equus est animal.* Non tamen prædicantur reduplicatiue, in quantum substant secundis intentionibus; nisi denominatiue, pro illo statu, pro quo intentiones conueniunt: quamuis ipsæ secundæ intentiones suas habeant species, & genera, vt postea dicitur, q. 17. vnde; vt dicitur opusc. 56. apud D. Thomam, quando dicitur, *vniuersale prædicatur de pluribus, sensus est, quod res subiecta vniuersalitati, prædicatur de pluribus.* Videatur.

*Summa textus Prædicabilium Porphyrii.*

1 **P**orphyrius fuit patria Tyrus, natione Phœnicus, professione primo quidem Christianus, postea perfidus apostata, & rabidus in Christum canis, vt ait S. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis; sed quia fuit adeo insignis Philosophus, quod à D. Augustino lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 22. vocatur *Philosophorum doctissimus;* ideo sanctissimi; & doctissimi viri eius opusculum vtilissimum ad totam Logicam, non solum legerunt, sed commentarijs illustrarunt, vt patet in D. Seruino Boetio, B. Alberto Magno, Scoto, Caietano, Soto, Toletto, & alijs innumerabilibus: imo, vt ait S. Thom. 1. p. quæst. 1. articulo. 8. ad 1. *etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina vitur.*

ubi per rationem naturalem, veritatem cognoscere potuerunt: sicut S. Paulus actum decimo septimo inducit verbum Arati dicens: sicut, & quidam poetarum vestrorum dixerunt, genus Dei sumus. Quæ ideo notamus, ut cessent Recètes nobis obijcere, quod Porphyrij autoritate muniamur, & eum exponendum suscipiamus: quod crimine non deberet Catholicis, Thomus amplius obijcere cum impius Lutherus hoc idem in illis impense oderit; ut patet in eius Epistolis, quas refert damnatæ memoriæ Ioannes Angelus.

2 Ille liber directus fuit Chrysostomo, qui fuit nobilis iuuenis Siculus; vel Phrix, ut ait Magist. Soto; vel Romanus Patrij ordinis, ut refert Caietanus. Inscríbitur *Isagege*, seu *introductio*, vel ad prædicamenta, vel ad totam Logicam, quæ ianua est scientiarum.

Diuiditur liber in tres partes. In priori proximum est libri. Secunda in quinque capita diuiditur, iuxta prædicabilium numerum: quanquam Caietanus, sequutus Boethij translationem, vnum solum agnoscit caput; in quo simul determinat de genere, & specie; quoniam correlatiua sunt. Sed hoc parum refert, & ideo communio rem partitionem sequemur. In vltima libri parte comparat quinque prædicabilia ad inuicem.

*Summa proemij.*

3 **P**rologus in duas diuiditur partes. In prima caput attentionem, docens doctrinam vniuersalium esse necessariam ad quatuor, videlicet, ad prædicamenta Aristo-

telis, ad definitiones assignandas, ad diuisiones, demonstrationes que conficiendas. In secunda parte, pro doctrinate auditoris, ostendit methodum obseruandam: quia est abstinendum à quæstionibus physicis, & metaphysicis de natura vniuersalium; & solum de illis est agendum logice, quatenus sibi inuicem prædicabilia sunt, ac subiycibilia: & de his est nunc differendum iuxta viam Peripateticam.

*Summa capituli primi, de Genere.*

4 **D**iuiditur hoc caput in duas partes. In prima explicantur diuersæ acceptiones huius vocis, *Genus*. Et in secunda traditur definitio quid rei. In priori parte tres sunt acceptiones generis. Primo accipitur pro *collectione multorum* habitudinem habentium inter se, & ad vnum principium: ut Heraclidarum genus, ab Hercule, & Romanorum, à Romulo. Secundo dicitur *genus principium generationis cuiusque*, quod habet à Patre, vel à Patria; ut, Orestes, habet genus, id est, generationem, à Tantalo, qui fuit atauus eius, & Hilus, ab Hercule, qui fuit eius Pater, & Plato, ab Athenis, & Pindarus à Thebis: patria namque principium est generationis cuiusque, per inde, ac pater. Et hæc acceptio generis est magis propria, & ex ea prima deriuatur: ex eo enim multitudo vocatur genus: quia ab aliquo vno deriuati sunt. Tertio dicitur *genus, id sub quo species collocantur*; accepta fortasse similitudine à prioribus vocabulicis significatis. Et hoc *genus*; quod

quod dicitur *Philosophorum*, est de quo nunc agimus.

5 In secunda parte sic describitur genus à Philosophis: *genus est, quod de pluribus specie differenti- bus, hoc ipso quid est, predicatur, ut animal.* Explicatur definitio: nam differt genus ab individuo, quia hoc de vno solo prædicatur; & genus de pluribus: differt à specie, quia prædicatur de pluribus differentiibus numero, & genus de pluribus differentiibus specie. Reliqua prædicabilia prædicantur *in quale*, & ideo ab eis differt genus, cum prædicetur *in quid*.

*Summa cap. 2. de Specie.*

6 **T**Ria præstat Porphyrius in hoc capite. Primò statuit acceptiones, & definitiones *specierum*: secundò disponit serie, & arbore prædicabiliū. Deniq; definit individuū, quia est subiectū prædicatorū omnium. In priori parte docet, quod species accipitur dupliciter: primo accipitur pro *forma*, seu *particularitate*. Et sic dici solet *prestantissimā formā dignā esse imperio*, ut vertit Argyropylus; vel *Priami forma*, iuxta versionē Boetij, & B. Alberti. Secundò accipitur species secundū quod est, *id quod sub-signato genere collocatur*: ut, homo est species animalis, albus species coloris, & sic de alijs. Et species definitur dupliciter, sumpta hoc secundo modo. *Species est id quod subijcitur generi, & de quo genus hoc ipso quid est prædicatur.* Et ita sic: *species est id quod de pluribus differentiibus numero, hoc ipso quid est prædicatur.* Et subdit, quod *ultima definitio est speciei infimæ,*

& quæ tantummodo species est: cætera verò, & hæc competent, quæ non infimæ sunt.

7 Statuit secunda parte, & explicat arbore prædicabiliū, in quo tria sunt, scilicet, genus supremū, quod dicitur generalissimū; infima species, quæ dicitur specialissima: & media, quæ sunt species, & genera subalterna: vnde ista duos habent respectus; & cōparata ad superiora dicuntur species, & respectu inferiorum dicuntur genera: extrema verò vnū tantū habent respectū: eo quod genus supremū solū respicit inferiora, & infima species sic dicitur solū respectu superiorū; quāvis individuorū species dicatur ut cōtinēs ipsa, superiorum autē ut continetur ab illis.

Subdit, quod genera suprema sunt decē; species verò infima, licet sint magno numero; at nō infinito. Individua verò, quæ sub infimis speciebus collocantur, sunt infinita. Qua propter Plato iubebat à genere descendere ad species infimas, ibique stare: infinita autem individua omittere: nec enim cadere sub scientiam possunt.

8 In tertia parte textus, primo ponit tria nomina, seu tres acceptiones individuū, scilicet, individuū cōterminatū, seu nominatū, ut Socrates; individuū vagū, seu confusum, quod est terminus cōmunis cū pro nomine demonstratiuo, ut, hoc albus; individuū ex suppositione, seu circūloquutione explicatū, ut Sophronisci filius, si solus Socrates illi filius est. Secundò desinit individuū dicens: *individua igitur ex eo talia dicuntur*

curus, quæ ex proprietatibus quidque constat, quarum idem aggregatū nunquā in alio fiet: Socrates enim proprietates nunquam in aliquo alio particularum erant eadem. Definitur etiam individuum, quod de vno solo particulari predicatur.

### Summa cap. 3 de Differentia.

9 **I**N duas partes diuiditur caput de differentia. In priori proponit quinque diuisiones differentia; & totidē definitiones in secūda parte. Prima diuisio est, differentia, & cōmuniter, & proprie, & propriissime dicitur. Differre cōmuniter dicitur, cum diuersitate aliqua quouis modo, aut à se ipso, aut alio differt, vt à Platone Socrates: aut à se ipso puero vir factus, vel agens à non agente. Proprie dicuntur differre, cum inseparabili differunt accidente: vt ceruleo colore occidori, similitate, vel cicatrice. Propriissime verò dicuntur differre, cum specifica differentia differunt: sicut homines ab equis differunt rationalitate. ¶ Secūda diuisio differentia, alia facit diuersum per accidens, scilicet, cōmunis, & propria; alia diuersum per se, nempe, propriissima, quæ differentia specificæ nuncupatur. ¶ Tertia diuisio differentia, alia separabiles, vt moueri, & quiescere; valere, & egrotare: alia inseparabiles, vt aquilinū, & simum, rationale, & irrationale. ¶ Quarta diuisio est subdiuisio differentia inseparabilis: nam alia est per se, vt, rationale, & disciplinabile: & hæc est de substantia rei, neque suscipit magis, aut minus:

alia est inseparabilis per accidens, & solum facit diuersum potestque suscipere magis, & minus. ¶ Ultima diuisio est subdiuisio differentia per se: nam alia sunt per quas species diuidimus in genera: alia per quas, ea quæ sunt diuisa constituuntur: seu, alia est diuisiua generis, vt rationale, & irrationale respectu hominis: alia constitutiva speciei, vt sensibile respectu animalis, & rationale respectu hominis.

10 Definitur in secūda parte differentia quinque definitionibus. Primæ differentia est, quæ species genus excedit: quia species continet actū differentiam; quam genus habet in potentia. Secūda definitio est: differentia est id quod de pluribus, & differentibus specie, hoc ipso quale quid est predicatur: ita enim vertit Argropilus: quemuis Boetius transferat: differentia est, quæ de pluribus differentibus specie, in eo quod quale quid est predicatur. ¶ Tertia definitio est, differentia est, id quod suapte natura, ea quæ sunt sub eodem genere separat. ¶ Quarta, differentia est, id quo singula differunt. Ultima definitio, quæ exactius, quæ ad differentiam pertinent, pertractatur, est: differentia est, quæ facit differre per id, quod ad substantiam, rationemque conferri; & quod pars eia est rei, cuius differentia dicitur esse. Et concludit: erunt igitur hæc specificæ differentia, quæ diuersam faciunt speciem, & quæ in ratione sunt.

munetur.

\*\*\*

*Summa capitis quarti, de proprio.*

11 **P**roponuntur in hoc capite quatuor acceptiones *proprij*: nam primo proprium dicitur, quod *soli alicui speciei accidit*; & si non *omni*: vt, homini esse Medicum, vel Geometram. Secundò, quod *omni accidit*, & si non *soli*; vt homini esse bipedem. Tertiò dicitur propriū, quod *soli, & omni, & aliquando, sed non semper conuenit*: vt, homini in senectute canescere. Quartò dicitur proprium, quod *conuenit soli, & omni, & semper*; quemadmodum homini esse risibile, & equo esse hinnibile. Et subdit: *hec autem nominantur vere propria, quoniam etiā conuertuntur*; quicquid enim est equus, hinnibile est, & quicquid est hinnibile, est equus.

*Summa capitis quinti, de accidenti.*

12 **I**n isto capite sunt tres definitiones accidentis, & vna diuisio. Prima definitio est: *accidens est quod adest, atque abest sine subiecti corruptione*. Diuiditur autē in duo: aliud enim est *separabile*, vt dormire: aliud *inseparabile*, vt nigrum esse in Coruo, vel Æthiope: quamuis cogitatione Coruus albus, & Æthiops non niger sine subiecti corruptione concipi possit. Secunda definitio est. *Accidens est, quod inesse, ac non inesse eidem potest*. Vltima definitio est. *Accidens est, quod neque genus, neque species, neque differentia, neque proprium est, semper autem est in subiecto.*

13 In vltimo capite prolixè Porphyrius comparat prædicabilia, exponens in quo conueniat, & in quo differant. Sed quia hoc satis constat ex dictis, & dicendis de vnoquoque in particulari; & littera est satis clara; ideo nec solet à Commentatoribus exponi; nec opus est in compendium redigere.

QVÆSTIO XVI

*Vtrum prædicabilia sint tantum quinque?*

1 **C**onclusio; quinque tantum sunt prædicabilia numerata à Porphyrio, ita S. Thomas 1. contrag. capit. 32. & habetur opusc. 48. capit. 1. & cōmuni scholæ consensu probatur. Item ratione; quia vniuersale est vnum in multis, & prædicabile de illis: sed tantum quinque modis aliquid est prædicabile de multis: ergo tantum sunt quinque prædicabilia. Probatur minor: quia natura superior, & vniuersalis, vel prædicatur de inferioribus essentialiter; vel accidentaliter? si essentialiter; vel vt quid potentiale, & quasi per modum materiæ, & sic est *genus*. Vel per modum actus, & quasi formæ constituitur essentialiter; & sic est *differentia*. Vel vt dicens totā essentiā, & quasi compositam constitutum ex potentia, & actu; & sic est *species*, quæ prædicatur in quid, & dicit totam quidditatem. Si prædicatur de inferiori accidentaliter; vel vt quid connexum cum essentialiter, à qua dimanat, & profluit, & sic est *proprium*. Vel vt om-

nino accidentale, & non habens cō-  
nexionem, nec inseparabilitatem a sub-  
iecto, & sic est accidens contingens. Ergo  
prædicabilia sunt tantum quinque.

§. I.

*Quatuor argumenta soluantur.*

2. **S**ed arguitur primò ad proban-  
dum, quod prædicabilia sint  
plura: nam prædicamenta sunt de-  
cem, vt dicitur libro secundo: ergo  
prædicabilia sint plura quam quin-  
que. Consequentia probatur: pri-  
mò, quia *prædicamentum est prædica-  
bilium coordinatio*: ergo numerus præ-  
dicabilium æquatur numero præ-  
dicamentorum. Secundò: nam, vt  
docet Philosophus 4. Metaphys.  
cap. 2. *tot sunt partes vniuersalis, quot  
entis*: sed partes entis sunt decem  
prædicamenta: ergo decem erunt  
vniuersalia, seu prædicabilia.

Respondetur communiter, ne-  
gandò consequentiam: & ratio dis-  
paritatis est: nam diuersitas præ-  
dicamentorum sumitur penes di-  
uersos modos essendi; qui tantum  
sunt decem, vt suo loco dicitur:  
diuersitas verò prædicabilium pe-  
nes modos prædicandi: quos esse  
quinque tantum; ratio conclusionis  
ostendit.

3. Sed instabis: nam diuersitas  
modi prædicandi desumitur ex di-  
uerso modo essendi: sed quia sunt  
decem diuersi modi essendi, sunt de-  
cem prædicamenta: ergo, de pri-  
mo ad vltimum, erunt decem præ-  
dicabilia; siquidem erunt decem  
diuersi modi prædicandi. Maior pa-

ter: quia non ob aliud prædicari es-  
sentialiter, vel accidentaliter consti-  
tuit diuersa genera prædicabiliū;  
nisi quia conuenire essentialiter, vel  
accidentaliter in re, variat funda-  
mentum prædicationis ex diuerso  
modo essendi.

Respondetur, quod id quod va-  
riat per se in vna consideratione, po-  
test variare per accidens, & mate-  
rialiter in alia. Diuersitas essendi  
in se, vel per se, vel in alio, variat  
per se prædicamenta: hoc autem  
præsupponit prædicabile; & solum  
per se respiciet diuersam coordina-  
tionem superioris cum inferiori. Et  
iuxta hoc est distinguenda maior:  
diuersitas prædicandi sumitur ex  
diuerso modo essendi, absolute, vel  
per se, vel in alio: nego. Ex diuer-  
so modo essendi vniuersalis in infe-  
riori, de quo dicitur; concedo. Et  
hæc est solutio M. Soto hic qua st.  
5. ad l. docentis, quod prædica-  
menta distinguuntur penes diuer-  
sas habitudines accidentium ad sub-  
stantiam, quæ sunt nouem habitu-  
dines, quæ cum substantia faciunt  
decem prædicamenta: sed tam en  
prædicabilia sumuntur per diuer-  
sos modos prædicatorum simpli-  
cium respectu indiuidui; qui sunt  
quinque numerati. ¶ Philosophus  
autem loco citato in argumento,  
loquitur de vniuersali *materialiter*  
ex parte naturæ: nunc autem loqui-  
mur de vniuersali *formaliter* pro in-  
tentione logica: quia istæ determi-  
nato numero cōprehenduntur, & ac-  
cidunt ipsis naturis, quæ sunt ali-  
quando, quid reale, & aliquando  
quid rationis.

4. Secundò arguitur: nam *ens* est vniuersale, imò omnium vniuersalissimum: cum de omnibus *in quid* prædicetur: & tamen non continetur sub aliquo horà quinque: quia non posset sub alio contineri, nisi sub genere: & tamen Porphyrius capite de Specie docet, quod *ens non est genus*: ergo prædicabilia sunt plura quam quinque.

Respondetur, quod ideo cum Philosopho Porphyrius probat *ens non esse genus*; nam si ipsum *ens commune omnium genus esset, vniuerse vniversa profectò entia dicerentur*. Excluditur ergo, quia analogum. Analogia autè non sunt simpliciter vniuersalia; quia vniuersale est vnū in multis; analogia autem dicunt rationè simpliciter diuersam, & vnā secundū quid: & ideo solum *reductiue* dicuntur vniuersalia. Vnde negatur maior, in rigore de quo loquimur; sed proprio vocabulo *ens* dicitur *prædicatum transcendens*.

5. Tertiò arguitur: nam indiuiduum vagum, verbi gratia, *aliquis homo*, est vniuersale: siquidem prædicatur de pluribus dicendo, *Petrus est aliquis homo, Ioannes est aliquis homo*: & tamen non pertinet ad aliquod ex quinque: ergo sunt plura. Probat minor: quia maxime videtur, quod pertinet ad speciem: ad hanc autem non pertinere, probatur: quia species abstrahit ab indiuiduis, & dicit solam quidditatem; at verò indiuiduum vagum dicit modum particulariter existendi; & ab indiuiduatione non abstrahit: ergo non pertinet ad speciem; sed pro illo aliud præ-

dicabile est constituendum.

Respondent quidam Recentiores, quod indiuiduum vagum potest accipi dupliciter: vno modo vt *ly aliquis homo*, sit idem ac, *vnus homo*: & sic prædicatur vniuersaliter de indiuiduis; sed pertinet ad quartum prædicabile, siquidem vnitas se habet vt propria passio indiuiduorum, vt iam docuerat Vazquez 1. p. disp. 130. cap. 2. Secundo accipitur indiuiduum vagum, vt est idem ac, *hic verbi homo*: & sic significantur omnia singularia disiunctim, & indiuidualiter; & ideo excluditur à numero prædicabilium: quia ista prædicantur vniuersaliter.

6. Huic tamen euersioni obstat primo: quod neuter sensus est genuinus illius vocis: & præcipue secundas confundit indiuiduum signatam, cum indiuiduo vago: cum tamen consistat inter se distingui, sicut differunt pronomen demonstratiuum, & signa particulare confusum, & indeterminatum, differtà de terminato. ¶ Deinde, si *ly vnus* significat vnā rationem abstractam ab omnibus indiuiduis; non video cur ab ipso modo indiuiduationis non possit abstrahi vnā ratio, quæ de omnibus dicatur vniuersaliter, & communiter. ¶ Præterea: aut in solutione est sermo de vnitate transcendentali? aut de vnitate constitutiva indiuidui? Si loquatur de vnitate transcendentali; est quidem proprietas entis; sed transcendens, & quæ prædicatur in quid, & transcendenter, & analogice; & ideo nõ pertinet ad quartum prædicabile:

quod prædicatur in quale, & uniuoce. Si loquatur de unitate, nõ transcendentem, sed individuali; nõ potest esse propria passio speciei; quia non cõsequitur specie per se, nec toti illi conuenit: & individualis unitas nõ est passio indiuidui, sed ipsius constitutiua.

7 Quia propter M. Masius sect. 5. de uniu. q. 1. & M. Ioan. à S. Th. q. 6. art. 1. ad 1. & quæst. 9. artic. 2. §. Nos uero dicunt, quod indiuiduum vagum non est uniuocum, sed analogum; & ideo non cõtinetur in his prædicabilibus, in quibus tantũ prædicata uniuoca cõtinentur: Indiuiduum autẽ vagum simul prædicatur in quid, & in quale, & ideo potius pertinet ad plura prædicabilia.

Verum, quia Caietanus cap. de Specie, circa finem, & plures alij ex Thomistis, censent hoc non consonare S. Thomæ q. 9. de potentia artic. 2. ad 1. & 1. p. q. 30. art. 4. & in 1. dist. 25. art. 2. docenti, quod indiuiduum vagum significat naturam cum determinato modo essendi, qui competit singulis. Et nulla videtur ratio, sicut natura dicitur uniuoce de omni singulari natura; ita ab ipsis modis particularibus non possit abstrahi una ratio uniuoca: cuius signum est, quod *ly al quis homo* nõ prædicatur per prius de vno, quam de alio: & prædicatur de pluribus; in quo differt indiuiduũ vagũ, & indeterminatum, ab indiuiduo signato.

8 Ideo quicquid sit de ista solutione, quæ examinatur infra q. 23. facilius respondent cõmuniter alij Thomistæ: quod *aliqui homo*, nõ prædicat directe solã naturã; & ita di-

recte non pertinet ad prædicabile generis, aut speciei: & ideo S. Th. illa q. 30. ad 3. ait, *communitas personarum non est communitas generis, vel speciei.* Quia tamen prædicat modum naturæ, & prædicatur in cuius modi; ideo reductiue pertinet ad naturæ completæ prædicationem: sicut, *anima*, quæ est pars, reductiue pertinet ad prædicationem totius; & pariter alia entia incompleta, de quibus in singulari non potest hic disputari. Nec opus est (vt vult Caietanus) pro indiuiduo vago nouum assignare prædicabile, cum ad alia possit reduci.

9 Quarto arguitur: nam differentia infima, & subalterna constituunt duo prædicabilia: ergo sunt sex. Probatur antecedens: nam prædicari in quid de pluribus differentibus specie, & in quid de pluribus differentibus numero, cõtstituit duo prædicabilia generis, & speciei; vt patet ex eorum definitionibus: ergo pariter prædicari in quale de pluribus differentibus specie, vt prædicatur differentia subalterna; & in quale de pluribus differentibus numero, vt prædicatur differentia infima, constituet duo prædicabilia: & ita, vel erunt sex, vel solum quatuor.

Dices cum M. Soto q. de Specie ad 2. quod differentia inter genus & speciem est, quod genus prædicatur in quid; quia est pars quidditatiuæ definitionis speciei: species uero, quia dicit totam quidditatẽ indiuiduorum; de quibus prædicatur: & per hoc essentialiter differunt.

Sed contra est, primò, quia hæc differentia non exprimitur in definitionibus, Secundò; quia etiã reperitur

ut inter differentiam subalternam, & infimam: nam si quis dicat, *homo est sensibilis*, dicit differentiam eius partialem: si verò asserat, *homo est rationalis*, assignat differentiam completam, & totalem. Tertiò: nam differentia subalterna identificatur cum specie subalterna, quam constituit; & species infima non differt à differentia à homo: ergo pariter, sicut illa dicit partem, & ista totam quidditatem, & per hoc essentialiter differunt: idem dicetur de differentia.

10 Respondetur, quod sicut genus supremum, & subalternum, & infimum accidentaliter differunt: quia habent eundem modum essentialiter respiciendi inferiora; ita pariter dicendum de differentia subalterna, & infima, & de proprio generis, & speciei: quia non variantur in essentiali constitutio in esse prædicabilis. ¶ Ad primam replicam dicitur, quod definitiones dantur per notiora quoad nos; & per illa, adiuncta expositione Doctorum, insinuat differentia iam dicta. ¶ Ad secundam dicitur, quod etiam *rationalis* non explicat totam quidditatem, sed solum quasi partem formalem, & ultimam; non exprimendo genus, quod est quasi materia. ¶ Ad tertiam dicitur, quod hic loquimur de conceptu formali, & explicito distinctivo prædicabilium: non autem de materiali entitate, in qua, nec realiter differt genus ab specie, & differentia, & individuò: quia ista formaliter sunt opera rationis: omnis autem differentia in conceptu proprio explicat partem

formalem, & genus partem materiale, & species totum, & ideo inter se essentialiter differunt; & solum accidentaliter differentia subalterna, & infima.

## §. II.

## Duobus argumentis satisficit.

11 **E**X alia parte sunt duo argumenta ad probandum, quod sint tantum quatuor prædicabilia: quorum primum est: nam proprium, & accidens non differunt essentialiter in ratione prædicabilis: quia utrumque prædicatur *pure in quale*; & utrumque per modum partis formalis: ergo unum tantum constitunt prædicabile.

Dices, differre, quia quantum prædicabile prædicatur *necessario*, & inseparabiliter; quantum verò, *contingenter*, & separabiliter.

Hoc tamen admissio, instauratur argumentum, nam hæc differentia est solum ratione materie contingentis, & necessarie: sed hæc diversitas se habet materialiter ad diversificandum uniuersale, prout pertinet ad logicum. Ergo logice loquendo, hæc prædicabilia essentialiter non differunt. Probatur minor: nam genus, & species, que denominant substantiam, & accidens, ens reale, & rationis, logice non differunt: quia tota diversitas est ex parte materie: ergo si inter proprium, & accidens est diversitas solum ex materia, est differentia accidentalis.

12 Ad hoc argumentum (quo concurrens Hurtaeus disp. 7. sect. 2. & Arriaga disp. 9. sec. 2. n. 11.) facile respondetur, quod inter illa prædicabilia,

bilis, nō est differentia pure ex materia; sed ex inde radicatur, & oritur diuersitas essentialis in modo prædicandi: nam syllogismi probabiles essentialiter differunt à demonstratiuis, orta differentia ex diuersa cōnexionē, in qua fundatur prædicatio: vnde syllogismi, in quibus propria passio prædicatur, faciunt sciētium; secus verò, cum aliquod accidens cōuenire probatur medio probabili, vel extraneo. Et iuxta hoc admittitur solutio. Et ad replicam negatur maior, quæ sine probatione proponitur.

13. Vltimo arguitur: nam prædicabilia differunt per prædicationes tāquam per proprios actus: sed prædicata sunt tantum quatuor: ergo nec prædicabilia sunt plura quā quatuor. Cetera patent; & minor est Philosophi, qui 1. Topicorum a cap. 3. vsque ad 5. assignat tantum quatuor prædicata dialectica, nempe, *genus, definitionem, proprium, & accidens*: vbi omittit speciem, & differentiam; & loco illarum statuit, *definitionem*: ac proinde, quatuor prædicata sufficiunt.

Respondetur distinguo minorem; & concedo eam de prædicatis topicis, seu probabilibus, de quibus ibi agit Philosophus: nego verò de prædicabilibus subseruientibus ordini prædicamentali. Et ideo hic excluditur definitio: quia complexum; & distincta ponuntur genera, & differentie, quia illud *in quid*, istæ *in quale* prædicantur, quæ est distincta coordinatio superioris cum inferiori. Species autem non ponitur inter prædicata topica, quia est il-

lorum subiectum, de quo complexa prædicantur, & ideo numeratur definitio. Et non ponitur ibi discrimen inter genus subalternum, & differentiam: quia eodem modo cōstituunt problema dialecticū, quod ex B. Alberto, & Scoto, bene explicant Soto ad 1. & PP. Carmelitani disp. 4. q. 6. ad 4.

## QVÆSTIO XVII.

*Vtrum vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia?*

§. I.

*Prædicabilitas est passio vniuersalis.*

1. ANTEQUAM directe quaesito satis fiat, videndum, vtrum sit aliquod discrimen inter vniuersale, & prædicabile. ¶ Nā Scotus q. 15. Logica, Merinero cap. 2. de vniuersalibus disp. 2. q. 2. & Hurtadus disput. 3. sect. 2. cōsent, prædicabilitatē esse de essentia vniuersalis logici: quia aptitudo ad essendū, quæ præcedit, solū est in re, vel ad vniuersale metaphysicū: vnde formaliter, & logice loquēdo, primū quod intelligitur, est relatio prædicabilitatis; quia logice nō distinguuntur à relatione vniuersalis; sed tāta per distincta nomina, seu cōceptus in adiectiuos.

2. Contrarium tamen indicatur opusc. 48. apud D. Thom. cap. 1. & tenēt M. Soto q. 4. cōcl. 3. M. Ioan. à S. Th. q. 3. art. 5. cōcl. vltim. PP. Conimb. quaest. 3. art. 3. Toletus q. 1. & cōmuniter authores docēt: quod

quod prædicabile est passio vniuersalis, quæ de illo demonstratur hoc modo: *omne quod est in aliquo, potest prædicari de illo*: & omne quod est natum esse in aliquo, est aptum dici de illo: sed *aliquid, est vniuersale, quia aptum esse in pluribus, & prædicabile, quia aptum enuncitari, seu dici de illo*: ergo vniuersale est subiectum prædicabilitatis, sicut rationale, risibile.

Nec in entibus rationis, quo ad hoc, aliter est discurrendum, imo facilius ista multiplicantur, cum à solo depēdeant intellectu, cum fundamento in re: vnde, si videmus aptitudinem ad essendum, esse fundamentum ad prædicandum; iam habemus, quo distinguamus duas relationes rationis, quarum vnæ, dicitur naturæ esse in indiuiduis, & alia denominetur prædicabilis de illis. Nec habent aliam subordinationē, quam subiectum, & passio; licet ambæ fundentur in rebus remote; & proxime, in operatione intellectus. Et licet subiectum tractatus sit vniuersale; de quo proprietates demonstrantur; inscribitur *prædicabile liber*: quia definiuntur vniuersalia per proprias passiones, quæ sunt nobis notiores, vt notat Mag. Soto. ¶ Hoc supposito, quaesito principali duplici conclusione: respondetur.

## §. II.

*Vniuersale est genus.*

37 **D**ico primo: vniuersale est genus ad quinque vniuersalia,

& prædicabile ad quinque prædicabilia. Deducitur ex D. Thomæ lib. 1. contragent. cap. 32. & communiter acceptatur à Thomistis. Docuitque Scotus q. 8. vniuersal. & eius sequuntur disceptati. Item Tolerus q. 2. & communiter alij auctores. Et vnica ratione probatur: genus est vniuersale; quod vniuoce, & in quid prædicatur de pluribus differentibus specie, vt constat ex eius definitione: sed vniuersale prædicatur vniuoce, & secundum rationem simpliciter eandem de omnibus quinque relatis; quia omnia conueniunt in essentiali ratione vniuersalis, nempe, sunt vnū in multis: & ita vniuersale de illis vniuoce, & in quid prædicatur. Ex alia parte ista vniuersalia, & prædicabilia differunt inter se specie, ex diuerso modo essendi in pluribus, & prædicationis, vt questione precedenti ostensum est: ergo vniuersale est genus ad illa.

4 Obijcies primo: genus prædicatur vniuoce de suis inferioribus, vt docet S. Thomas illo capit. 32. sed vniuersale non dicitur vniuoce, sed solum analogice de quinque vniuersalibus: ergo non est genus ad illa. Probatur minor: tria priora prædicantur essentialiter, & duo posteriora prædicantur accidentaliter. sed prædicationi essentiali, & accidentali non datur aliquid commune vniuocum: Ergo nec istis quinque prædicabilibus. Probatur minor primo: quia substantiæ, & accidenti non datur aliquid commune vniuoce, vt dicitur libro secundo: ergo nec prædicationi essentiali.

essentiali, & accidentali. Secundo probatur: nam essentia, & eius accidenti non datur vna ratio vniuocae communis: Ergo: nec praedicationi quidditatiue, & essentiali, & praedicationi accidentali,

Respondetur negando minorem primi, & secundi syllogismi. Ad primam probationem, negatur consequentia: quia inde solum inferitur, quod in esse entis, & materialiter, & ex parte naturae subtractae, dicantur analogice: cum quo tamen stat, quod secundo intensionaliter, & formaliter loquendo de coordinatione vniuersalis cum suis inferioribus, dicantur vniuocae. Nec verum est, quod prima praedicabilia sint substantiae, & posteriora sint accidentia: quia loquendo praedicabiliter, non solum substantiae, sed accidentia, & entia rationis, quaedam praedicantur essentialiter, ut genus, vel species, quaedam accidentaliter, ut proprietates, vel accidentia. Vnde constat, quod formalis differentia praedicabilium, non sumitur ex materiali diuersitate eorum, quae praedicantur.

Pariter ad secundam dicitur, quod in essendo, ex subiecto, & accidente non fit vnum per se, nec vniuocae aliquid de utroque dicitur, sed tamen, sicut ex praedicatis quidditatiuis fit vniuersale simpliciter; ita ex forma accidentali fit praedictio denominatiua, quia non est de essentia rei; sed vniuocae, & praedicabilis, & vniuersalis simpliciter; quia secundum rationem eandem conuenit omnibus inferioribus.

5 Secundo arguitur: vniuersale transcendit vltimas differentias quinque praedicabilium: sed genus nequit transcendere vltimas differentias; quia eas solum continet in potentia, & ideo ens non est genus, quia est transcendens: ergo vniuersale non est genus. Probatur maior quia abstracta vltima differentia constituyente speciem cuiuslibet praedicabilis, illa est vniuersalis: quia est vna, quae praedicatur vniuersaliter de multis: ergo ratio vniuersalis transcendit vltimas differentias praedicabilium. Et specialiter, cum tertium praedicabile sit differentia; saltem respectu illius non potest esse genus, quia differentia essentialiter imbibit vniuersalitatem.

Respondetur negando maiorem quia vniuersalitas diuisa non praedicatur essentialiter, & quidditatiue de modis differentialibus ipsam contrahentibus; sed potest ab illis simpliciter abstrahi, & eos continet pure in potentia, sicut animal continet rationale, & irrationale.

Ad primam probationem dicitur, quod illa differentia abstracta; est vniuersalis denominatiue: quia vniuersalitas est quoddam accidentis rationis, cuius materia, & subtractum abstrahit à reali, & rationis; & ita omne, quod à pluribus potest abstrahi, potest ab ista intentione denominari. ¶ Ad secundam probationem dicitur, quod praedicabile differentiae est quaedam species vniuersalis: & ita componitur ex genere, & quaedam particulari differentia, & ratio generica est ra-

tio vniuersalitatis, & ratio differentialis est modus talis vniuersalitatis prædicabilitatis *in quale essentialiter*: & hæc est extra essentiam generis essentialiter: quamuis denominari possit à diuersis intentionibus accidentaliter superuenientibus.

6 Tertio plura obijciuntur absurda, ex eo quod vniuersale sit genus ad quinque prædibalia: nam primo, sequitur, quod diuisum contineatur sub vno membrorum diuisentium, & sit inferius illo: quod sequi patet: nam primum membrum diuisionis est genus; & si vniuersale est genus, continebitur sub genere; & ita respectu eiusdem, erit inferius, & superius: quod implicat. Secundo sequitur, quod omnia prædicabilia sint species; quia immediate contenta sub genere sunt species, de quibus prædicatur genus *in eo quod quid*: sed hoc est falsum: alioquin omnia prædicabilia essent species: quod est contra leges diuisionis: nam membra diuisentia sunt opposita; & de inuicem non prædicantur:

Respondetur: distinguendo vtrumque assumptum: & concedo, de contentia accidentali, & denominatiua: quia bene potest aliquid essentialiter superius, accidentaliter, & denominatiue sub inferiori contineri; nego tamen de contentia essentiali, & quidditatiua: & de illa procedit argumentum. Pariter que non est in conueniens, quod prædicabilia omnia accidentaliter denominentur à secunda intentione speciei, quamuis quatuor illorū

essentialiter ab illa distinguantur: vnde dicitur opusc. 56. apud D. Thom. *quod vna intentio est genus, & species diuersis respectibus.*

7 Sed instabis: nam species essentialiter continentur sub genere: eo quod genus quidditatiue de illis prædicatur; sicut animal essentialiter dicitur de homine, & equo: & homo, & equus essentialiter sunt sub animali: ergo, si vniuersale esset genus, prædicabilia essent species; non tantum accidentaliter, & denominatiue. Probatur consequentia: quia eatenus sunt species, quatenus sunt vniuersalia: sed essentialiter sunt vniuersalia: ergo essentialiter sunt species.

Respondetur, quod cum vna intentio possit fundari super aliam, ipsa secunda intentio potest gerere munus primæ intentionis. Iuxta hoc ergo, de vniuersali possunt fieri prædicationes essentielles, in quibus sumitur quasi primo intentionaliter, & possunt fieri prædicationes denominatiuæ, quando accipitur vna intentio vt forma denominans aliam. Vnde in forma dicitur, quod genus primo intentionaliter, quidditatiue prædicatur de speciebus; sed ipsa secunda intentio solum prædicatur accidentaliter, & denominatiue, vt exponitur dicto opusc. 56. & iuxta hoc est distinguendum consequens.

8 Iterum vrgebis: nam vna species, condistincta essentialiter ab altera, & ei opposita, nec accidentaliter potest prædicari de illa. Quod non solum habet verum in prædicatis substantialibus, sed etiam

in accidentalibus, adhuc in conu-  
to sumptis: non enim dicimus, *album*  
*est nigrum*, nec, *dulce est amarum*; sicut  
neque dicimus, quod *homo est equus*,  
nec, quod *Albedo est nigredo*: sed ge-  
nus, & species sunt species vniuer-  
salis essentialiter distinctae: er-  
go non possunt, nec accidentaliter,  
ad inuicem praedicari.

Dices, minorem esse veram, si  
ambae intentiones sumantur ut quo:  
secus vero si vna sumatur ut quo,  
& alia ut quod: quia secundum  
distinctas rationes, bene possunt di-  
uersas subire denominationes.

Sed contra, primo: nam so-  
la rationis distinctio, non videtur  
sufficere, ut vna species praedice-  
tur de alia sibi opposita. Secundo,  
nec sufficit ut aliquid contineatur  
sub se ipso: nec ut vnam denomina-  
tionem habeat essentialem: & per-  
mittat oppositam sibi accidere de  
nominationem.

9 Respondetur, quod tota equivo-  
catio in hac parte est, quia cogit-  
tur, ac si solum esset vna secunda in-  
tentio: & tamen sunt totae secun-  
dae intentiones, quot sunt reflexio-  
nes intellectus: & vna intentio,  
quae primo est forma denomi-  
nans, postea est subiectum alie-  
rius formae de nouo aduenientis:  
& ita nunquam duae species oppo-  
sita ad inuicem praedicantur; sed  
vel forma de subiecto; vel duae  
formae non incompatibiles, sicut  
*album est dulce*. Nec ista est oppo-  
sitiō: quia id quod aliquando su-  
mitur primo intentionaliter, potest  
accipi ut quo, & ut forma secundo  
intentionaliter. Vnde bene dixit M.

Soto q. 4. ad 2. quod in istis sophis-  
ticis argumentationibus, *medium re-  
netur equivoce*: nam quandoque sup-  
ponit simpliciter, & secundo inten-  
tionaliter; quandoque supponit per-  
sonaliter, & primo intentionaliter.  
Videatur idem in q. de genere,  
ad 4.

### §. III.

*Non est diuisio immediata.*

10 **D**ico secundo, vniuersale nō  
est genus immediatum ad  
quinque vniuersalia. Est commu-  
nis, ut pluribus relatis, ostendunt  
PP. Carmelitani disput. 4. q. 6. n.  
53. & sequitur M. Lerma lib. 4. q.  
2. & alij frequenter. Quamuis pro-  
contraria sententia M. Cahero tra-  
ctat. 3. disp. 1. dub. 4. n. 6. citet M.  
Fonsecam, & Conimbricenses. Ip-  
se tamen nobiscum sentit.

Et probatur: nam datur vnum  
genus immediatum, in quo conue-  
niunt tria priora praedicabilia; & al-  
iud in quo conveniunt alia duo: er-  
go vniuersale solum mediante diui-  
ditur in quinque species, & imme-  
diate diuidetur in duas species sub-  
alternas. Probarur antecedens: nā  
tria priora conveniunt in hoc, quod  
est praedicari essentialiter, & duo  
posteriora in hoc quod est praedi-  
cari accidentaliter: & differentiae  
istae, per se modos praedicendi es-  
sentialiter diversos, sunt per se  
respectu praedicabilium, ut dictum  
est: ergo vniuersale prius debet di-  
vidi in vniuersale essentialiter, & ac-  
cidentaliter: & rursus subdividi essen-  
tia-

tiale, in genis, speciem, & differentiam; & accidentale, in proprium, & accidens.

11 Sed obijcies: quod iuxta hoc, deberet dici, quod prædicabilia sunt tantum duo; quia diuisio debet dari per membra immediata; & tamen Porphyrius immediate diuisit in quinque: ergo diuisio non est mediata.

Respondetur, quod, ex ipso Porphyrio capite ultimo, constat diuisionem non esse immediatam. Pofuit autem in proæmio quinque species: quia, vt notant M. Soto lib. 2. Dialect. cap. 4. lect. 2. & M. Araujo lib. 3. Metaph. q. 4. art. 1. ad vltimū, diuisio generis subalterni potest fieri assignando omnes species infimas; quando illæ possunt certo numero comprehendi: vt in præfenti contingit.

12 Obijcies secundo, cum M. Fr. Ioanne à S. Thoma quest. 6. art. 2. infine; nam essenziale, & accidentale, vt sic, nõ sunt per se; & propriæ differentie vniuersalis; sed solum essenziale, & accidentale; quatenus constituunt, vel imbibuntur in ipsa ratione generis, vel speciei, vel proprii: ergo potest dici, quod vniuersale immediate diuiditur in illis quinque species. Probatur antecedens: nam essenziale, & accidentale potest inueniri etiam extra prædicationem vniuersalem: sicut cum dico, *Petrus est hic homo*, est prædicatio essentialis, & cum dico, *Petrus est hic aibum*, est prædicatio accidentalis.

Respondetur, quod ratio diuisa debet esse vniuersalis, & per hoc ex-

cluduntur prædicationes singularium: & ita verissimum est, quod non loquimur nisi de prædicatione essentiali, & accidentali superioris de inferiori. Cum quo tamen stat, quod prædicari vniuersaliter, immediatius descendat ad hoc genus, quam ad singulas species: & ita supposito, quod substractum sit denominabile à secunda intentione vniuersalis; esse essenziale, vel accidentale, sunt differentie per se: quamuis magis abstracte, possint in alijs inueniri: vnde prædicabile vniuersaliter, immediate diuidetur in prædicabile essentialiter, & accidentaliter.

### QVÆSTIO XVIII.

*Quod sit definitum in definitione generis?*

1 **Q**uoniam, vt inquit Caiet. capite de Genere, *questio hæc est ianna ad logicas definitiones, & tractatus*; ideo, vt generaliter, & radicatus illi satisfiat, tractandum est incommuni de modo definiendi accidentia in concreto: quia genus de formali dicit secundam intentionem, quæ est accidens rationis, & significatur in concreto: seu vt adiuncta primæ intentioni, & naturæ, quam denominat; & ideo doctrina generalis de modo definiendi accidentia in concreto, omnino cõducit, ad intelligendam definitionem generis, & aliarum intentionum.

S. I.

*Qualiter accidentia definiantur,  
exponitur.*

2 **A**D hoc breviter respondendo. Dico primo: accidentia vere, & proprie possunt defini: quamvis secundum quid, & secundario, & per posterius. Ita post longam disputationem, docent Philosophus, & S. Thomas lib. 7. Metaph. ubi lect. 4. lit. b. in fine, ita concludit S. Thom. & quia Philosophus posuerit duas solutiones; subiungit, quod nihil differt qualitercumq; e aliquis velit dicere de premissa questione, siue dicatur, quod accidentia non habent definitionem; siue quod habent, sed per posterius, & secundum quid. Quod tamen dicitur in prima solutione, quod non habent definitionem accidentia, intelligitur per prius, & simpliciter. Idem habet littera, f, in fine. Et late prosequitur idem S. Thomas capite 7. de Ente, & essentia, & in 2. sententiarum dist. 35. q. 1. ar. 2. ad 1. & alibi saepe.

3 In istis, & alijs locis, duas rationes proponit S. Thomas. Prima est: eo modo aliquid habet definitionem, quo habet essentiam, definitione explicabile: sed accidentia vere habent essentiam; quamvis secundum quid, & per posterius: ergo eodem modo definiuntur. Maior patet; quia essentia per definitionem explicatur, & definitio est oratio, rei essentiam exponens. Minor vero probatur: quia ens analogice dicitur de substantia, & accidente, & per prius, & simpliciter dicitur de

substantia, & secundum quid de accidente: quamvis in utroque sit proprie, & intrinsece, ut dicitur lib. 2. & latius 3. p. Metaph.

4 Altera ratio eiusdem S. Thomae est: nam definitio est oratio, qua respondemus ad interrogationem qua inquiritur, quid est res? Sed sola substantia simpliciter habet predicari in quid, & alia genera solum secundum quid, & inquam dependent a substantia; & per modum illius significantur: ergo sola substantia primo, & principaliter definitur, & alia genera solum secundum quid, & per posterius. Maior est manifesta: nam hac de causa definitio dicitur ratio significans quod quid erat esse, seu quid est res. Minor vero probatur: nam sola substantia simpliciter est quid: alia vero accidentia solum dicunt, quale, vel quantum, vel quid respectuum.

Duas alias rationes ad hoc probandum, vide in M. Flandria lib. 7. Metaph. q. 8. art. 1. de mente etiam Philosophi prolixè disputat P. Vazquez 3. p. disp. 128. cap. 2.

5 Dico secundo; semper subiectum debet poni in definitione accidentis: si definiatur in abstracto, ponitur loco differentiae; si vero accidens definiatur in concreto, subiectum ponitur loco generis: dicimus enim, quod finis, est nasus carnis. Ita ex Philosopho 7. Metaph. textu 4. docet S. Thomas ibi lect. 1. & 4. & de sensu, & sensato, lect. 6. & q. 3. de Veritat. art. 7. ad 2. & 1. 2. q. 53. art. 2. ad 3. & habetur opusc. 36. cap. 1. & opusc. 42. capit. 19. & sequuntur omnes Thomista; spe-

cia liter videndi M. Flandria lib. 7. Metaph. q. 9. art. 1. & Soncinas lib. eodem q. 6. & alij, quos referunt, & sequuntur P. P. Carmel. in Logica disp. 5. q. 2. ubi referunt sic semper de finisse antiquiores Philosophos. In hoc que nobiscum convenire Scot. in 4. dist. 12. testatur Cajetanus de Ente, & essentia cap. 7. q. 15. in fin.

6 Et ratio est facilis: nam unum quodque, eo modo definitur, quo eius quidditas à nobis concipitur: quia sæpe dictum est, quod modus significandi, non equitur immediate modum essendi, sed mediante modo intelligendi: quod notat S. Thomas 7. Metaph. lect. 1. & 1. p. quaest. 13. art. 9. ad 2: nunquam autem accidens præscindi totaliter potest ab omni ordine ad subiectum; quia est ens in alio: nec habent accidentia esse, nisi in sint subiecto; & ideo eorum quidditas est dependens à subiecto; & ideo semper in definitione intrat subiectum. Quia tamen in abstracto significantur quasi abstracte, & per se, & sine compositione, & in definitione explicita cum subiecto; & ideo hoc solum intrat de connotato: quia tamen in concreto, ex modo significandi fit suppositio pro subiecto; quod solum est per se ut quid, & cum quo importatur explicita compositio; ideo cum accidentia definiuntur in concreto, subiectum importatur explicitè, & in recto, & ut prima pars definitionis, & per consequens, ponitur loco generis.

7 Obijcies primo: genus prædicatur in quid de definito: sed substantia non prædicatur in quid de accidente

ti: quia sunt genera primo diversa: ergo male ponitur subiectum, ut genus. Respondetur, probare argumentum, quod non est subiectum verum genus; non tamen, quod non ponatur loco generis; & ideo, ut ex D. Thoma notat M. Fladria, istæ non sunt definitiones simpliciter quidditative; sed vocatur per additamētum: quia aliquid extraneum, ponitur loco generis.

8 Secundo obijcies: genus in definitione est, id in quo definitum convenit cum alijs; differentia autem, per quod differt ab alijs: ergo impossibile est, quod subiectum ponatur ut genus in vna definitione; & in alia, ut differentia.

Respondetur, quod quia abstracta significantur quasi per se, & ut substantiæ; ideo magis proprie definiuntur, & ponitur in eorum definitione verum genus, & vera differentia: quia tamen concreta significantur ut tota; & ex subiecto, & accidenti non fit unum per se; ideo magis concretorum definitiones recedunt ab exactis legibus definitionum: unde bene respondent. P. P. Carmel. num. 26. quod cum concretorum definitiones, secundum quid sint definitiones, sufficit, quod in eis ponatur, id quod secundum quid habet rationem generis, & differentia. Sic autem non inconuenit, quod id quod secundum quid semel genus est, sit simpliciter differentia, & e contra; respectu diversorum: ut ibi late exponunt.

9 Tertio obijcitur: aut nomine subiecti intelligitur sola substantia? Et sic, non poterit poni pro differentia alicuius accidentis. Aut intelligitur speciale subiectum?

Ita non datur cuiuslibet accidentis speciale subiectum. Et adhuc si daretur, non posset à nobis cognosci: ergo falsum est, quod accidentia per subiectum debeant defini.

Respondetur, quod secundum se cuiuslibet accidenti competit proprium subiectum, & principium à quo causatur: quia cuiuslibet actui respondet sua potentia, sicut cuiuslibet potentia suus actus, iuxta Philosophum 9. Metaph. textu 12. de quo Caiet. tom. 3. opusc. tract. 3. q. 1. & Nazarius initio 1. p. quoad nos tamen, propria principia aliquorum accidentium sunt ignota. Unde S. Thomas cap. 7. de Ente, & essentia inquit: *sed quia propria principia accidentium non semper sunt manifesta; ideo quandoque sumimus differentias accidentium ex eorum effectibus: sicut congregatum, & disgregatum dicuntur differentia coloris; quia causantur ex abundantia, vel paupertate lucis, ex qua diverse species causantur.* Secundum se ergo deberet poni in definitione proprium subiectum; per accidens tamen, & quod nos, aliquando exponitur per effectus, vel per proprietates, ex quibus innotescit essentia.

## §. II.

*An sit alius modus definiendi accidentia?*

**H**Æc cum videantur certa; oritur dubium, an sit alius modus definiendi accidentia in concreto? Seu, ytrum accidens

in concreto, recte etiam definiatur per concretum superius loco generis?

Sunt tres opiniones inter Thomistas. P. R. Carmel. vbi supra, in dubio appendice n. 29. docent, servata proprietate concreti accidentalis, nunquam defini posse per concretum superius loco generis. Probant primo: quia subiectum debet intrare definitionem accidentis: sed in definitione concreti, non ponitur loco differentia: ergo ut genus. Secundo: quia non esset differentia, inter modum definiendi concreti, & abstracti. Tertio: quia cónotatum semper predicatur in quale: ergo non potest habere locum generis, quod in quid predicatur.

Quarto probant, quia sic perpetuo definerunt Philosophus, Porphyrius, & S. Thomas, & quot quot recte calluerunt artem definiendi: ergo aliter sentientes non sunt audiendi in schola Aristoteli, & D. Thomæ.

11 Per aliud extremum, P. Fr. Didacus à Iesù disp. 6. q. 2. docuerat accidens in concreto defini posse per concretum superius: imò illam definitionem esse magis exactam, & perfectiorem illa, quæ traditur per subiectum: vnde hæc est exacta definitio: *ulbum est coloratum disgregatum visus*: quia forma generica magis directe importatur. Et quia sicut se habet genus in abstracto, ad formam in abstracto definitam; ita genus in concreto ad formam in concreto. Denique, nã sæpe subiectum accidentis nõ est univocum; ut patet in definitione gene-

ris: nam subtractū intentionis abstrahit à reali, & rationis, à substantia, & accidenti: ergo tunc melius esset assignare pro genere prædicatum superius, quam proprium subiectum.

12 Multi alij distinctione vtuntur, docentes, quod concretum accidentale potest definiri dupliciter; vno modo definitione *quasi physica* explicante definitum per partes, ex quibus realiter constituitur: & quia concretum dicit aliquid compositum ex subiecto, & forma unitis accidentaliter; ideo subiectum ponitur vt genus; & quasi *materiam*; & accidens loco differentie, vt *formam*, & actus subiecti. Secundo modo concretum accidentale definiri potest *quasi metaphysice*, assignando eius rationem communem, & genericam, & eius rationem peculiarem, & differentialem; quia etiam in concreto accidentali possunt considerari partes rationis, & essentie, eo modo quo essentiam habet definibilem. Ita Mag. Nuño 3. p. q. 60. art. 2. dif. 1. concl. 4. & ad 5. Mag. Ledesma de Sacramentis in genere cap. 1. in fine. Magist. Ortiz in præsentis tract. 3. Confer. 3. §. 4. ¶ Qui addit, quod quia primus modus definiendi est clarior; ideo est magis vsitatus: secundus tamen perfecte explicat naturam concreti accidentalis; licet non tam exacte, ac si esset definitio concreti substantialis. Et iuxta hoc Theologi definiunt *sacramentum* in concreto per *figūrum*, quod est quid superius: & prædicabilia definiuntur ponendo loco generis vniuer-

sale. Et verificatur genus prædicari in quid: nam concretum explicat quidditatem concreti inferioris: & illud se habet, vt materia; hoc, vt forma. Ad auctoritates in contrarium, respondent, quod loquuntur de definitione physica; quæ quia clarior, est magis vsitata; non tamé de definitione metaphysica.

13 Iste vltimus modus dicendi mihi magis probatur. Restat tamen vt explicemus, quomodo possit esse definitio concreti, & esse definitio metaphysica? Nam dicent alij, quod quando accidens definitur in abstracto, erit definitio metaphysica; quia abstrahit à subiecto, & materia; quando vero definitur in concreto, erit definitio physica. Vnde relinquatur (quod in se debet prima sententia) quod seruatæ proprietate concreti accidentalis, quæ non seruatæ nisi in definitione physica, non potest definiri, nisi per subiectū loco generis.

Respondetur, quod, vt diximus quæst. 15. nu. 32. nomina dicuntur abstracta, non ab abstractione vniuersali scientiarum; sed ab abstractione totali: vnde ibi, n. 9. diximus, quod tam concretum, quam abstractum diuiditur in physicum, & metaphysicum: vnde non video cur concretum accidentale non fit suo modo capax definitionis metaphysicæ: quamuis comparatiue ad definitionem substantiæ, sit definitio secundum quid; sicut accidens est ens secundum quid: sed sicut proprie est ens, ita proprie definitur: nā in eius essentia concrete significata, designari possunt prædicata

generica, & specifica. Et iste modus definiendi est vtitatus in Phylolopho, Boetio, & D. Thoma, Petro Hispano, & alijs peritissimis in arte definiendi: nam definiunt syllogismum per *orationem*: & pariter *modum sciendi*: & in speciebus propositionum, ipsam rationem communem assignant. Quod pariter fieri potest in definitione generis subalternotum omnium prædicamentorum.

14 Addiderim, in isto ultimo modo definiendi concreta per definitionem metaphysicam, magis servari leges, & regulas definiendi assignatas a Philolopho, & S. Thoma. Quod sic probo: illi docent, quod non debet poni qualecumque subiectum, sed subiectum proprium illius accidentis, si possit illius haberi notitia: sed contingit, præcipue in entibus artificialibus, quod subiectum non est proprium ultimæ formæ, nisi prævijs alijs formis generalibus, quæ quasi aptant materiam ultimæ formæ definiendæ. ergo melius ponitur subiectum ut formatum illis formis pro genere, quam subiectum nudum.

Quod explicatur exemplo monetæ: nã præcedit forma metalli, & forma sigilli, & forma significacionis, & valoris regii est ultima, & alie se habent materialiter ad istã. Pariter in termino, præcedit significatio, quæ in suo ordine est formæ, sed est subtractum primæ, & secundæ intentionis. ergo, quando iste formæ genericæ, & cõmunes cognoscuntur, melius erit illas apponere: quia cum ille definiantur

per subiectum: de primo ad ultimum, iam concretum definitur per subiectum; sed quo fuerit magis proprium, & formatum, melius erit. Vnde M. Soto q. vnica de genere in fine, docet quod genus quidditative definiretur dicendo: *genus est vniuersale, &c.* Idemque dicit Sanchez lib. 3. quæst. 5. concl. 2. Et sic cessant omnia, quæ adducuntur pro alijs sententijs.

### §. III.

#### *Resolutio quæstionis principalis.*

15 **V**Eniamus iam ad definitionem generis, occasione cuius omnia supra dicta, non in utiliter, ut arbitror, sunt disputata. Sed ut generi applicemus.

Dico primo, definitum in definitione generis non est constitutum, seu aggregatum ex natura, & secunda intentione, ita ut vtraque pars intret æque primo definitione, aut definitum. Est commune. Et probatur primo: nam definitum est significatum concreti accidentalis, ut patet: quia *ly genus*, est concretum, ex natura, ut materia, & secunda intentione, ut forma: sed ostensum est q. 15. §. 2. quod concreta accidentalia non important vtramque partem in recto: ergo nec definitum huius definitionis est æque primo constitutum ex vtraque parte.

16 Secundo probatur: nam *ens per accidens nequit defini*: sed aggregatum ex natura, & intentione est *ens per accidens*: ergo nequit defini

niri hac definitione. Maior est Philosophi 7. Metaph. text. 13. & ratione patet, quia definitio est oratio explicatiua quidditatis: ergo, quod non est vnum ens, nequit vna definitione defini: sed solum cuiuslibet partis, per se sumptæ, sua dabitur definitio: quod non est defini ens per accidens. Minor est S. Th. cap. 7. de Ente, & essentia, & lib. 7. Metaph. lect. 3. & in compendio Theologiæ cap. 211. & facile probata iam est: quia ex rebus diuersorum prædicamentorum, non potest fieri vnum ens per se; præcipue ex substantia, & accidente: aut ente reali, & rationis. Hanc rationem late ponderat M. Fr. Ioan. à S. Thoma q. 5. art. 5.

17 Tertio probatur ratione Caietani capite de genere q. 1. ad 1. nã definitio, & omnes partes eius debent prædicari essentialiter de definito: quia definitio est *oratio explicans quidditatem rei*: & sic Philosophus 1. Posteriorum cap. 4. dicit, quod definitio, & omnes partes eius prædicantur de definito in primo modo dicendi per se: sed definitio generis non prædicatur essentialiter de toto aggregato: quia secunda intentio, nature solum conuenit accidentaliter: ergo totum aggregatum non est æque primo definitum in hac definitione. Plura ad hanc rationem vrgendã, videri possunt in P. P. Carmel. disp. 5. q. 3. à n. 33. vsque 43.

18 Dico secundo, definitum essentialiter in definitione generis est secunda intentio in concreto significata, seu intentio, vt connotat natu-

ram; & non è contra, natura vt subiicitur intentioni. Hæc est cõmunis omnium Thomistarum, quorũ catalogum vide apud authores relectos, & apud Masium sec. 1. de genere q. 3. tenet etiam Scotus q. 14. in Porphyrium. Vnde fallitur sententiores, qui absque vilo fundamento dicunt, oppositam sententiam esse communem inter authores. ¶ Nostra sententia aperte sumitur ex D. Thoma 4. cap. de Ente essentia, vt ibi ponderat Caietanus.

Et primo probatur ratione prima precedentis conclusionis; quæ si bene attendatur, hanc conuincit: quia accidentia in recto significant formam, & consignant subiectum, seu illud connotant, vel secundo important, vt dicta q. 15. est ostensum: cum igitur significatum generis sit definitum, manifestum relinquatur, quod est secunda intentio in concreto.

19 Præterea probatur ratione Caietani, quæ habetur opusc. 56. apud D. Thom. quia definitio logica id directe respicit, quod directe est logicæ considerationis: hoc autem est ipsa intentio secunda in concreto, iuxta illud Auizena expositum q. 2. *Logica est de secundis intentionibus adiectis primis*, id est, vt fundatur in primis, & denominat eas: ergo secunda intentio in concreto est directum significatum, & essentialiter definitum generis.

Ad idem pertinet tertia ratio precedentis conclusionis, quæ paucis mutatis, facile ad hanc conuincendam potest aptari.

## §. III.

*Varie soluitur argumentum.*

20 **C**ONTRA hanc conclusionem est commune argumentum, quo soluto, reliqua facile diluuntur. Et formatur sic. Illud est definitum cui conuenit definitio: sed naturæ ut substât intentioni conuenit definitio generis: ergo natura ut substât intentioni est definitum. Minor probatur: illi conuenit definitio, cui conuenit *prædicari de pluribus differentibus specie*: quia hæc est generis definitio, de qua est questio: sed hoc conuenit naturæ, ut substât intentioni: ergo hæc est definitum. Probatur minor. Illi conuenit prædicabilitas, in quo exercetur prædicatio: nam id ipsum quod est prædicabile, prædicatur. sed natura prædicatur de pluribus specie differentibus, ut dicendo, *homo est animal, equus est animal*: ergo naturæ conuenit definitio & ita natura ut substât intentioni est definitum.

Respondet Caietanus, distinguendo maiorem, illud est definitum cui conuenit definitio *essentialiter*: concedo. Cui conuenit *accidentaliter*, & *denominatiue*, nego maiorem. Et eodem modo distinguenda est minor: nam prædicabilitas, cum sit secunda intentio, conuenit naturæ accidentaliter, & denominatiue, *generi autem conuenit per se, cum in eius definitione ponatur*, ut ait S. Thom. 4. cap. de Ente, & essentia in fine.

21 Sed contra hanc solutionem est: nam hæc est prædicatio essentia

lis, *homo est animal, leo est animal*: sed istæ sunt prædicationes naturæ genericæ: ergo naturæ conuenit essentialiter definitio.

Huic replicæ iam responderant Caietanus, & Sanchez lib. 3. q. 4. conc. 3. & Araujo lib. 1. Metap. q. 4. ar. 2. quod prædicari sumitur dupliciter; vno modo *fundamentaliter* pro inesse, seu identitate, aut conuenientia extremorû: quandoque vero prædicari sumitur *formaliter pro relatione*. Illæ igitur sunt prædicationes essentielles, sumptis prædicari fundamentaliter; essent autem accidentales, si prædicari sumeretur formaliter pro relatione. Quod est dicere: illæ prædicationes, in terminis primæ intentionis sunt essentielles; in terminis autem logicalibus secundæ intentionis, sunt accidentales, ut cû dicitur, *animal est genus*; est accidentalis; prædicatio: & cum definiatur quod quidditatiue, & essentialiter est genus; secunda intentio erit definitum essenziale.

22 Adhuc nõ videtur plene satisfacere hæc doctrina: quia per illam est expositum definitum formale *quod*. Restat tamen assignare definitum *quod*. Hoc tamen non est natura: tum, quia non est idem definitum *quod*, & *quod*: tum quia natura non est id quod prædicatur; etiã si sit ratio, & forma prædicabilitatis: ergo ipsa natura in recto est definitum *quod*. Vnde Porphyrius in hoc capite, & Philos. 1. Topicorû cap. 4. immediate post definitionem generis, ponentes exemplum definiti, subiungunt, ut *animal, &c.* natura ergo principaliter, & in recto definitur.

23 Propter hoc, M. Soto q. vnica de genere art. 1. concl. 2. ait, quod neque, gen<sup>9</sup>, nec eius definitio vllō modo accipiuntur, aut supponunt pro secunda intentione; quāuis ista sit formale, & principale definiti: quia cōcretum, quamuis significet formā, supponit pro subiecto: ergo genus, quāuis formaliter significet secundā intentionem, non supponit pro illa, sed denominatiue supponit pro natura. ¶ Vnde ad formam argumenti dicit esse distinguendam minorē: definitio non conuenit intentioni, id est, non explicat eius naturā; negatur minor: id est, definitio non prædicatur de secunda intentione; conceditur. Quod sequit̃s M. Fr. Ioanes à S. Th. q. 7. art. 2. conc. 3. ait, quod id quod reddit suppositū definito, est subiectū. Et ad primū, concedit, quod in definitionibus accidentium in concreto, non inuenitur definitū *vt quod essentialiter*; sed solum denominatiue, quia dantur per additamentū, & per aliquid extraneum, cui accidit forma. Idē dicunt PP. Carmel. n. 46. & cōmuniter recentiores Thomistæ.

24. Ceterū contra hanc solutionē replicari potest. Primo: nam vt dicitur opusc. 56. apud D. Thomam: *terminus idem prædicat, quod significat: ergo qualiter significat, taliter prædicat.* Et loquitur expresse de vniuersalibus, de quibus in toto illo opusculo disputat: ergo, si natura est id quod prædicatur, & reddit suppositum definito; ipsa debet esse principale significatum, & definitum *vt quod.*

Secundo obstat solutioni; quod ipsa secunda intentio, & genus in-

cōcreto possunt significari *vt quod*: quia sic possunt concipi: ergo nil vetat, quod id quod intellectus concipit, definitione exponat. Et sic iam habetur quod ipsa intentio sit definitum *quod*: vt cōtendunt Sanchez & Araujo vbi supra. Vel intentio erit definitum, *vt quod*, & natura *vt quod*: vt docent Mag. Cabero tractatu 3. disp. 2. dub. 1. & communiter Recentiores extra Scholam S. Thomæ.

25 Vt istæ, & aliæ difficultates cessent, est adhuc tertia via respondendi argumento, quam sequuntur Caietanus cap. 7. de ente, & essentia in fine, & lib. 1. Post. cap. 4. §. Circa primum, & insinuāt P. P. Carmel, nu. 44. & sequitur, & late exponit Ortiz tract. 3. Confer. 3. concl. 2. qui distinguunt in his concretis, & rem definitam, & significatā; & modum significandi, & definiendi. Attendendo rem significatā, definitur in recto secunda intentio, & conotatur natura; iuxta dicta à num. 18. & deinceps: considerando verò modum significandi: est e conuerso, nam importatur in recto natura, & in obliquo secunda intentio. Quod videtur plane colligi ex D. Th. 1. 2. q. 53. art. 2. ad 3. & lib. 7. Metap. lect. 4.

Et sic conciliari possunt varia Doctorum asserta: nam qui in recto docent deñiri intentionem; attēderunt ad rem significatam. Qui verò dixerunt naturā importari in recto, & intentionem in obliquo; vel *vt quod*; præcipue considerarunt modum significandi. Quam concordiam Mag. Soto insinuat, dum in fine primi articuli, ita scribit: *itaque*

vt in *summa* dicam, *definiri secundam intentionem, est definiri res in quantum substantiam secundam intentioni. Et haec est doctrina Scoti, & S. Thome 4. cap. de ente, & essentia: & quicumque aliud dixerit non est audiendus in Schola Aristotelis.*

26 Ratio: saepe assignauimus: quia modus definiendi sequitur modum concipiendi, & significandi: modus autem significandi accidentaliter in concreto est, quod subiectum importetur in recto, vt ostensum est q. 15. §. 2. ergo a creato modo significandi, natura definitur in recto. Deinde: quia definitio conuertitur cum definito: sed in definitione concreti accidentaliter prima pars definitionis est subiectum. ergo, ex parte definiti, haec importatur in recto ex modo significandi.

27 Iuxta hanc solutionem, argumentum cessat: quia omnes praemissae debent distingui: & concedi, attento modo significandi: & negari, si attendatur ad formam significatam. Et iuxta eam, aliae solutiones sunt faciles: quia definitum accidentale, & denominatum in significatione; est praecipue attentum in modo significandi. Et licet in concretis substantialibus non habeat locum haec distinctio; necessaria tamen est in concretis accidentalibus; quia definiuntur per aliquid extraneum: & in illis suppositio est pro vno, & significatio directa est pro alio. Et id quod reuera solum est *quod*, significatur ac si esset *quod*, vnde soluantur omnes replicae.

28 Vnum solum restat argumentum: quia vnus definitio, definitum debet vnum esse, & ideo

Phylosophus 7. Metaph. text. 13: negat complexa definiiri, quia non habent vnā essentiam vna definitione explicabilem. sed natura, quae subternitur intentioni, non habet vnitatem: ergo nec ex modo definiendi, nec denominatiue, accidentaliter, & vt *quod*, natura est definitum. Probatum minor: nam vt dicitur opusc. § 6. apud D. Thom. *natura, quae subijcitur intentioni, quando quae est substantia, quandoque accidens, secundum diuersitatem vniuersalium.* Imò quandoque est ens reale, quandoque ens rationis: sed omnibus istis, non potest dari aliquid commune vniuocum; sed solum aliquid analogice commune: ergo natura subtracta non est vna: ac per consequens, nec ex modo significandi potest importari in recto, & esse definitum denominationis, vel suppositionis.

Respondetur distinguendo minorem, natura non est vna, in esse entis, & quasi materialiter sumpta; concedo. Non est vna vnitatem subiecti capaci, & denominabilis ab intentione, nego minorem. Possunt autem naturae in esse entis solam analogam habentes conuenientiam, adunari: quia assimulantur in capacitate recipiendi intentionem. Et hanc capacitatem habent, eo ipso quod possunt concipi, quasi partes materiales metaphisicæ, determinabiles per differentiās es-

sentiales, constituentes

q. species diuersas

essentiali.

ter,

## QVÆSTIO XIX.

*Exponitur definitio generis.*

§. I.

*Conclusio responsiva?*

**S**ic conclusio, recte definitur genus: relati definitione Porphyrii. Quæ sumitur ex Philo-  
pho lib. Topicorum cap. 4. & lib. 4.  
cap. 1. & 2. & 5. Metaph. cap. 28. ac-  
ceptaturque à D. Thoma in 2. dist.  
34. q. 1. artic. 2. ad 1. & ab alijs Do-  
ctoribus. Et sic exponitur: nam illa  
particulâ, *quod* explicat naturam,  
seu subtractû generis, seu id quod  
denominatur à secunda intentione  
vniuersalis, & prædicabilis. *Ly, præ-  
dicatur*, est aliquid commune quin-  
que vniuersalibus, in quo differunt  
ab individuo. ¶ Declaratur autem  
distinctio generis à specie; quia illa  
prædicatur de pluribus differenti-  
bus solum numerice, & materialiter;  
at vero genus prædicatur de  
pluribus distinctis formaliter spe-  
cifice.

2 Illa particula *in quid*, exponi-  
tur opusc. 48. apud D. Thomam  
tractatu 1. cap. 2. in fine, his verbis:  
dicitur autem genus prædicari *in eo  
quod quid est*, id est, *substantiue*, secun-  
dum Grammaticos, vt, *animal*, quod  
de homine, & equo prædicatur, est  
substantiuum, & non adiectiuum:  
*sensibile* autem, quod de animali præ-  
dicatur, quamuis sit de essentia a-  
nimalis; non tamen dicitur prædi-  
cari *in quid*, sed *in quale*, & causa est;

quia est adiectiuum. Sciendum est  
autem, quod quia est, quæ *in quid* præ-  
dicantur sunt de essentia, seu de  
quidditate eorum, de quibus præ-  
dicantur; ideo prædicari *in quid*, non  
solum potest dicere modum signi-  
ficandi, vt dictum est; sed etiam di-  
cit quidditatem ipsius, de quo præ-  
dicatur. Hæc ibi iuxta quæ expo-  
sitionem genus dicitur prædicari *in  
quid*, duplici titulo, & propter mo-  
dum significandi substantiuum; &  
quia significat, id quod est de quid-  
ditate rei.

3 Vnde bene aduertit M. Scotus  
hic art. 2. quod prædicari *in quid* est  
prædicari dicendo quid est subiectû.  
Quod exprimitur in translatione  
Boetij dicendo, quod prædicatur *in  
eo quod quid*, id est, in ea ratione, quæ  
dicit quid est subiectum. Seu, vt ver-  
tit Argyropilus, *hec ipso quid est*, seu  
hac ipsa ratione, qua subiectum est.  
Et Philosophus 1. Poster. textu 9.  
dicit, quod ea prædicata *insunt per se  
quæ insunt eo ipso quid est subiecti. in.*  
Deinde, idem explicat, cum Philo-  
sopho locis relatis, Porphyrius in  
præsenti, ab effectu, docens, id præ-  
dicari *in quid*, per quod congrue  
respondetur ad quæstionem quid  
est subiectum? vt quærenti, *quid  
est homo*, respondetur, quod est  
*animal*; non autem, quod est *al-  
bus*.

4 Obijcies: nam iuxta hanc expo-  
sitionem sequitur, quod definitio con-  
ueniat alijs à definitio: quia conue-  
ni definitioni: definitio autem non  
est genus; sicut nec est vniuersale,  
nec quid incomplexum. Id autem  
sequi, probatur: nam definitio ani-  
malis

malis prædicatur de pluribus differentibus specie, vt patet. Et prædicatur *in eo quod quid*, quia sicut animal prædicatur *in eo quod quid*, quia per illud respondemus ad questionem *quid est?* à fortiori idem conueniet eius definitioni quia sicut recte respondemus, *est animal*; ita optime satisficit dicendo, *est viuens sensibile*.

Respondetur, cum Caietano in præfenti §. *Hic secundo*, quod prædicari *in quid* contingit dupliciter: vno modo *complete*, id est, ita quod prædicatum actualiter dicat totam quidditatem eius, de quo prædicatur. Et hoc modo non loquimur hic de prædicatione quidditatiua: sola enim definitio illo modo prædicatur *in quid*. Alio modo contingit prædicari *in quid* *in complete*, id est, ita quod prædicatum dicat quidem quidditatem eius, de quo prædicatur: & per modum substantiæ, non per modum qualitatis (vt de differentia q. 25. in fine dicitur) sed non explicet totam illius quidditatem: & isto modo genus dicitur prædicari *in quid* de speciebus; quoniam significat essentiam vniuscuiusque suæ speciei, per modum substantiæ; non tamen complete. Hastenus ille. Posset etiã dici, quod definitio excluditur, quia complexa; & ideo in capax intentionis vniuersalis; cum includat duos modos prædicandi simul: ac per consequens, manet exclusa per id quod ponitur loco generis: sicut excluduntur analogæ, & partes physice à perfecta ratione generis, sicut à ratione vniuersalis.

## §. II.

*An sit descriptiua?*

3 **C**irca præmissam definitionem, pro eius expositione inquitur primo; an sit essentialis; vel solum descriptiua?

Scotus q. 14. & 15. vniuersalium censet esse essentialem; quia arbitratur vniuersale, & prædicabile nõ differre. Quia tamen hoc iam est exclusum q. 17. §. 1.

Ideo communiter authores cõsent esse descriptiuã: quia descriptio appellatur ab ipso Porphyrio, & à Beato Alberto tract. 3. prædicabilium cap. 34. & ab autore opus. 48. apud D. Thom. tract. 1. cap. 2. Quod probatur; quia prædicabilitas est passio vniuersalis: ac proinde, est sicut, si definiretur homo per risibilitatem: quia id est notius quoad nos.

6 Sed obijcies: nam S. Thomas 4. cap. de ente, & essentia in fine ait, *quod prædicari conuenit generi per se, cum in eius definitione ponitur*: sed quæ ponuntur in definitione descriptiua, non conueniunt per se definito: Ergo sentit esse definitionem essentialem.

Dices, quod conuenit per se, non in primo modo sicut essentia; sed in secundo modo, sicut passio.

Sed contra: nam ibi subdit S. Thomas: *unde ratio prædicabilitatis potest claudi in ratione huius intentionis, quæ est genus*: propria autem passio non est de conceptu essentiali.

Respondetur, primo admittendo

recla-

relatam solutionem. Et ad replicam dicitur; quod etiam propria passio, praeicipue immediata, clauditur per se secundo in ratione, & definitione essentiae; quia per illam innoscit, & in illa continetur proprietas.

Dicitur secundo, quod ibi non curat Sanctus Thomas distinguere inter intentiones vniuersalis, & praedicabilis: quia ad intentum illius capituli para hoc intererat; & ideo solum loquitur de praedicabili radicaliter pro vniuersali: & sic illa definitio potest reduci ad essentialem, ut postea dicitur.

7 Sed obiter ad verte, quod M. Cabero trac. 3. disp. 2. dub. 2. ait, quod definitio generis est accidentalis respectu naturae genericae: quia illi accidit vniuersaliter; descriptiua respectu eiusdem ut affectae vniuersalitate, quia praedicabilitas est eius passio: est autem essentialis respectu eiusdem naturae affectae praedicabilitate: sicut haec definitio: *anim. a. spirit. ad vid. lam.*, respectu rationalis, est descriptiua; & respectu risibilis, quidditatiua, & essentialis.

8 Haec tamen doctrina videtur in aequiuoco laborare: quia, ut diximus lib. 2. Dialecticae cap. 3. omnis definitio, etiam descriptiua, & accidentalis, est *oratio naturam rei exponens*: sed solum sic dicitur, quando medium ad declarandam essentiam, est eius proprietas, vel aliquod accedens. Vnde retorqueo argumentum: nam illa definitio omnino est descriptiua hominis, & risibilitatem nullatenus definit; sed est expositio quid nominis illius proprietatis, qua describitur homo: ita in praesen-

ti. Ergo pariter loquendo de secunda intentione, praedicta definitio est descriptiua; & quia datur per propriam passionem, qua declaratur a posteriori essentia; & quia ponitur in illo aliquid extraneum, nempe subiectum cui accidit intentio: sed hoc commune est definitioni omni, quae datur per subiectum loco generis.

§. III.

*Quid ponatur in illa ut genus?*

9 **D**ico primo; si definitio sumatur ut iacet, in illa ponitur loco generis natura. Est communis. Et probatur, primo ex ipsa forma definitionis: quia in illa non exprimitur, aliud genus, quam id quod refert. *ly, quod*; nam id ponitur in fronte definitionis, illud autem refert subiectum intentionis: ergo natura ponitur loco generis. Secundo id colligitur ex dictis q. 18. §. 1. de modo definiendi accidentia in concreto, quod debet poni subiectum loco generis: si autem sumeretur in abstracto, vniuersalitas, vel praedicabilitas deberet poni, ut patet.

10 Dico secundo; etiam sumendo genus in concreto, loco de *ly quod* licet pro genere constituere, vel *vniuersale*, in definitione quasi quidditatiua, vel *praedicabile* in definitione descriptiua. Ita docent M. Soto in fine huius capituli. M. Sanchez lib. 3. q. 5. conc. 2. & M. Ioan. a S. Thoma q. 7. art. 1, §. *Si inquitur*. Et q. 5. art. 5. ad vltimum. Et sequitur ex dictis q. 18. §. 2. vnde Authores ibi relati nobiscum hic tenent: quia melius de-

fini-

finitur concretum per subiectum ut formatum formam genericam, quam per subiectum nudum. Et sic definitio generis reducitur ad quidditativam à M. Soto in hac forma. *Genus est uniuersale, quod est in pluribus differentibus specie, per uniformem rationem ad eorum quidditatem.*

## §. IIII.

*Vtrum genus predicetur ut pars?*

**T**ertium dubium circa definitionem generis oritur, qualiter genus predicetur, an ut totum an verò etiam ut pars? Non quidem physica; quia de ista certum est totum non predicari; cum totum sit maius sua parte; & ideo negatur, quod *homo est animal*, aut *homo est materia*: sed quaestio est de parte metaphysica, quae sola ratione differt, ab eo cuius est pars.

Multi contendunt, non posse ullo modo predicari ut partem. Ita M. Soto hic art. 2. M. Malsius sec. 2. q. 2. Rubio, & Suarez, quos citant, & sequuntur P. P. Carmel. disp. 5. q. 5. vbi, & n. 68. dicunt esse communem inter Doctores.

12 Per oppositum alij admittunt genus, non solum posse predicari ut totum in potentia continens genera, & species; sed etiam ut partem definitionis, vel compositionis metaphysicae. Ita Sanchez lib. 3. q. 9. Lerma lib. 4. q. 4. ad 5. Didacus à Iesu disp. 6. quaest. 5. Et tribuitur Scorro quaest. 16. Prædicabilium, & alijs antiquis, quos sequitur Mag.

Cabero tractatu 2. disp. 2. dub. 4. qui tamen addit, quod licet genus vere, & formaliter predicetur ut pars definitionis; hæc tamen predicatio non expectat ad aliquod ex prædicabilibus, quia non erit superioris de inferiori.

13 Ut respondeatur notandum; quod non est quaestio de ipsa secunda intentione: quia hæc non est quod predicatur essentialiter de speciebus; sed solum denominatiue ipsa natura dicitur genus. Quaestio ergo est de prædicatione ipsius naturae per nomina primæ intentionis, siue cum predicatur genus, quod est pars definitionis, de definito; siue cum natura predicatur de suis inferioribus.

14 Secundo notandum, ex opusculo 48. apud D. Thomam tract. 1. cap. 4. quod aut possumus loqui de illo quod genus importat, & significat explicite, & distincte: aut de illo, quod importat implicite, & inconfuso; aut de illo, quod importat ex parte rei significat: aut de illo, quod importat ex modo significandi. Quæ distinctio traditur à Cajetano hic, & 3. cap. de ente, & essentia 2. p. capituli. Et istis distinctionibus posse sententias conciliari notat M. Fr. Ioan. à S. Thoma q. 5. artic. 2. §. *Circa tertium*. Et q. 7. artic. 3. §. *Vnde soluitur*. Quibus suppositis.

15 Dico primo: si genus implicite, & ex modo significandi non significaretur ut totum, non posset de speciebus predicari: & ita predicatur de illis ut totum potentiale. Colligitur ex D. Thoma in 1. dist. 25. quaest.

quæst. 1. artic. 1. ad 2. dicente, *genus significat totum, vt non designat hunc; differentia vt designans: definitio vt designatum, sicut, & species.* Et 2. capite de ente, & essentia, inquit: *si animal non esset totum, quod est homo, sed pars eius, non predicaretur de eo, cum nulla pars integralis predicetur de suo toto.* Idem docet lib. 7. *Metaph. lect. 12.* & lib. 8. *lect. 2. littera E.* & lib. 10. *lect. 10. litt. A.* & probatur: nam prædicatio formalis exigit, quod prædicatum contineat subiectum, scilicet in confuso: alioquin non verificatur identitas, quæ importatur per copulam: & peculiariter prædicatio vniuersalis exigit, quod id, de quo dicitur prædicatum, sit sub illo, & ab illo contineatur: alioquin non erit prædicatio superioris de inferiori: ergo cum dico, *homo est animal*, *Ly animal*, dicit implicite totum, quod *Ly homo* explicite.

16 Sed huic veritati nõ acquiescunt recentiores: quia id quod per aliquam prædicationem attingitur expresse ex parte subiecti, non potest attingi confuse ex parte prædicati: sed in ea prædicatione attingitur expresse ex parte subiecti, id per quod homo differt à reliquis animalibus: nam in quantum homo ab eis differt: ergo non potest hoc idem attingi confuse ex parte prædicati. Maiorem dicunt esse certam: quia cognitio confusa alicuius formalitatis dicitur illa, quæ expresse repræsentat aliam identificatam realiter cum illa, non attingendo illam ex-

presse: atque adeò, si in prædicatione ex parte subiecti attingitur expresse, id per quod homo differt à reliquis, non potest hoc idem attingi confuse ex parte prædicati per eandem prædicationem.

Respondetur, quod illa maior (quæ ab ipsis appellatur certa) nobis videtur omnino falsa. Et in primis contrarium habetur opusculo 48. apud D. Thomam vbi supra: ibi. *Sciendum, quod impossibile est partem de toto predicari; sed quicquid de alio vere predicatur, oportet quod dicat totum.* Et infra. *Similiter etiam animal dicit totum quod dicit homo; non tamen explicite: dicit enim animal habens vitam, & sensum: vnde de suo principali significato solum dicit vitam, & sensum: sed in hoc, quod dicit, habens, implicite intelligitur homo.* Hæc ibi.

Idemque inductione constat: in omni prædicatione superioris de inferiori: quia superius implicite, & in confuso continet inferiora. Maioris etiam probatio nullius est momenti: quia illa descriptio cognitionis confusæ (quæ dicitur communiter recepta) nobis videtur ab ipsis conficta. Deinde, hic sunt duæ cognitiones, scilicet antecedenter, & partialiter, & non est cur, id quod explicite significatur vno termino, ab alio termino significetur confuse: & sic, quod exprimit subiectum, implicite importat prædicatum.

17. Dico secundo; attento significato explicito, & re, quæ prædicatur; genus dicit partem speciei: & vt sic de illa prædicatur: quia partes

tes metaphisicæ solum sunt partes secundum rationem, & specificatiue sumptæ possunt prædicari de toto. Ita sumitur ex Philosopho. 1. Posteriorū cap. 4. ubi asserit, quod partes definitionis prædicantur in primo modo dicendi per se de definito: partes autem sunt genus, & differentia: ergo genus per se prædicatur de specie, ut pars definitionis eius.

Præterea, partes metaphisicæ, potius dicuntur gradus, quam partes: eo quod proxime sumuntur à toto: & sic in definitione non ponantur in obliquo, sed in recto; non enim asserimus, quod *homo est ex animali, & rationali*; sed quod *est animal rationale*; & sunt vere de essentia totius: ergo de illo possunt prædicari.

18 Dices: hinc solum inferri posse prædicari partes istas in sensu materiali; quod nemo dubitat; non tamē quatenus partes sunt: quia sic non significant compositum, secundum omnes perfectiones, quas in se habet; sed cū præcisione facta inter illas: & ideo, pro ut sic, non possunt prædicari in recto de toto; sicut nec partes physicæ.

Responderetur, quod ut in strictiori euentu diximus q. 15. §. 3. præcisio, & distinctio non semper impedit formalitatem prædicationis; bene tamē cum explicite, & in actu signato importatur: ita in præsentifatemur, quod si ratio partis importaretur reduplicative, impediret formalem prædicationem; sed tamen eo ipso, quod est pars metaphisica, implicite dicit totum, & ideo nō reduplicat, nec ita præscindit ut im-

pediat prædicationē generis de sua specie; quam implicite dicit. Nec video, cur hæc non sit prædicatio primi prædicabilis, & vniuersalis; quia est superioris de inferiori, cū dico, *homo est animal*, & animal est pars definitionis hominis.

### §. V.

*Utrum genus prædicetur de differentibus numero.*

19 **Q**uarta difficultas circa illam particulam *de differentibus specie* oritur. Nam genus, etiam prædicatur de pluribus differentibus solo numero: ergo non est de ratione generis, quod prædicetur de pluribus differentibus specie. Probatur antecedens: nam hæc est vera, & formalis prædicatio: *Ioannes est animal, Petrus est animal*: Et in illis prædicatur genus de pluribus solo numero differentibus; ergo prædicatur de differentibus solo numero.

Dices: hanc prædicationem esse veram, & formalem prædicationem: sed non esse generis, ut genus est: sed quatenus est species, vel alia simili ratione. Ac proinde, semper manet, quod genus, ut genus, solum prædicatur de pluribus differentibus specie.

Contra: prædicatio generis est illa, in qua prædicatum affirmatur de suis inferioribus, tanquam pars materialis essentia illorum; sed natura generica prædicatur de indiuiduis, tanquam pars materialis essentia illorum: ergo prædicatur de illis prædicatione generis. Minor **pro**

probat; quia essentia indiuiduorum est species; cuius metaphysica pars materialis est genus: ergo prædicatur de illis tamquam pars materialis essentia illorum.

20 Iterum dices: prædicationes relatas esse veras, & formales: sed tamen nõ esse immediatas; quia animal non conuenit Petro, & Ioanni nisi homine mediante: & ideo non pertinere ad hoc prædicabile: cum prædicabilia solum debeant defini in ordine ad terminum immediatum.

Sed cõtra primo: nam istæ prædicationes, quæuis mediate, sunt vere, & formales, & superioris de inferiori: ergo pertinet ad aliquod prædicabile: sed nõ ad aliud, nisi ad istud, vt patet discurrendo per singula: ergo pertinent ad prædicabile generis, vt ratio facta ostendit.

Præterea: illæ prædicationes æquivalent istis; *hoc animal (designato Petro) est animal: hoc animal (designato Ioanne) est animal*: nam *ly, hoc*, facit supponere, & accipi pro illis indiuiduis designatis: sed istæ sunt immediatæ: ergo, & illæ. Probat minor: quia nõ datur aliquid quod sit superius hoc animali, & inferius animali vt sic: nam licet *homo* sit inferius animali vt sic; non tamen est superius hoc animali designato, & incomplete considerato, vt in istis prædicationibus importatur. Nec est maior ratio, cur sic incomplete, dicatur mediate, potius hæc species, quam alia: ergo omnes relatæ prædicationes sunt veræ, & formales, & immediatæ, generis de indiuiduis.

21 Huic difficultati posset primo responderi, concedendo antecedens; & negando consequentiã: quia genus debet quidem prædicari de pluribus differentibus specie; sed non restringit, sed permittit; imo positive habet, quod prædicetur etiã de pluribus differentibus numero. tum quia dicit Philosophus 5. Metaph. textu 12. quod *quæ specie differunt, differunt numero*: & etiam, quia cum genus prædicetur de speciebus, & species prædicatur essentialiter de indiuiduis; etiam genus prædicatur de indiuiduis. Nec sequitur definitionem esse malam: quia explicuit, id quod erat magis proprium generis, & in quo implicite exprimebatur prædicatio de indiuiduis. Et per hoc satis differt genus à specie: nam vt notant Mag. Soto q. de specie ad 2. conf. 2. & ad 4. & Caietanus 5. per cap. de specie, citans Auizenam 5. Metaph. cap. de diuerso, definitio speciei debet intelligi *cum præf. i. o. n. e.*; quia tantum prædicatur de pluribus solo numero differentibus: & genus, quamuis prædicatur de Petro, & Paulo solo numero differentibus; non tantum prædicatur de illis: sed de homine, & de equo, quæ non differunt solo numero. Idem notat M. Iauellus tractatu 4. Logica cap. 3.

22 Secundo posset responderi, distinguendo duplex indiuiduum secundum rationem: aliud specificum, nempe ipsa quidditas completa designata principio materiali indiuiduali, quæ significatur illis nominibus proprijs indiuiduorum, *Petrus, Ioannes, &c.* aliud

aliud indiuiduum est genericum; & dicitur *incomplete*, quia est designatione materiali solus rationis genericæ indiuiduum. De quo mentionem videtur fecisse S. Tho. 3. p. q. 78. art. 5. ad 1. & 2. cum igitur genus prædicatur de indiuiduis specificis, prædicatur *mediate*, vt notat Iauellus vbi supra; & potest prædicatio reduci ad genus, vt argumentum probat: non tamē de illo datur definitio: nā in illa solum terminus directus, & immediatus debuit exprimi, in quo mediatuſ cōtinetur.

23 Cum autē genus prædicatur de indiuiduis genericis, prædicatio quidē est immediata, vt probat argumentū: sed non est generis, nisi identice, & materialiter; & formaliter est prædicatio speciei de indiuiduo, vt docent Rubio cap. de specie q. 5. & plures quoscitant, & sequuntur Didacus à Iesu disp. 7. q. 1. & Cabero tract. 3. disp. 2. dub. 5. & ex Thomistis P. P. Carmel. disp. 6. q. 1. num. 12. & latius Lerma lib. 4. q. 6. ad 2. quia vt sic dicit totam essentiam talium indiuiduorum. Nec hoc est peculiare in genere: nam omnia prædicabilia habent propria indiuidua. respectu quorum denominantur species: vt *rationale*, est differentia Petri, & Ioannis; & est species huius & illius rationalis: & pariter *risibile* & *album*: nam respectu naturæ dicuntur proprium, & accidēs: & respectu huius, & illius risibilis, dicuntur species. Vnde genus respicit vt genus, speciem immediate, & indiuidua mediate: vt autem denominatur species, respicit indiuidua propria immediate:

vnde prædicationes non sunt formaliter æquivalentes.

24 Denique dici potest, cum M. Sanchez lib. 3. tota quæst. 16. & M. Araujo lib. 2. Metaphysicæ q. 4. art. 2. ad 4. & alijs Thomistis, quod etiam illæ prædicationes sunt mediatæ, *hoc animal est animal*, quia *ly hoc*, si designat indiuiduum, designat illo mediāte immediatius eius speciem, quam eius genus: quia in arbore prædicamentali, nihil descendit ad indiuiduū, nisi mediā specie. Illa ergo indiuidua generica, admittuntur solū p̄nes conceptus magis, & minus explicitos: vnde licet ex modo significandi videantur illæ propositiones immediate; ex parte obiecti, & ex fundamento distinctionis rationis ratiocinatæ; non sunt nisi mediatæ illæ propositiones: & omnes, secundario ad minus, pertinent ad genus.

## §. VI.

*Vltimo dubitatur, utrum in rebus corporalibus genus sumatur à materia?*

25 **R**espondetur, quod in corporalibus, genus sumitur à materia, differentia à forma; species autem à forma, & materia simul. Ita Philosophus, & S. Thomas 7. Met. tex. 33. & lib. 8. tex. 9. lect. 3. & lib. 3. Metaph. lect. 8 in fine, quod explanat S. Thomas: quia licet genus proxime sumatur à toto, radicaliter sumitur à materia: quia ab ea habetur potentialitas determinabilis: De quo S. Th. ca. 6. de Ente, & es-

sentia, & 1. p. q. 50. art. 2. ad 1, addit que q. de spiritualibus creat. art. 1. ad 24. quod per materiam non intelligitur sola materia prima; sed secundum quod per formam recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu esse specifici; sicut esse animalis est imperfectum, & materiale respectu hominis. Videantur omnino Ferrara lib. 2. contrag. cap. 95. & alij quos erudite referunt, & sequuntur P. P. Carmel. disp. 5. tota q. 6.

## QVÆSTIO XX.

*Quid sit species, ut subijcibilis, & ut predicabilis?*

### §. I.

*Quæ lam prænotantur.*

1 **N**Otandum, quod hæc vox *species* æquiuoca est, diuersas habens significationes, apud Grammaticos, & apud Iuriscōsultos, Philosophos, & Dialecticos. Grammatici *speciē* appellat *originem vnius vocis ab alia*; & sic distinguūt nomina primitiua, & deriuatiua *speciei*. Iuriscōsulti vocant *speciem facti*, actionem aliquam *in indiuiduo cum suis circumstantijs consideratam*. Philosophi similitudines, seu *imagines rerū* in potentijs cognoscitiuis existentes, *species* vocant. De quibus in libris de Anima.

2 His omisis, Porphyrius tantū meminit duplicis acceptionis *speciei*, Altera, qua accipitur pro *for-*

ma, à qua res dicitur *formosa*, & *speciōsa*: iuxta illud *ps. 44 speciosus forma*; & illud *Poete: formosum p. stor, &c.* Ex hac vulgari acceptione Dialectici, & Philosophi vocem transtulerunt, vt significaret, id quod est sub genere: nā sicut pulchritudo rei est per formam, per quā tollitur infortitas materiæ; ita cum genus dicat quid confusum, & potentiale, accepta differentia constituitur species. Vnde S. Boetius hic inquit: *sicut es accepta forma, transit in statum: ita genus accepta differentia transit in speciem, &c.*

3 Prætereā notandum, quod cum genus prædicetur de specie, vt superius de inferiori; & ex alia parte species sit vniuersalis continens sub se inferiora; ideo hoc habet peculiare species, quod duos includit respectus, nēpe, ad genus, sub quo est; & ad indiuidua, quæ sub se cōtinet: at vero genus, in quantum genus, nō dicit nisi vnicam habitudinem, nempe, ad species, quæ sunt inferiores; neque indiuiduum dicit, nisi vnā habitudinem, nempe, ad superiora, quibus subiicitur. Quomodo vero istæ habitudines differant? mox dicetur.

4 Animaduertit autem Porphyrius ca. de specie, tex. 4. quod in vno quoque predicamento sunt quædam genera summa, & suprema; quæ ita sunt genera, quod nullo modo sunt species; attentā coordinatione predicamentali sibi debita. Aliæ verò sunt species a thoma, seu infimæ, quæ ita sunt species, quod nullo modo sunt genera: vt in genere substantiæ, ipsa *substantia completa*:

ita est genus, quod non est species: & homo, ita est species infima, quod nullo modo est genus. Dantur autem quaedam inter media, quae eadem genera, speciesque dicuntur respectu diuersorum: nam sunt species superiorum; inferiorum verò genera. Vt corpus respectu substantiae est species, respectu uiuentis est genus. Similiter uiuens est genus animalis, quia dicitur uiuentia sensibilia, & insensibilia; est autem species corporis: animal, est species uiuentis, & genus respectu hominis, equi, & leonis, & aliorum irrationalium. Vt ista magis figantur memoriæ, solent ab authoribus in arbore quadam describi: res tamen est facilis, & ab alijs iam diligenter descripta; & ideo pertransendum censui.

5 Cum igitur aliqua species esset iam genus, dicitur *subalterna*: cuius nominis rationem assignat Magister Soto textu 5. quia subalternatim, & vicissim, modo sunt genera, modo species. Iam tamen usu receptum est, quod genus ultimum, quod immediate diuiditur in species arthomas, dicatur *genus infimum*; eo quod sub se non continet alia genera. Loquimur nunc de specie in quantum est species, & inquirimus primo.



## §. II.

*Vtrum per se aduentur in specie subijcibilitas, & predicabilitas?*

6 **S**atis recepta sententia tenet; esse relationes diuersas, & disparatas; & adunari solum ex parte subiecti, sicut album, & dulce possunt adunari. Ita ex Thomistis Magister cap. de specie sect. 1. q. 4. Sanchez lib. 3. q. 15. P. P. Carme. disp. 6. q. 3. Lerma lib. 4. q. 8. Ex alijs Merino, & Cabero, ambo disp. 2. dub. 2. Rubio de specie q. 2. & frequenter recentiores. ¶ Quorum fundamentum est: nam relationes, quae conueniant alicui naturae ex comparatione ad diuersos terminos disparate se habentes, se habent disparate; sed relationes praedictae sunt huiusmodi: ergo se habent disparate. Probat minor: nam subijcibilitas est per ordinem ad superiora; vniuersalitas, & predicabilitas per ordinem ad inferiora: isti autem termini disparate se habent: ergo, & relationes.

7 Deinde: ex eo quod intellectus comparat speciem ad genus, ipsa non manet aptior, aut magis disposita ut comparatur ad indiuidua, quam si nullo modo praecessisset prima comparatio: & idem contingit è contra: ergo vna istarum comparationum non dependet, nec deriuatur ex alia: ergo solum per accidens adunantur.

Tertio probatur: quia cum genus supremum prædicatur de indiuiduis generis, iuxta id quod diximus q. præcedenti num. 23. est formaliter exercitium, & ratio speciei vniuersalis, & prædicabilis; & non est species subijcibilis: cum non sit aliud genus superius supremo genere, cui subijciatur substantia. Et è contra, plures censent dari species subijcibiles, & non prædicabiles, de quo dicemus q. sequenti; ergo nullam connexionem, aut perfectam inter se dicunt subijcibilitas speciei, & vniuersalitas, aut prædicabilitas eius.

8 Nihilominus: dico primò: subijcibilitas, & vniuersalitas, & prædicabilitas, non sunt relationes disparate; sed per se adunantur, & conueniunt secundo prædicabili. In hac concordant Caretanus cap. de specie, 4. p. c. dub. 1. Foletus q. unica, ad 1. Araujo lib. 3. Metap. q. 4. art. 3. Ioan. à S. Thoma q. 8. art. 1. concl. 3. quamuis discrepent nõ parum in explicando, qualiter adunantur, de quo postea. ¶ Nunc conclusio probatur: id quod cõuenit alicui in quantum tale, per se conuenit, vt patet ex Philosopho 1. Poster. quia conuenit secundũ quod ipsum: sed subijcibilitas, & vniuersalitas conueniunt speciei in quantum tali: ergo per se illi conueniunt. Probatur minor: relatiuo, vt relatiuũ est, conuenit respicere suum correllatiuum; sicut filius respicit patrẽ; & pater filium, & dominus seruũ, & sic de alijs: sed species in quantum species est correllatiuum generis: ergo species, in quantum species, respicit ge-

nus, & ei subijcitur; & genus de ea prædicatur. Minor est Porphyrii capite de specie textũ 3. dicentis: *Sciendum est, quod cum, & genus alicuius sit genus, & species alicuius sit species alterum a'terius, vt vnumque vtriusque de definitionib' adhibere necesse est.* Vbi ideo se excusat, quod genus posuit in definitione speciei, & speciem in definitione generis, quia sunt correllatiua. Et ratione patet: quia generi debet assignari aliquod correllatiuũ, immediatum, directum, & per se, de quo prædicetur; eo modo quo in eius exigitur definitione: sed non est aliud nisi species: ergo species, vt species, est correllatiua generis: sed vt sic est subijcibilis: ergo species, in quantum species, est subijcibilis. ¶ Est autem per se notũ, quod species, in quantum species, est vniuersalis: quia vniuersale est genus ad quinque prædicabilia: & ita omnia illa sunt sub vniuersali sicut species sub genere, & componuntur ex genere, & differentia sua peculiari: sicut homo componitur ex animali, & rationali: ergo sicut hæc est per se, *homo est animal*; ita hæc est per se: *species est vniuersalis*: ergo, cũ species in quantum species subijciatur generi, vt ostensum est; iam per se adunantur in specie subijcibilitas, & vniuersalitas.

9 Deinde: species in quantum species dicit totam indiuiduorum quidditatem, vt docet S. Thomas locis relatis quat. 19. §. vltimo, & omnes admittunt: & species componitur ex genere, & differentia: sed neutrum per se conuenit speciei; nisi per se adunet subijci generi,

neri, & posse predicari de indiuiduis: ergo ambo respectus per se conueniunt speciei. Probatum minor quoad primam partem: quia tota quidditas, quae essentialiter dicitur de indiuiduis, & dicit esse naturam vniuersalem, quae fit in illis, de quibus praedicatur: & sic per se conuenit vniuersalitas, & praedicabilitas, quae conuenit in secundo modo dicendi per se: & quidditas essentialiter exigit partem materialem, vel quasi materialem, quae est genus: quod includit species, in quantum illi subiicitur, & de ea genus *in quid* praedicatur: ergo etiam per se in secundo praedicabili aduenatur subiicitur. Quo probata manet secunda pars minoris: quia partes metaphysicae compositionis, & definitionis, sunt genus, & differentia, quibus constituitur species sub genere, & supra indiuiduum: & utrumque est intraneum rei compositae ex genere, & differentia: ergo in specie per se aduenatur subiici generi, & esse praedicabilem de indiuiduis, in quibus est.

10 Dico secundo, relatio subiicitur, ut talis, non constituit formaliter speciem in ratione vniuersalis, aut praedicabilis. Ita Beatus Albertus hic tractatu 4. ex mente antiquorum, & communiter acceptatur, non solum ab authoribus relatis pro prima sententia: sed expresse docetur a Caietano, & ab alijs qui nostram primam conclusionem docent. Facileque probatur: nam vniuersale ut sic constituitur relatione superioris ad inferiora in qui-

bus est: ergo pariter dicendum de specie. Probatum consequentia: quia ab eodem termino, & principio distinguuntur species, ac genere: nam solum differunt panes magis, & minus determinatum. Et specialiter impossibile est, quod alicuius relationis genus, vel species dicant tendentiam ad aliquem terminum, & quod species illius, & indiuidua constituentur per relationem ad terminum disparatum, vel oppositum: sicut si relatio patris, est ad filium; relatio talis patris, formaliter non est ad auum, vel ad seruum; sed ad talem filium: ergo cum vniuersale ut sic, & omnia alia vniuersalia constituentur per respectum ad inferiora; etiam species in quantum talis vniuersalis debet inferiora respicere: ergo cum subiicitur fit relatio ad superiora; ut sic non est constitutiva vniuersalis.

11 Sed restat exponere, qualiter cum veritate huius conclusionis, componatur veritas primae? quod fiet exponendo qualiter istae intentiones aduenantur?

Caietanus, & Araujo dicunt, quod vniuersalitas, & praedicabilitas sunt proprietates speciei in quantum subiicitur: quia in quantum est sub genere immediate, habet quod contineat, & praedicari possit de pluribus solo numero, & materialiter differentibus. ¶ E contra Toletus subiicitur ponit esse passionem vniuersalis. ¶ Denique M. Ioan. a S. Thoma concl. 3. dicit, quod prior, & essentialior intentio est vniuersalitas in

tata, & coarctata, & subordinata alteri, seu minor illa: & ex ipsa quatenus sic limitata, oritur subijcibilitas immediata ad genus: unde diuisio speciei in prædicabilem, & subijcibilem, non est in diuersas res, sed in diuersos modos eiusdem.

## §. III.

*Qualiter distinguantur.*

12 **D**ico tamen tertio; in specie ratio subijcibilis non distinguitur, nisi inadæquate, & partialiter, à ratione prædicabilis: conceptus tamen subijcibilis est prior, & fundamentum vniuersalitatæ, & prædicabilitatis de pluribus numero differentibus. Explicatur conclusio, supponendo ex dictis num. 3. & 4. quod species in quantum species, mediat inter genus, & indiuidua: id autem quod est medium inter duo, non intelligitur complete, & adæquate constitui, nisi considerata habitudine ad vtrumque extremum: vt causa secunda, in quantum talis, & fundat habitudinem ad effectum, cuius est causa, & ad causam primam sub qua est, & respectu cuius dicitur secunda. Et in moralibus, Gubernator Ciuitatis, vel Prouinciæ, & est sub Rege, & sub se continet subditos: & licet termini videantur alioquin disparati, & ex se sufficientes ad constituendas relationes adæquate, & omnino distinctas; tamen ita adunantur in isto, quod inter vtrumque extremum mediat, quod se habet partialiter ad illud

constituendum; ita vt quolibet ablato non esset integre constitutum medium. Hæc igitur explicatio, sit prima conclusionis, quoad primam partem, probatio: nam species, in quantum species, mediat inter genus, & indiuidua; vt patet in coordinatione prædicamentali: ergo cõpletur adæquate, & habitudine ad genus, cui subijcitur, & ad indiuidua, in quibus est, & de quibus potest prædicari: quia est vniuersale, nõ supremum, sed medium; & ita est subditum alteri, & alia sibi subijciens; & vtrumque per se illi competit.

Præterea, species, in quantum species, componitur ex genere, & differentia, & est determinabilis per principia indiuiduantia: ergo non intelligitur complete constituta; nisi in illa intelligatur habitudine ad genus, cui subijcitur, & habitudine ad indiuidua, quæ cõstituuntur differentiis materialibus, quibus est determinabilis.

13 Tertio probatur: quia hæc videtur expressa sententia Porphyrij, cap. de specie textu 5. docetis, quod singula intermedia duos habent respectus; at verò genus supremum, & species infima, vnum tantum. *specialissimam, inquit, vnam habet habitudinem.* Quod falsum esset, si habitudine subijcibilis, & prædicabilis, essent adæquate distinctæ, & non adunarentur ad vnam constituendam speciem.

Solet responderi, quod prædicata intermedia, non solum habent diuersos respectus: sed etiam ex illis sumunt diuersas denominationes: quia dicuntur genera, & species:

at verò species infima non habet diuersos respectus, vnde sumat diuersas denominationes: quia species infima, tam respectu superiorum, quam respectu inferiorum denominatur species.

Hanc tamen euasione[m], appellauerat Caietanus, *ridiculosam solutionem dubitationis logicalis*: quia Logica de intentionibus tractat: quod verò isto, vel illo vocabulo appellentur, non multum curaret. ¶ Deinde: faciendo vim in vocali denominatione, discrimen non esset vndequaue verum: nam licet incommuni ambæ relationes conueniant in vocabulo *species*: tamen singula habent suam determinationem, qua distinguantur: quia vna dicitur, *species subijcibilis*, & alia, *species prædicabilis*, vel *vniversalis*.

14. Verisimilior est solutio Caietani dicentis, quod discrimen à Porphyrio intentum, est, quod in intermedijs relatio generis, & speciei adunantur vt inter se extraneæ, & disparatæ: quia ex hoc, quod aliquid sit genus, nõ oritur, quod sit species, nec è contra: nam generalissimum est genus, & nullo modo species; & infima, ita est species, quod nullo modo genus: at verò relatio subijcibilis, & prædicabilis; licet inter se discrepent; vna tamen oritur ex alia; eo quod prædicabilitas, & vniversalitas speciei est proprietas subijcibilitatis ad genus. Vnde cum Porphyrius negat diuersam esse habitudinem, loquitur de diuersitate extraneitatis.

Hanc tamen expositionem (quã uis suauem) verba textus non vi-

dentur admittere: nam iuxta translationem Boetij, quã ipse Caietanus utitur, ita inquit Porphyrius: *Specialissimum autem vnam habet habitudinem, eam quæ est ad superiora, quorum est species; eam verò, quæ est ad posteriora, non diuersam habet habitudinem, sed eandem, & indiuiduorum species dicitur: species quidem indiuiduorum, vel vt ea continens; species verò superiorum, velut ea, quæ ab illis continetur.* Vbi clare negat diuersitatem, quæ sufficit tollere identitatem: & ita non de sola illa, quæ facit extraneitatem, loquitur.

¶ Deinde, vltima verba nostrorum maxime fauent intento: quia adunationem istorum respectuum partialium probat: quia species, vt species, & continetur in genere, & continet indiuidua. Quæ est ipsa ratio à nobis formata. ¶ Demum; licet in genere supremo non possit per se adunari ratio speciei; tamen per accidens illi competere potest, iuxta dicta quæstione 19. numero 23. & in intermedijs, vt intermedia sunt, per se adunatur quod sint quorundam species; & aliorum genera: ergo discrimen Porphyrij esset nullum, si exponatur de diuersitate extraneitatis.

15. Sed obiicit Caietanus: nam vnum relatiuum semel tantum refertur: hoc est; vna relatio nõ est, diuersos respiciens terminos, diuersis vijs inter se non subordinatis: sed species diuersis vijs respicit genus, & indiuidua: quia genus respicit, vt sibi superius; indiuidua verò, vt sibi inferiora: ergo sunt duæ

duæ relationes omnino distinctæ, & diuersæ; quamuis inter se, vel cum vno tertio, sint adunatæ, vel connexæ.

Respondetur, quod si relatiuū referatur ad æquate, semel tantum refertur: sed si referatur inadæquate, vel non ex omni parte; potest bis referri; vt patri, & matri distinctis respectibus inadæquatis refertur filius: vnde ait S. Thomas 3. p. q. 35. artic. 5. ad 3. quod *ex parte prolis est vna relatio secundum rem; sed dupl. x secundam rationem*; nempe inadæquate: nam loquendo ad æquate, idem S. Thomas 1. p. q. 32. artic. 2. ait, quod *duæ relationes non sunt diuersæ secundum speciem, si ex opposito vnica relatio eis correspondeat, &c.* De quo dicitur libro secundo: cum ergo species respectu generis inadæquate referatur: quia potius, ideo subijcitur, vt possit de inferioribus prædicari; ideo non sunt censendæ duæ relationes ad æquate; sed duo respectus inadæquati integrantes vnã relationem speciei completam.

16 Instabis: quia ex eisdem fundamentis posset quis deducere, quod in speciebus subalternis relatio speciei, & relatio generis tantum distinguerentur inadæquate: quia intermediam, vt tale, constituitur ex habitudine ad species, & ad inferius: sed hoc est falsum: tum quia genus, & species sunt relationes specie distinctæ, & inadunabiles formaliter: tum quia discrimen Porphyrij esset nullum; cum de inferioribus, & de supremo genere dicat, quod *vnã habent habitudinem*: de inter medijs verò ait: *Quare hæc qui-*

*dem duos habent respectus, vnũ ad ea, quæ antecedunt, quo species, alterum ad sequentia, quo genera illorum esse dicuntur.*

Respondetur, negando id sequi: quia genus, & species habent fundamenta essentialiter, & adæquate diuersa; cum genus dicat partem quasi potentialem, & species totam quidditatem; & ideo intentiones fundatæ, sunt omnino diuersæ: & vna sæpe est sine alia. Imò in rigore loquendo, quæ sunt genera, nõ sunt species; nisi secundum quid, & quasi quoddammodo. Vnde Porphyrius cap. de Specie textu 3. ait, quod *tantummodo species infimæ species est.* At verò subijci generi, est quasi pars fundamentalis, & materialis speciei, vt possit esse in pluribus, & de illis prædicari; & ideo istæ sunt intentiones inadæquate distinctæ; illæ verò constituunt species totales.

17 Iterum instabis: nam iste intentiones sicut actibus intellectus: sed distincto actu cognoscimus speciem subijci generi; ac specie esse in indiuiduis, & de illis prædicari: ergo sunt distinctæ intentiones.

Respondetur, nos non negare esse intentiones distinctas; si cut distinguuntur intentio subiecti, & prædicati in enunciatione; sed asserimus, quod sicut illæ intentiones adunantur partialiter ad constituendã vnã enunciationem; ita, vt complete constituantur secundum prædicabile exiguntur duæ relationes subijcibilitatis, & vniuersalitaris, quæ intrant vt partes huius artefacti logici; quod est species. Vnde diuisio

species in subijcibilem, & prædicabilem est quasi diuisio totius in partes integrales, sicut syllogismus diuiditur in tres propositiones, ex quibus integratur: & inter se omnino distinguuntur: licet à toto solum differant vt. includens ab incluso.

§. IV.

*Subijcibilitas est prior.*

18 **R** Estat vt probemus secundam partem conclusionis, nempe, quod in specie prius sit subijcibilitas, quam vniuersalitas: id autem ostenditur, primò: nam in specie prius est includere genus, quam esse in indiuiduis: sed habet in se genus, in quantum illi subijcitur; & habet rationem vniuersalis, in quantum potest esse in indiuiduis: ergo prior est in specie subijcibilitas, quam vniuersalitas. ¶ Secundò; quia species intrinsece constituitur ex genere, cui subijcitur: differentias verò indiuiduales respicit quasi extrinsecas, vt illis limitetur, & determinetur: sed prior est: comparatio ad intima, & intrinseca, quam ad extrinseca, vt per se notum est: ergo in specie est prior relatio subijcibilis; quæ est quasi pars materialis, & subtractum relationis prædicabilis: ex quibus integratur, vel quasi integratur species: quia non est nouum, quod in entibus artificialibus, vna forma sit quasi subtractum, & materia al-

terius, iuxta dicta questione 18. num. 14.

19 Dices: totum hoc ita esse; loquendo de physica constitutione naturæ; vel de ordine primarum intentionum subijcibilis, & vniuersalis metaphysici: loquendo autem logice, vt nunc loquimur, videtur esse opposito modo, & quod vniuersalitas sit prior, & essentialior: quia est constitutiua talis vniuersalis specie distincti à reliquis: ratio autem differentialis, & quæ speciem constituit, semper est prima, & præcedit alia prædicata.

Facile tamen hoc reijcitur, primò: quia istæ secundæ intentiones non habent esse ad libitum confictæ, & ordinatæ; sed fundari in primis: ergo, & ordinari debent iuxta ordinem primarum intentionum, in quibus fundantur; & ex quibus originatur secundarum intentionum distinctio. ¶ Secundò, tollitur æquiuocatio solutionis, aduertendo, quod differentia, & forma sunt quidem primæ respectu proprietatum, & accidentium; sed tamen supponunt genus, & materiam: ita vniuersalitas talis, est ratio prior in specie, quam prædicabilitas, & alia accidentia rationis: non tamen est prior, quam eius quasi proximum subtractum, quæ est subijcibilitas ad genus, ex qua oritur capacitas ad talem vniuersalitatem: & ita ex subijcibilitate, & tali vniuersalitate coalescit species.

20 Ex quibus cessant argumen-

ra sententiæ primæ relata numero 6. & 7. Ad primum negatur vtraque minor: quia tale superius compositum ex genere, per se exigit illi subijci, vt illud habeat, & ad indiuidua deferat. ¶ Et sic ad secundum negatur antecedens. Imò sine subijcibilitate virtuali est incapacitas vniuersalitatibus istius prædicabilis. Quamuis aliquando intellectus possit ordinem inuertere: imò cogitare de vna partiali intentione, non cogitando de alia. Quod non tollit, quod ordo per se, & connaturalis sit ille, qui iam est expositus.

21 Ad tertium dicitur, quod in illa sententia, est exercitium speciei quoad conceptum explicitum; est tamen implicite subijcibilitas ad genus, vel ad aliquod commune, quod cogitatur ad instar generis: nam si id quod prædicatur de indiuiduis, nec explicite, nec implicite est compositum ex genere, & differentia; non erit prædicatio speciei.

22 Ad id quod vltimo additur de speciebus Angelicis, quæstioni sequenti satisfiet. Nunc dicitur, quod adhuc si illæ non sint prædicabiles; vera est doctrina nunc stabilita: quia stante immediata subijcibilitate ad genus, est impossibilitas termini relationis vniuersalis, propter impossibilitatem diuisionis pure materialis; & ita repugnante relatione partiali, constituyente speciem in esse vniuersalis, est sola relatio

constituens speciem in esse subijcibilis: quia prius non dependet à posteriori.

## §. V.

*Definitiones speciei exponuntur.*

23 **I**am facile est definitiones speciei, à Porphyrio adductas, exponere. Speciem subijcibilem diffinit illis verbis: *Species est id, quod subijcitur generi, & de quo genus hoc ipso quid est prædicatur.* In quibus verbis omnes supponunt definiiri speciem subijcibilem. Arbitrantur tamen Auicenna, Soto, & Toletus esse vnam solam definitionem. At verò Boetius, Albertus, Caietanus; & communiter authores, quos referunt, & sequuntur Patres Carmelitani disputatione 6, quæstione 1. numero 7. docent, duas integras contineri definitiones; quarum vna est essentialis, quia explicat proprium munus speciei, in quantum est correlatiua generis: alia verò est descriptiua; quæ vltimis verbis explicatur: nam in illis fit mentio de prædicabilitate, quæ est eius proprietas. Estque secunda expositio ad mentem Porphyrij, qui de prædictis mentionem faciens, in plurali numero ea refert dicens: *Cætera verò definitiones: sentit ergo esse duas definitiones.* ¶ Hæc communis sententia, propter hanc

authoritatem; & rationem insinuatam, mihi placet. Addo tamen, quod si Porphyrius diceret: *Species est id quod subijcitur generi; & in qua genus quidditatiue includitur*; esset tantum vna completa quidditatiua diffinitio speciei, explicans duos eius respectus partiales; nam ex subiectione ad genus, habet illud intime imbibe-  
 bere.

24. Contra hanc definitionem est commune argumentum; nam conuenit alijs à definito; siquidem indiuiduum verè ponitur sub genere; & de ipso verè prædicatur genus in eo quod quid.

Respondent Louanienses, quos sequitur M. Ioannes à S. Thoma quæst. 8. artic. 2. ad 1. quod in omnibus istis diffinitionibus debet subintelligi proprium earum genus, quod est *vniuersale*: & ita sensus diffinitionis est, quod species est vniuersale, quod sub genere collocatur. Neque hoc est addere aliquam particulam extraneam definitioni, sed necessario præsuppositam; cum vniuersale sit genus ad prædicabilia. Vnde excluduntur indiuidua, quia non ponuntur sub genere immediate, vt vniuersalia.

25. Contra hanc solutionem, obstat primo, communis instantia de indiuiduis genericis; quæ ponuntur directè immediate sub genere: vt, *hoc animal*, continetur sub animali absque aliqua media specie; quia non est maior ratio, quod vna species mediet, quam alia; & tamen indiuiduum generi-

cum non est species; ergo diffinitio conuenit alijs à definito.

Obstat secundo replica, qua ad deferendam hanc solutionem conuincitur Lerma lib. 4. quæstione 6. numero 5. nam quamuis aliquid materialiter conueniens diffinito possit collocari in aliqua definitione; non possunt tamen, ea quæ separantur à definito formaliter, per illud solum ab eius definitione excludi, quod materialiter in illa collocatur, vel subintelligitur: vt, quæ distinguuntur formaliter ab albedine, non excluduntur formaliter à definitione albi, per rationem corporis, quæ materialiter ingreditur: cum ergo indiuidua generica formaliter ratione speciei distinguantur; non poterunt per aliquid solum materialiter in definitione speciei subintellectum, à prædicta definitione formaliter separari.

26. Respondetur, primò admittendo solutionem datam; ad primam replicam de indiuiduis genericis, reponimus quæstione 19. quod ibi ex modo significandi prædicantur, vt species. vnde non mirum quod illis conueniat definitio speciei. ¶ Sequendo autem solutionem datam ibi numero 14. facile respondetur, quod illæ propositiones non sunt immediatæ simpliciter, & obiectiue; vt erat necessarium ad rationem speciei; sed tantum sunt immediatæ secundum quid, & quoad explicationem, & modum significandi nostrum.

Ad secundam replicam responderetur, quod aliqua ita distant à definito, quod neque in genere proximo cum illo conueniunt; & ita excluduntur à definitione per id quod in illa est genus, vel habet vicem generis: cum ergo indiuiduum nō conueniat cum specie, neque in genere proximo, quod est vniuersale; non mirum, quod excludatur ab eius definitione, per id quod habet vicem generis.

27 Secundo responderetur ad argumentum distinguendo antecedens, indiuiduum ponitur sub genere positione directa, quæ tota oritur à genere; nego antecedens; quæ proueniat aliunde, & quasi ab extrinseco; concedo antecedens. Solutio est B. Alberti Magni tractatu 3. in Porphyrium, quem sequitur, & refert Caietanus dicens, quod quando dicitur species est, quæ ponitur sub genere, *ly sub*, nō denotat tantum ordinem positionis, & participationis, sed etiam de notat principium totius positionis esse genus: aliter enim indiuiduum & aliter species ponitur sub genere: principium positionis speciei sub genere, est ipsum genus: quoniam id quod addit species supra genus, differentia, scilicet, quæ constituit, & ponit speciem sub genere, ex ipso genere oritur: differentie enim sunt velut quædam proprietates eius; vnde, & qualitates eius dicuntur: principium autem positionis indiuidui sub genere, non est ipsa generis essentia; sed materia subiecta accidentibus est: ad quam Plato descendere prohibe-

bat. Negandum est ergo, quod indiuiduum generis ponatur sub genere, eo modo quo species; & intelligenda est definitio de positione directa, quæ tota à genere oritur. Hæc ibi

28 Speciem prædicabilem sic definit Porphyrius: *species est id quod de pluribus differentibus numero, hoc ipso quid est prædicatur.* Quæ definitio, vt ipse Porphyrius aduertit, conuenit tantum speciei specialissimæ, seu infimæ, quæ tantummodo species est: nam species quæ sunt genera, non dicuntur simpliciter species; sed species subalternæ. Reliqua, quæ notanda essent circa hanc definitionem, facile patent ex dictis in definitione generis.

29 Sed obijcies: nam Deus prædicatur *in quid* de pluribus differentibus numero, nempe, de Patre, Filio, & Spiritu Sancto: & tamen Deus non est species; cum Deus sit singularissimus: ergo definitio conuenit alijs à definito.

Responderetur primo, ex D. Thoma. 1. p. quæst. 30. artic. 1. ad 3. & in 1. dist. 24. quæst. 1. artic. 2. quod essentia diuina non prædicatur de pluribus differentibus numero; quia non diuiditur in personis, nec in eis multiplicatur; quia in Deo non est pluralitas naturarum, sed personarum, & relationum tantum.

Secundo addit Magist. Soto hic ad primam confirmationem secundi argumenti, quod in definitione speciei prædicabilis, sub intelligitur genus definiti, scilicet, *vniuersale, quod prædicatur*; essentia

autem diuina non est vniuersalis, quia non plurificatur, sed eadem singularissima est in omnibus. Videatur quæ diximus lib. 1. Dialecticæ cap. 5. quæst. 2.

30 Secundo obijcies; quia anima rationalis prædicatur in quid de pluribus differentibus numero; & tamen non est species; cum sub genere directe non ponatur; ergo definitio est mala.

Respondetur, quod anima non prædicatur, vt natura completa: vnde non est vniuersalis simpliciter, sed solum secundum quid; quia in definitione, non est sermo de quibuscumque differentibus numero, sed numero naturæ completæ: & sic excluduntur formæ, punctus, & motus, & similia entia incompleta.

## QVÆSTIO XXI.

*¶* **N**trum omnis species subijcibilis sit etiam prædicabilis?

§. I.

*Status questionis.*

**N**otandum primo, quod naturæ denominabiles ab intentione speciei, sunt in triplici differentia: quædam non solum sunt communes multis secundum rationem, sed secundum rem; sicut natura humana, quæ de facto reperitur in pluribus hominibus; quædam de facto sunt tantum in vno indiuiduo; non tamen repugnat, quod sint in pluribus indiuiduis, arreato principio speciei, sed solum

ab extrinseco, & ex incorruptibilitate formæ, vel propter aliud huiusmodi; hoc modo natura Solis est in vno indiuiduo; sed tamen non repugnat, quod sit in pluribus. Aliæ naturæ sunt, quæ non solum non habent plura indiuidua; sed repugnat, quod sint plura intra eandem speciem; sicut repugnat quod dentur duo Angeli solo numero distincti; quia carent materia, quæ est indiuiduationis principium, & radix distinctionis pure numericæ.

De duobus primis fecit mentionem S. Thomas 1. p. quæst. 13. artic. 9. aduertens, quod *natura humana est communis multis secundum rem, & rationem; natura autem Solis non est communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum; potest enim natura Solis intelligi, vt in pluribus suppositis existens.* De vltimis naturis fecit mentionem S. Thomas 1. p. quæst. 50. art. 4. dicens, *esse impossibile esse duos Angelos vnius speciei.* Quæ est etiam sententia Philosophi 12. Metaph. & Commentatoris ibidem dicentium, quod *id quod est vnum specie, & plura numero, habet materiam; quam non habent Angeli, cum sint spirituales, & incorporei.*

Quæstio non procedit de vniuersali secundum rem; nec de vniuersali secundum rationem, quando plura indiuidua non repugnant; quia istis nihil deficere ad rationem vniuersalis, iam ostendimus quæst. 13. §. 8. quæstio ergo est de sola natura Angelica in sententia S. Thomæ, iam relata.

2 Secundo est notandum, quod  
ad

ad Logicos non attinet disputare de possibilitate, vel impossibilitate multiplicationis pure numerica in Angelis; quia hoc pertinet ad Metaphysicos, vel Theologos: quare intempeste quidam Recentiores in præsentem in hoc puncto immorantur: Logici ergo solum est, supposita Theologorum sententia, inquirere qualiter naturæ sic immultiplicabili, cui absque dubio tribuitur intellectio subijcibilis, possit conuenire, vel attribui intentio speciei prædicabilis?

3 Obiter tamen aduerte, quod sententia S. Thomæ dupliciter, adhuc à suis discipulis, intelligitur: nam multi cum exponunt de potentia absolute: ita ut contradictionem implicet naturam esse spirituales, & in plura solo numero differentia distingui: & hæc est communior intelligentia Thomistarum: ut videri potest in PP. Carmelitanis 1. p. q. 50. artic. 4. & Magist. Ioanne à S. Thoma ibidem. Alij vero ipsum exponunt de impossibilitate naturali, & stante hoc ordine rerum, ita Ferrara 2. contragentes cap. 93. & Mag. Bañez dicto art. 4. dubio 1. Sonçinas lib. 12. Metaph. quæst. 51. Iauellus ibidem quæst. 24. dicentes hoc docere S. Thomam in opasc. 16. de vnitatem intellectus.

De his opinionibus iudicium ferre, nunc nostra non interest: sed notare, quod licet in vtraque procedat dubium: quia impossibilitas de lege ordinaria, quæ oritur ex carentia principij diuisionis pure materialis sufficit, ut

simpliciter dicatur impossibile naturas illas solo numero multiplicari: cæterum quia plus est difficultatis, supposito quod hæc multiplicitas implicet, etiam de potentia Dei absoluta: ideo, ex suppositione huius opinionis, deinceps procedet quæstio.

4 Deinde aduerte, quod Theologi, & Metaphysici prædicti, adhuc subdiuiduntur in explicando modo indiuiduationis: nam quidam ponunt idem indiuisibile principium constituere naturam Angelicam immediate sub genere, & facere speciem, & idem principium facere indiuiduum. Alij ponunt indiuiduari per quandam proprietatem, vel formaliter, vel modaliter, à natura specifica distinctam, sed cum illa adæquatam. De vtroque dicendi modo mentionem faciunt M. Bañez ubi supra ad primam confirmationem, & Zumel ibidem quæst. 1. concl. 4. licet ipsi magis inclinent in primum dicendi modum, qui videtur receptus inter Thomistas: quæ probat Sonçinas 12. Metaphys. quæst. 49. hoc argumento: eo est formaliter natura Angelica incommunicabilis, & singularis, quo est formaliter immaterialis, & incorporea: sed se ipsa est immaterialis, & incorporea, quia esse incorporeum, & immateriale conuenit ei in primo modo dicendi per se: ego est se ipsa incommunicabilis, & singularis, & hoc indicat S. Thom. 1. p. q. 3. art. 9. dicens, quod *iste forma indiuiduatur et per se ipsas, seu per irreceptibilitatem in materia.*

5 Demum nota, Angelicas naturas denominari vniuersales; vel posse prouenire ab intellectu cognoscente illas quidditative, & adaequate vt sunt in se: vel ab intellectu cognoscente Angelos connotative, & admodum rerum materialium, & corporalium, & per conceptus in adaequatos, quorum vno attingatur natura, & alio cognoscatur singularitas.

6 Arbitror certum, & communiter admissum a discipulis S. Thomae, vt testatur Sanchez lib. 3. q. 18. conclus. 4. & Mag. Araujo lib. 3. Metaph. quaest. 4. artic. 4. conclus. 3. & passim alij (quid quid dicat Mag. Lerma lib. 4. quaest. 10. conclus. 2.) quod si Angeli cognoscantur quidditative, non potest eis attribui intentio praedicabilis logici; adhuc in sententia, quod singularitas prouenit in eis a principio formaliter, vel modaliter distincto a natura; quia illud principium est cum natura adaequatum, & reuera sine indifferentia ad plura: ergo, qui cognoscit hoc vt in re est, non potest vere dicere, nisi quod natura singularis, est, quae immediate subijcitur generi: & sicut ex parte rei non potest in pluribus esse; ita nec, qui cognoscit eam, vt est in re, potest eam logice de pluribus praedicare.

Manet ergo quaestionem esse de natura Angelica, prout ab hominibus in via connotative ad corpora, & inadaequate cognoscitur: quia vt ait S. Thomas dicto artic. 9. si forma subsistentes intelligerentur secundum quod sunt in se ipsis, non possunt

se communicari, neque re, neque ratione.

7 In quaestione sic exposita; quamuis duae tantum soleant referri opiniones; tamen quaestione ipsa, & authoribus diligenter consideratis: tres sententias inuenio: quarum vltima veritati, & doctrinae S. Thomae videtur conformior; & ideo tenenda omnino.

Prior sententia extrema negat talem naturam villo modo posse denominari vniuersalem, aut communem, etiam secundum rationem: ita Suarez disput. 5. Metaph. sect. 2. numero. 22. Rubio capite de Specie quaest. 4. Mag. Cabero ibidem disput. 3. M. Didacus a Iesu disp. 7. q. 5. qui, & testantur esse communem inter Recentiores. ¶ Per aliud extremum alij absolute affirmant, quod natura Gabrielis inadaequate concepta est communis secundum rationem, & praedicabilis de pluribus, quantum est ex modo essendi in intellectu: ita plurimi Thomistae, quos referunt, & sequuntur M. Sanchez, & Mag. Araujo vbi supra. PP. Carmelitani disp. 6. quaest. 4. Magist. Ioannes a S. Thoma, quaest. 8. art. 3. Mag. Lerma vbi supra, & extra Scholam S. Thomae docent eam Lobanienses in praesenti, & Cantarus 2. p. cap. de Specie dub. 2.

Ambas istas sententias problematicae defendit Mag. Ortiz tract. 3. conferentia 4. vbi, & §. 5. restatur priorem sententiam placuisse pluribus Recentioribus Thomistis, & ipse in eam valde inclinat.

Nostra sententia media graditur via; & sequentibus assertionibus exponetur.

## §. II.

*Natura Angelica communis, & vniuersalis negative.*

8. **D**ico primo: natura Angelica inadæquate concepta est communis secundum rationem, & nominabilis nomine communi: & potest dici vniuersalis *negative, & minus proprie*. Hæc conclusio videtur expressa D. Thomæ. 1. p. q. 13. art. 9. vbi, quoad hoc, eodem modo loquitur de Deo, de Angelis, ac de natura Solis, & docet, quod *si formæ subsistentes intelligerentur secundum quod in se sunt, non possent communicari, neque re, neque ratione: si vero intelligantur ad modum rerum compositarum, habentium formas in materia, sunt communes, non re, sed ratione: qua doctrina S. Thomæ innixi diximus lib. 1. Dialecticæ capit. 5. quæst. 2. quod Deus potest à nobis nominari nomine communi: ergo à fortiori id non est denegandam naturæ Angelicæ inadæquate conceptæ; & cum ex alia parte Angeli ponantur in prædicamento, & sint species subijcibiles, nil restat ex mente D. Thomæ, vt Angeli denominentur vniuersales negative, & in adæquate.*

Sed, respondent Recentiores, quod S. Thomas, non loquitur de proprio significato huius nominis, *Deus*; sed de significato metaphoricò, & per quandam similitudinem,

vt *Dij* dicantur, qui participant aliquid diuinum per similitudinem; secundum illud: *ego dixi Dij estis*: sicut aliquis dicitur metaphoricè Achilles, in quantum habet aliquid de proprietatibus Achillis, scilicet, fortitudinem. Quo exemplo id explicat S. Thomas ibi; sed per se notum est, quod nomen proprium Achilles, nullo modo est vniuersale propter illam metaphoram: ergo, etiam si per errorem fingantur multi *Dij*, & etiam Angelos apprehendamus ad modum corporum, non sequitur, quod villo modo possint denominari communes, seu vniuersales.

9. Isti tamen, qui hoc argumento vtuntur, non videntur S. Thomam legisse: nam ibi S. Thomas distinguit duo genera nominum; quorum quædam sunt imposita ad significandum singulare; & ista sunt incommunicabilia, & re, & ratione; & solum communicabilia metaphoricè; aut secundum opinionem, vel errorem: & ad hoc explicandum vtitur S. Thomas illo exemplo Achillis: ac per consequens, extra rem adducitur ad intentum huius quæstionis. Alia sunt nomina significantia ipsas naturas: & sic hoc nomen, *Deus*, non est nomen proprium suppositi, sed naturæ, vt ibi aduertit S. Thomas solutione ad 2. & sic ex modo essendi in intellectu, est communis multis: quod à fortiori procedit de natura Angelicæ; & ideo ex mente S. Thomæ, Angelicæ naturæ sunt communes secundum rationem, & modo dicto, vniuersales.

Expressius idem docuit S. Thomas q. unica de spiritualibus creaturis artic. 8. ad 4. ubi ait. sicut hac albedo, non prohibetur habere sub se multa individua, ex hoc quod est albedo; sed ex hoc quod est in hoc, quod pertinet ad rationem individui: ita natura huius Angeli, non prohibetur esse in multis, ex hoc quod est natura in tali ordine rerum; quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc, quod non est nata recipi in aliquo; quod pertinet ad rationem individui. Vbi S. Thomas fere expressè videtur in Angelis admittere non repugnantiam ad plura, ex parte alicuius principij in adæquate concepti: quæ est vniuersalitas negatiua; quam nos in conclusione docemus.

Et hoc, & non amplius, intendit Caietanus cap. de Specie, quarta parte capituli, dub. 3. in fine, ubi expressè ait: quod est aptitudo hac negative exponenda; & ideo ipse Caietanus cap. 5. de Ente, & essentia q. 9. ad 2. concedit, quod ipsa quidditas Diuina hoc modo communis, & vniuersalis secundum rationem est; quod non concederet, si loqueretur de vniuersali positivè, & strictè: cum Deus non sit vniuersalis proprie, & in rigore; vt dictum est ex D. Thoma 1. p. quaest. 30. art. 4. ad 3. videatur in 1. dist. 19. q. 4. art. 2. ad 2. & dist. 12. art. 3. & q. 7. de potentia art. 3. ad 1.

10 Rationem radicalem tetigit S. Thomas prædicto artic. 9. ita dicens: intellectus intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singulari; vnde esse in vno supposito singulari, vel in pluribus;

est præter intellectum naturæ speciei. Vnde seruata intellectu naturæ speciei potest intelligi, vt in pluribus existens. Hæc ibi.

Ex quo sic arguitur: omnis conceptus naturæ speciei, vt natura specifica, & non vt individua & singularis, est conceptus vniuersalis aliquo modo: sed quando intelligimus Angelos ad modum rerum corporalium, relucet in illo conceptu natura, vt natura, & non vt hæc: ergo relucet natura, vt vniuersalis. Maior patet: quia ille conceptus, quantum ad explicitum, præscindit à principio indiuiduationis: ergo non est natura, vt singularis: ergo est vniuersalis, saltem negativè: quia inter hæc non datur medium. Prima vero minor probatur; quia in rebus corporalibus naturam specificam esse in vno, vel in pluribus suppositis, est aliqui quod accidit speciei: ergo possumus concipere in Angelis ea quæ pertinent ad conceptum specificum, non cogitando de conceptu differentiarum indiuidualium.

Deinde vrgentius probatur; nam abstractio negatiua naturæ ab indiuiduatione, est per meram omissionem principij indiuiduantis; vnde eodem prorsus modo fit, si præcedat consideratio vnus solius indiuidui, ac si antecedit consideratio plurium: ergo nil obstat, quod intellectus consideret naturam Angelicam, & abstrahat ab vno solo indiuiduo; ad hoc quod denominet eam communem; sed potius denominat eodem

dem prorsus modo, ac si abstraheret à pluribus.

11 Dices obstare, quod intellectus tunc non cogitat de natura corporali præcisse; nec de aliquo communi corporali, & spiritali; quia sic attribueret intentionem generis, de qua modo, non loquimur: cogitat igitur intellectus specificè de natura omnino spiritali; ac proinde, agnoscit impedimentum, vt illam cognoscat, vt vniuersalem; quia spirituale est impartibile differentiis materialibus: at vero vniuersale speciei concipitur, vt diuisibile materialiter in plura solo numero differentia.

Putant aliqui, hanc obiectionem facile euadi dicendo, in Angelis principium individuationis modaliter distingui, vel formaliter, à principio speciei, & ideo non mirum, quod possit perfecte præscindi à principio individuationis.

Non possumus in hoc vim facere; duplici de causa: prima, quia illa sententia est minus consona D. Thomæ; & fere à nullo Thomista defenditur; & ideo non potest esse vnicum Thomistarum assylum. Secundo; quia, adhuc in illa sententia, individuatione adæquatur omnino cum specie, tanta adæquatione; quanta hac numero suppositalitas, & existentia; adæquatur cum hac numero natura, à quibus differt saltem modaliter; & tamen concipitur huius naturæ singularis, vt singularis est, non est, etiam secundum

rationem; communis pluribus suppositis; ergo, nec conceptus naturæ spiritalis specificus, potest esse communis, huic, & pluribus suppositis.

12 Quare aliter respondetur; argumentum probare, quod intelligendo naturam spiritualem, vt est in re, non possumus ei attribuire communitatem, etiam secundum rationem. Probat item argumentum, quod, etiam conceptu inadæquato, non potest natura spiritalis referri ad plura relatione positiua, vt de illis prædicetur; & sic admittimus, quod non est vniuersalis positiue, & adæquate, vt conclusionem sequenti dicitur; cum quo tamen stat, quod sit vniuersalis negatiue; quia illa natura, vt sic, eo ipso quod abstrahat ab vno, abstrahit ab omnibus; & ita habet aptitudinem negatiuam.

13 Ex quo deduces, Magist. Cabero prædicto dub. 3. numero 4. & 5. & quosdam Neothericos; falso imponere Caietano; quod ipse docuerit, naturam Angelicam esse vniuersalem: quia potest noster intellectus plura singularia naturæ Gabrielis fingere; & naturam illam realem, ad hæc singularia ficta referre.

Hæc tamen fictio nusquam asseritur à Caietano: imo *fruitless* esse; notauit M. Ioannes à S. Thoma: quia referre plura ficta, est non respicere plura, in quibus potest esse, & de quibus potest prædicari; de pluribus enim

fictus, non nisi fide prædicatur: fide autem prædicari est non prædicari vere, nec vere concipi ut prædicabilem.

Præterquamquod, sicut homo pictus, vel fictus, non nisi æquivoce est homo; ita Angelus fictus, æquivoce est Angelus; & ita natura Angelica, quæ prædicatur de individuo existente, & prædicaretur de illo individuo confecto, non prædicaretur de pluribus solo numero differentibus, sed differentibus plusquam specie; & ita non obtineretur intentum, quod illa natura esset species prædicabilis.

14 Alterum principale conclusionis fundamentum est; quia intellectus noster formas eminentes, & æquivalentes pluribus, valet pluribus conceptibus cognoscere, & in illis plures formalitates distinguere, imo, & præscindere, sed natura Angelica, est ita eminentis, quod una existens facit unam speciem, & individui; ergo potest considerari, ut species, & non ut individuum. Maior patet: quia in anima nostra rationali consideramus plures gradus, quorum unum ab alio præscindimus. Et in ipsis naturis Angelicis, distinguimus genus, & differentiam; nam in quantum illa natura sumitur indeterminate; accipitur in eis ratio generis; in quantum vero consideratur determinate, accipitur ratio differentia, ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 50. artic. 2. ad 1. & 5. capit. de Ente, & essentia, Et habetur opusc. 42. cap. 5. Minor vero probatur: nam natura Angelica vere est sub genere, ut species subijcibilis; & vere est

etiam singularis; ergo in illa possumus considerare constitutum speciei, & constitutum individui: sed ex primo capite, non explicatur singularitas: ergo est uniuersalitas, saltem negative, ut nunc intendimus.

### §. III.

*Non est uniuersalis logice, & positive.*

15 **D**ico tamen secundo; natura Angelica, etiam in adæquate concepta, non est uniuersalis, etiam secundum rationem, & logice, positive, & stricte loquendo. Hæc conclusio colligitur ex D. Thoma 1. Periherm. lect. 10. ubi ait: *singulare est, quod non est aptum naturæ de pluribus prædicari, sed de una solo.* Et infra, *Aliomodo secundum quod nomen significat formam, que non est nata in materiam recipi, unde oportet, quod per se nominetur una, & singularis: sicut albedo; si esset forma non existens in materia, esset una sola: unde esset singularis.* Et propter hoc dixit Philosoph. 7. Metaph. 7. *quod si essent species rerum separate, sicut posuit Plato, essent individua.* Constat autem ex ipso D. Thoma sæpissime, quod Angeli sunt formæ subsistentes irreceptibiles in materia, ut patet 1. p. quæst. 50. per totam: ergo ex mente D. Thomæ, non denominantur uniuersales positive, & simpliciter.

Deinde, testimonia allata pro præcedenti conclusione, huic non opponuntur: quia ibi tantum loquitur de communitate negativa sufficien-

ciente ad terminum communem; siquidem loquitur de natura diuina; quam mille locis negat esse vniuersalem. Qua propter, non desunt, etiam ex antiquioribus Thomistis, qui hanc conclusionem teneant, vt Herbeus in 1. dist. 3. q. 2. ad 1. quem refert, & sequitur Iauellus 12. Metaph. q. 24. solut. ad 4. & Soncinas 12. Metaph. q. 51. solut. ad 1.

16 Ratione què probatur: vbi est impossibilis terminus relationis, est impossibilis ipsa relatio; & quando talis impossibilitas cognoscitur, non potest, nisi per errorem, talis ratio fingi, aut naturæ attribui; sed in casu disputationis, est impossibilis terminus relationis posituè prædicabilis: ergo est impossibile vere formare talem relationem, & naturæ eam attribuere.

Dices, hoc esse impossibile, impossibilitate physica, & reali; non tamen impossibilitate logica, & inesse obiectiuo: vnde, licet non possit denominari vniuersalis secundum rem; bene tamen vniuersalis secundum rationem; non quidem si cognoscatur adæquate; sed cum cognoscitur inadæquate, & connotatiue.

Sed contra, nam loquimur in casu, in quo non solum de lege ordinaria, & physice, sed de potentia absoluta, & repugnantia metaphysica, & logica, implicet contradictionem hanc naturam specificam diuidi in plura numero: ergo non tantum est repugnantia physica, sed logica. ¶ Secundò: nam loquimur de intellectu cognos-

cente hanc impossibilitatem, & assensum præbente sententiæ S. Thomæ; (in ista enim hypotesi procedit questio) ergo, nec logice potest intellectus iste hanc positiuam relationem formare.

17 Dices iterum cum M. Ioan. à S. Thoma solut. ad 1. distinguendam minorem; est impossibilis terminus, ex vi naturæ, & indifferentia eius; nego minorem: ex modo indiuiduationis, & incommunicabilitatis ipsius formæ: concedo minorem, & consequentiam; quia hæc repugnantia est, quasi ab extrinseco; & non ab intrinseco, & ex natura, vt hæc, non verò a natura *sub conceptu nature*.

Sed contra: nam natura, etiam specificè considerata, cogitatur vt spiritualis: sed spiritualis est incapax multiplicabilitatis pure materialis: ergo, adhuc specificè sumpta, habet intrinsecam repugnantiam, vt fit in pluribus. Maior probatur: quia illa natura cogitatur, non solum vt distincta ab omni natura corporea; sed etiam, vt specie distincta ab alijs Angelis: quod esse non posset, nisi in predicatis intrinsecis explicet spiritualitatem.

Præterea: habere incapacitatem ex principio indiuiduali, vt indiuiduale est, ad plurificationem numericam, non est peculiare in Angelis, sed commune omni indiuiduo: vnde optime asserit S. Thomas 1. parte quæstione 13. articulo 9. quod singulare, ex hoc ipso quod est singulare, est diuisum ab omnibus alijs: vnde

omne nomen impositum ad significandum alicquod singulare, est incommunicabile re. & ratione; non enim potest in apprehensione cadere pluralitas huius individui. Hec ibi. Sed loquimur de naturis in quibus est specialis repugnantia ad plurificationem pure materialem; ergo non loquimur de repugnantia, quae provenit ab individuo, ut individuum est; sed de illa, quae provenit à spiritualitate, ut in tali specie est.

18 Secundum principale conclusionis fundamentum est; nam ad prædicabile logicum positivè, & formaliter, non sufficit abstractio negativa naturæ ab vno individuo; sed exigitur, quod concipiatur in natura positivè capacitas ad existendum in pluribus: sed implicat, in casu disputationis, intelligere positivè naturam capacem, vel indifferentem ad plura: ergo implicat denominare illam positivè univèrsalem. Maior patet, ex dictis quæstione 14. §. 4. de formatione univèrsalis logici; quod fit actu comparativo, supponente positivè indifferentiam naturæ ad essendum in pluribus, ut possit prædicari de illis. Minor verò probatur: quia illa natura, vel est essentialiter singularis; vel ad minus petit adæquari cum vno singulari: quia est forma irreceptibilis in materia.

Dices, quod ad univèrsale logicum positivè, sufficit attingere vnum individuum positivè, & plura non repugnanter: nam attingere

plura non repugnanter, est ita attingere plures, seu ita se habere, ut si plures darentur, illos attingeret. Vnde, ut ait M. Ioan. à S. Thoma solut. ad ultimum, relatio illa naturæ specificæ, taliter respicit vnum individuum positivè, quod de se posset plura attingere, si darentur, quantum est ex vi illius conceptus.

19 Hæc solutio, loquendo de aptitudine negativa, de qua loquuti sumus cum Caietano, optima est pro præcedenti conclusione: loquendo tamen de relatione positivè, ut modo loquimur; sustineri nequit; quia relatio naturæ ad proprium individuum, est ut ad terminum sibi æqualem, & adæquatum, & nullam potentialitatem relinquentem in specie: ergo non relinquit positivè indifferentiam ad alia; non solum ex parte individuationis, sed etiam ex parte ipsius naturæ: sicut naturæ, quæ existit à parte rei, non solum ex parte suppositi repugnat pluralitas; sed etiam ex parte ipsius naturæ, reduplicativè, in quantum respicit positivè hanc numero suppositalitatem, & individuationem, ut terminum hic, & nunc sibi adæquatum.

20 Ultimo probatur ab inconuenienti: quia si ex eo, quod natura Angelica concipitur ad modum rerum corporalium, sequitur quod ei attribuamus intentionem prædicabilis logici, sequitur naturæ diuinæ attribui posse intentionem

entionem vniuersalis posititue; sed hoc est falsum: ergo natura Angelica non potest denominari posititue prædicabilis de pluribus suppositis: maior patet; quia, vt docet S. Thomas 1. parte quæstione 13. artic. 1. ad 2. quia ex creaturis in Dei cognitionem venimus, & ex ipsis eum nominamus, nomina, quæ Deo attribuimus, hoc modo significant secundum quod competit creaturis materialibus, quarum cognitio est nobis connaturalis: ergo, quoad hoc, par ratio est de conceptu naturæ diuinæ, ac de conceptu naturæ Angelicæ. Falsitas verò sequelæ patet, ex D. Thoma quæstione 7. de Potentia artic. 3. ad 1. & 1. parte quæstione 30. artic. 4. ad 3. & sæpissime alibi, vbi negat quod in diuinis sit vniuersale, vel particulare, vel genus, vel species. Et deinde: quia Deus essentialiter est singularis, & maxime vnus, vt probat S. Thomas 1. parte quæst. 11. artic. 4. quæ vera esse non possent, si natura diuina posset denominari vniuersalis.

21 Respondent Sanchez solutione ad 3. & PP. Carmelitani solutione ad vltimum, negando maiorem; quia cum Deus sit actus purus, non admittit compositionem metaphysicam generis, & differentie; quæ tamen vere reperitur in Angelis, vt iam diximus ex D. Thoma: tum etiam: quia sola natura diuina est essentialissime singularis; ac proinde, illi soli repugnat fieri vniuersalem, aut prædicabilem.

Sed contra primo: nam in opinione, quod implicat contradictionem Angelos plurificari solum numero intra eandem speciem; factis consequenter affirmaretur naturam Angelicam esse essentialiter singularem; quod valde probabile iudicat Caiet. 1. par. quæst. 13. artic. 9. Sed nunc procedimus in hypotesi illius opinionis: ergo hac via non euaditur nostra ratio.

Præterea: licet Angelo non repugnet omnis potentialitas; repugnat tamen potentialitas naturæ respectu indiuidui, vt iam est ostensum: ergo differentia assignata inter naturam Angelicam, & diuinam, est per accidens ad intentum. ¶ Quod amplius explicatur; nam licet compositio metaphysica conducat ad assignandum discrimen inter naturam Angelicam, & diuinam, comparando istam naturam ad gradus superiores; non tamen deseruit ad assignandum discrimen inter vtramque naturam, comparando illas ad gradum indiuidualem: nam ambæ sunt formæ irreceptibiles in materia; & de ambabus inquit S. Thomas, quod *indiuuantur per se ipsas*: ergo, vel affirmandum est, naturam diuinam dici vniuersalem, posititue, & logice; vel id negandum est naturæ Angelicæ.

22 Aliter respondet Lema prædicta quæstione 10. solutione ad 4. concedendo maiorem, & negando minorem, quia non est inconueniens, quod naturæ diuinæ inadæquate conceptæ intellectus tribuat

## §. IV.

*Argumenta soluantur.*

intentionem communitatis, imo, & aliqualis vniuersalitatatis; vt ei tribuit Caietanus quaest. 9. de Ente, & essentia ad 2. quamuis naturae diuinae non possit tribui propriissima intentionis vniuersalitatatis, quae in quinque praedicabilia diuiditur; sed solum intentio communitatis, & vniuersalitatatis late sumptae.

Ista tamen responsione, videtur iste Auctor ex parte deserere sententiam, quam defendendam suscepit, & nostrum intentum confirmare: quia vniuersalitas late sumpta, est idem, ac vniuersalitas negatiua in Angelis; & in Deo ratio termini communis: quod nos non negamus, sed fatemur: vnde S. Tho. in 1. distinctione 23. q. 1. art. 1. ad 2. dicit, quod non est inconueniens in diuinis ponere totum, & partem secundum operationem intellectus; sicut etiam in propositione, quae de Deo formatur, subiectum est pars totius enuntiationis. Quamuis, proprie loquendo, in Deo non sit concedenda vniuersalitas, etiam negatiua: quia Deus non est species subiecta alicui generi: ergo, si ipse Lerma fatetur, quoad hoc nullum esse discrimen inter naturam Angelicam, & diuinam; tantum debuit in Angelis ponere vniuersalitatem negatiuam; & in Deo rationem termini communis, vt nos ponimus; & non absolute tri-

buere Angelis intentionem positiuam  
speciei praedicabilis.

\*\*\*

23 **S**ed in contrarium arguitur primò: quia natura Angelica ponitur in praedicamento; & non ponitur immediate sub genere: ergo immediate ponitur sub aliqua specie aethera. Sed species aethera, sub qua continetur indiuiduum, est superior respectu illius: alioquin, cum de illo praedicaretur, esset praedicatio aequalis de aequali; vel quasi identica, vt cum indiuiduum praedicatur de se ipso: ergo, &c.

Respondetur, in primis retorquendo argumentum; nam natura Angelica secundum se, & vt cognoscitur ab ipsis Angelis, ponitur in praedicamento: siquidem ipsi vident suam compositionem metaphysicam ex genere, & differentia; & coordinationem graduum superiorum, & inferiorum: & tamen Auctores, contra quos disputamus, fateantur, secundum se, speciem Angelicam subiectioni, non esse praedicabilem, nisi de vno tantum: ergo, quod ipsi responderint de natura adaequate concepta, nos respondebimus de illa cognita inadaequate, & connotatiue. ¶ Respondetur ergo, cum Didaco à Iesu, praedicta quaestione 5. ad vltimum; negando minorem; ad probationem respondetur, illam praedicationem esse aequalis de aequali; quia est praedicatio naturae de differentia in-

indiuiduali sibi adequata; ratione cuius equalitatis, similis est prædicationi differentie vltimæ de sua specie; sed quia prædicatur in q. ad tanquam totum actuale, & completum, potest ad secundum prædicabile, sultem reductiue, pertinere. Præcipue cum vniuersalitas negatiua, & subijcibilitas speciei, sint conceptus partiales huius prædicabilis.

24 Secundò arguitur, ad intentionem speciei vniuersalis, sufficit habere plura per non repugnantiam in esse obiectiuo, vel plura sub conditione; sed in casu, de quo disputamus, esset non repugnantia ad plura, ex modo essendi nature in intellectu, vel ad plura sub conditione si essent: ergo esset vniuersalitas logica positiua. Probat minor, dupliciter: primò, qua repugnantia ad plura non conuenit nature Angelicæ ex omni capite: sed in isto casu natura concipitur inadæquate: ergo concipitur vt non repugnans logice, & in esse obiectiuo. Secundò probatur minor: nam si per possibile, vel impossibile, plura indiuidua nature Gabrielis reahiter ponerentur; eodem modo natura ab omnibus illis abstracta, ad omnia illa se haberet, & ad omnia illa posset comparari; quia abstracta ab vno, vniformiter se habet ad omnia: ergo in casu præsentis concipitur natura vt prædicabilis de pluribus sub conditione.

Respondetur isto, & similibus argumentis probari nostram primam conclusionem, quod natura, sic inadæquate concepta, est indif-

ferens negatiue; & sic vniuersalis inadæquate: qui non ex omni capite est explicita repugnantia; quia tamen repugnantia est implicita, & orta ex prædicatis essentialibus Angeli, nempe ex eius spiritualitate; cum intellectus vult exercere positiuam comparationem, in casu disputationis, tantum inuenit fundamentum ad prædicationem æqualis de æquali; in casu autem quo plura indiuidua intra eandem speciem non repugnarent, inueniret fundamentum ad prædicationem superioris de inferiori; vnde admittimus, quod quâdo natura Solis, vel natura Phœnicis prædicantur de suo indiuiduo, est prædicatio vniuersalis: quia non est repugnantia ab intrinseco, vt sint plura indiuidua intra eandem speciem.

25 Vltimo arguitur: nam definitio debet conuenire omni contento sub definito: sed definitio speciei tradita à Porphyrio exigit, quod prædicetur de pluribus differentiibus numero: ergo, cum nature Angelicæ sint species generis substantiæ; illis conueniet de pluribus numero differentiibus prædicari.

Respondetur primò, cum Hæbeo, & Iauello vbi supra, quod definitio Porphyrij non datur de specie absolute, vt se extendit ad separata, & insensibilia; sed solum vt est in rebus corporalibus nobis notis, in quibus reperitur principium materiale, quo possunt multiplicari indiuidua stante vnitæte specifica.

Secundò facilius respondetur,

quod definitio Porphyrij relata in argumento, est solum de specie predicabilis: naturae autem Angelicae non sunt species predicabiles, sed solum subijcibiles; & ideo non mirum, quod non conueniat eis definitio speciei predicabilis.

## QVÆSTIO XXII.

*Vtrum genus possit conseruari in  
unica specie, & species in  
unico indiuiduo?*

**Q**Uoniam in hac parte sententiarum diuersitas, imò totius quæstionis confusio, maiori ex parte nascitur, ex eo quod non eodem modo Authores voces usurpant; ideo legitimum significatarum prius est præmittendum.

### §. I.

*Tria præmittuntur.*

**P**RO quo notandum primo; quod ut supra sæpe diximus, ex D. Thomæ, præcipue 1. p. quæst. 85. artic. 3. ad 1. & 4. genus, & species, sicut, & quodlibet vniuersale, dupliciter possunt accipi; videlicet, pro intentione vniuersalis, vel predicabilis; secundò possunt considerari, quantum ad ipsam naturam, quæ inuenitur in particularibus. Quæstio præsens directe non procedit de secundis intentionibus; quia ex dictis certum est, quod quodlibet vniuersale requirit, vt terminum adæquatum, plu-

ra inferiora; non quidem actu existentia; sed possibilis. Et in hoc nullum esse discrimen inter genus, & speciem, bene probat Kubio capit. de Specie quæstione 3. aduersus Toletum, quem ibi refert asseruisse, genus requirere plures species actu existentes. Quod ipse impugnat argumento (vt ipse ait) *euidenti*; quia diuersæ species florum, non minus distinguuntur specie in hyeme, quando actu non existunt; quam dum actu sunt; bene ergo potest differentia constituere speciem, & distinguere eam ab alijs, etiam actu non existentibus, sed solum possibilibus.

2. Præterea notandum, quod in ipsa natura, quæ est à parte rei, duo sunt, nempe, ipsa quidditas, & essentia, quæ exprimitur istis vocibus, *animal*, *rationalis*, *homo*, & ipsa existentia, quæ communicatur per actionem agentis, & exprimitur per *ly*, *est*, de secundo adiacente, vt dicendo, *animal est*, *Petrus est*, *homo est*. In ipsa autem quidditate duo adhuc possunt considerari: primum est, ipsa essentia generis, vel speciei, prout sunt quædam tota, diffinitione essentiali exprimibilia: secundò considerantur quoad suam potentialitatem, prout continent sua inferiora. ¶ Et ideo conseruit distingui, quod totum est duplex, nempe, *essentiale*, *actuale*, *diffinibile*; & totum vniuersale potestariuum; ita distinguunt Caietanus, & Soto capit. de Specie in fine, & capit. de Differentia in expositione tertia diffinitionis: quorum lo-

loquendi modum imittantur communiter Thomistæ: & communiter authores, quamvis in vocabulis differant; nam Rubio prædicti quæstione 3. in princ. & Patres Carmelitani disput. 5. quæst. 2. genus, & speciem, ut sunt totum actuale, vocant *uniuersale physice* sumptum; at verò, ut sunt totum potentiale, appellant *uniuersale metaphysice*. Quæ vocabula placent, si vsus daret illis proprietatem; video tamen hanc significationem, non esse consuetam, & vsitatam: quin potius Didacus à Iesu disput. 7. quæstione 4. in principio, supponit, quod genus, & species metaphysice, sunt eæ ratione, qua dicuntur tota actualia abstracta per intellectum à singularitate; at verò, ut sunt tota potentialia, in confuso continentia inferiora, de quibus prædicantur, esse genus, & speciem logice. ¶ Igitur ad æquiocationem vitandam, & ne quæstio mere reddatur de voce, à prædictis vocabulis abstinemus; & solum, erit nostra quæstio, de genere, & specie, quoad quidditatem, quoad existentiam, & quoad potentialitatem.

3 Tertiò præmittendum est, quod potentialitas generis, formaliter sumpta, est ab intellectu: quia ut docet S. Thomas capit. 3. de Ente, & essentia; essentia generis, & essentia speciei, differunt solum secundum signatum, & non signatum: & compositio metaphysica ex genere, & differentia, non est realis, sed ratio-

nis. Quare hanc doctrinam, ut *certissimam*, & inter authores communem, tenent Sanchez lib. 3. quæstione 11. ante 9. conclusionem, plures referens. Et ratio est insinuatæ; quia genus, eatenus dicitur totum potentiale, quatenus in potentia continet differentias, ut patet ex Philosopho 4. Topicorum capit. 2. & 7. Metaphysicorum capit. 12. & 2. Poster. capit. 8. & ex D. Thoma ibidem lectione 13. & opusculo 42. capit. 9. & 10. Sed hæc potentialitas proxime, solum exercetur prout intellectus accipit rationem quandam, quasi materialem, & potentialem, & determinabilem per differentias; ergo, quamvis materialiter sit quid reale, formaliter tamen sumpta est opus rationis. ¶ At verò potentialitas speciei; licet quoad uniuersalitatem, & prædicabilitatem sit opus rationis; proxime tamen fundatur in diuersitate reali materiali: quod notauit Sanctus Thomas 3. capit. de Ente, & essentia in principio dicens: *Designatio individui respectu speciei, est per materiam determinatam dimensionibus* ( modo explicando in libris de Generatione: ) *designatio autem speciei respectu generis est per differentiam constitutam, quæ ex forma rei sequitur*. Vnde genus per differentias in species diuiditur, iuxta Porphyrium capite de Differentia; at verò species potius dicitur, *multiplicari, quam diuidi*, ut ait Auicena, & ex ipso Magister Soto quæstione de Genere

ad 1. confirmat, 2. argumenti; quia quidditas specifica, ad multiplicationem individuorum, ratione huius, vel illius materiae, numero multiplicatur. ¶ Quo supposito.

## §. II.

*Duae conclusiones.*

**4** Dico primò; tam genus, quam species, ut sunt totum actuale, possunt conseruari in vnica specie, & species in vnico individuo. Ita S. Thomas 1. p. quaest. 77. artic. 1. ad 1. dicens: *Totum vniuersale adest cuiuslibet parti secundum suam essentiam, & virtutem; ut animal, homini, & equo, & ideo proprie de singulis partibus praedicatur.* Idem docet 3. p. quaest. 90. artic. 3. & Quodlib. 10. artic. 5. & 5. Metaphysic. lect. 21. & forte hoc solum intendit Scotus quaestione 12. Vniuersalium, & alij, qui absolute docent, quod genus potest conseruari in vnica specie, & species in vnico individuo. ¶ Et ratio est facilis; quia si vna tantum esset possibilis species, istae praedicationes essent aeternae veritatis, *homo est animal, Petrus est homo; animal est viuens sensibile; & sic de alijs; & genera, & species quidditatiue sumpta, haberent suas definitiones; quae verificarentur de illa vnica specie, & de illo vnico individuo: ergo, loquendo de genere, & specie, solū quoad praedicata quidditatiua, negari non potest, quod saluentur in vnico individuo.*

**5** Dico secundò; loquendo de

genere, & specie quoad existentiam in particularibus, genus suaptenatura petit plures species; species verò rerum incorruptibilium potest saluari in vnico individuo; licet in rebus corruptibilibus potentialitas speciei non sit satiata in vnico individuo. Ita Philosophus 4. Topicorum capit. 3. & 3. Metaphysicæ textu 10. & Boetius lib. de Diuisionibus. Et S. Thomas in 1. sentent. distin. 19. quaest. 4. artic. 2. vbi ait: *vniuersale exigit pluralitatem in his, quae sub ipso continentur: vel in actu, vel in potentia; in actu, sicut est in genere, quod semper habet plures species.* Idem latius docet S. Thomas 1. Posterior. lect. 12. dicens, quod non est possibile inuenire aliquod genus, cuius vna tantum sit species; genus enim diuiditur in species per oppositas differentias; oportet autem, si vnum contrariorum inuenitur in natura, & reliquum inueniri, ut patet per Philosophum in 2. de Cælo lect. 4. Et ideo, si vna species inuenitur, inuenitur, & alia. Vna autem species diuiditur in diuersa individua, per diuisionem materiae: contingit autem totam materiam alicui speciei proportionatam, ab vno individuo comprehendi: & tunc non est nisi vnicum individuum sub vnica specie: Hæc ibi.

**6** Intelligitur autem conclusio, ut notat M. Soto vbi supra, attento ordine naturali rerum; quia supernaturaliter potest animal conseruari in vnica specie: **si Deus corrumpere alias, ut de facto**

facto eueniet post Resurrectionem  
vltimam, cum natura animalis in  
sola specie humana conseruabitur.

¶ Conclusio sic exposita, quoad  
primam partem patet ratione S.  
Thomæ: quia genus contrahitur  
per differentias formaliter incom-  
patibiles, & distantes, & oppositas:  
contrariorum autem eadem est ma-  
teria, & subiectum: alioquin non  
se inuicem expellerent, si circa idē  
non versarentur: ergo si datur in re  
rum natura subiectum vnus con-  
trarij, datur subiectum suscepti-  
uum oppositi; ergo illud est possi-  
bile: ergo data vna specie, altera est  
possibilis.

7 Secunda pars patet experien-  
tia; nam videmus naturas rerum  
corruptibilium multiplicari prop-  
ter speciei conseruationem; natu-  
ram autem Solis, & stellarum in  
vno tantum individuo perpetuo  
conseruari: quod pariter procedit  
in natura Angelorum; iuxta S.  
Thomam 1. p. quæst. 50. artic. 4. ad  
5. siue sint tantum species subijcibi-  
les, siue prædicabiles, de quibus iā  
egimus quæst. præcedenti.

Neque in doctrina huius conclu-  
sionis inuenio difficultatem ali-  
quam, quæ attingat ad Logicum;  
& ideo non oportet in illa am-  
plius immorari; sed solum ex illa  
gradum facimus ad concla-  
siones sequentes, in qui-  
bus est præcipua  
difficultas.

\* \*  
\* \*

## §. III.

*Alia duæ assertiones.*

8 **D**ico tertio: potentialitas ge-  
neris, nec metaphysice, nec  
logice sumpta, potest saluari in vni-  
ca specie; & oppositum implicat  
contradictionem. Hæc conclusio  
est communis: & solet probari au-  
thoritatibus relatis pro præceden-  
ti. Sed meo videri, non multum vr-  
gent; quia loquuntur de reali exis-  
tentiâ generis in specie, & speciei in  
individuis; nec explicitam mentio-  
nem faciunt de generis potentiali-  
tate: nec loquuntur in casu, quo  
plures species repugnent. Sed tan-  
tum defacto exponunt, quid natu-  
ralis rerum ordo exigat. Et sic illas  
intellexit Mag. Soto supra rela-  
tus. Quare quidquid sit de autho-  
ritatibus.

9 Ratione probatur conclu-  
sio; genus, vt genus, est totum po-  
tentiale, diuisibile formaliter, & ef-  
fentialiter per differentias inter se  
oppositas, quæ sunt diuisiue gene-  
ris, & constitutiue specierum; sed  
hæc potentialitas nequit in vna spe-  
cie exhauriri: ergo genus, vt totum  
potentiale, nequit conseruari in  
vna specie. Maior patet, ex dictis  
quæst. 19. & ex dicendis tractando  
de differentijs, & explicando quali-  
ter diuidant genus, & constituent  
species. Minor vero probatur: nam  
duæ differentie nequeunt in vna  
specie adunari, quia sunt oppositæ,  
& inuicem repugnantes; vna autem  
sola differentia non est actus ad-

qua-

quatus potentialitatis generis : ergo plures essentialiter requiruntur, Præterea idem explicatur : nam per se notum est, quod omne totum est maius sua parte ; genus autem, est quoddam totum, species vero pars contenta à genere, vt docet Porphyrius cap. de Specie, in fine, & in illas partes genus diuiditur, in quantum per differentias oppositas designatur : sed hoc totum manifestum est non posse reperiri in vnica specie : ergo generis potentialitas non potest saluari in vnica specie, sed tot sunt necessaria, quot sunt differentia diuisiua eius.

10 Sed obijcies : nam in casu, quo tantum vna species esset possibilis, possunt sub illa specie esse plura indiuidua ; sed respectu illorum, genus haberet suam essentialem potentialitatem : ergo genus, vt totum potentiale, potest saluari in vnica specie. Probatur minor ; nam vt docet Porphyrius cap. de Specie textu 7. genus de speciebus, ac indiuiduis omnibus prædicatur ; quod patet : nam sicut hæc est vera prædicatio, *homo est animal*, ita hæc est vera, *Petrus est animal*, *Ioannes est animal* ; sed istæ prædicationes essent veræ, etiam si repugnarent alia species animalium : ergo, etiam repugnantibus alijs speciebus, genus potest saluari in vnica specie.

Solet responderi, quod in illo casu impossibili, illæ prædicationes essent veræ : sed essent prædicationes speciei ; quia idem omnino esset, *animal*, & *homo* ; vnde cum dice-

retur, *homo est animal*, prædicatio illa non esset formalis, sed identica. Ita respondent PP. Carmelitani disp. 6. q. 2. n. 25. in fine.

Sed contra hoc est : quia in illo casu homo haberet eandem essentialitatem, & eandem definitionem, ac modo habet ; ergo haberet partes easdem definitionis, ac modo : ergo, cum diceretur, *homo est animal*, prædicaretur pars materialis : & cum diceretur, *Petrus est homo*, prædicaretur tota essentia de indiuiduo.

11 Responderetur, argumentum probare, quod in illo casu, genus esset totum essentialitatis, & pars definitionis hominis ; sed non esset totum potestatiuum : sed tantum animal esset conceptus inadæquatus hominis, reductiue pertinens ad eius speciem, & non esset superioritas generis, quia differentia non esset eius diuisiua ; sed esset actus eius adæquatus : vnde cum diceretur, *homo est animal*, esset prædicatio æqualis de æquali.

12 Dico quarto, potest dari species prædicabilis, sine potentialitate physica ad alia indiuidua ; implicat tamen contradictionem, quod potentialitas metaphysica, vel logica speciei, saluetur tota in vno indiuiduo : quin potius, si repugnet naturam illam diuersificari in plura indiuidua, repugnantia metaphysica, vel logica ; prædicabilis non erit.

Per hanc conclusionem iudicium facimus de duabus sententijs, alioquin oppositis, quæ circa hoc versari solent : altera affirmantium absolute, potentiali-

tatem speciei posse conservari in vno individuo. Ita plures, quos citant, & sequuntur PP. Carmelitani vbi supra, & Magister Ioannes à Sancto Thoma quaest. 8. artic. 4. & alij: Altera absolute negantium, potentialitatem speciei posse saluari in vno individuo. Ita ex antiquis Thomistis Petrus Niger in Clipeo quaest. 26. Bruxelensis capit. de Specie, in solutione penultimi, & ibi Oña quaest. 2. artic. 2. Ista, inquam, sententiae, aliquin oppositae, nostra conclusione possunt concordari; si sententiarum relati authores permit-  
tant.

13 Prima pars manifesta est, in speciebus rerum incorruptibilium; & constat etiam ex dictis; quia potentialitas speciei physica, est propter diuisionem materiae: sed dantur plures formae, quae vnicuique materiae sunt satisfactae: ergo potest dari species sine potentialitate physica ad plura individua. Haec est ratio S. Thomae 1. Posteriorum lect. 12. & opusculo 48. tractatu 1. cap. 3. in fine.

Quae amplius vrgetur: nam natura non intendit multitudinem individuum, nisi propter conservationem speciei, vt docet S. Thomas 1. p. quaest. 47. artic. 2. & quaest. 85. artic. 3. ad 4. sed quando individuum est incorruptibile, & comprehendit totam materiam speciei proportionatam, aequo bene obtinetur intentum naturae in vno individuo,

ac obtineretur in pluribus: ergo potentialitas physica speciei naturaliter exhauritur in vno individuo.

14 Secunda pars probatur: quia etiam species respectu individuum est totum potentiale; & individua sunt eius partes: ergo quaelibet differentia se habet vt actus inadaequatus, contentus quidem in specie in potentia, & alteri differentiae impossibilis; ac proinde, actus isti sunt inter se primo diuersi; & in vno individuo inadunabiles: ergo tota potentialitas speciei non satisfiatur in vno individuo.

Respondebis, argumentum probare de potentialitate, quasi extensiva; quia haec non reperitur in vno individuo tota; non tamen de potentialitate, quasi intensiva: nam differentiae individuales, non addunt perfectionem intensiuam supra speciem; & ita natura specifica totam suam perfectionem essentialem habet in vnoquoque individuo; & ita integre essentialiter potentialitas metaphysica speciei saluatur in vno individuo.

15 Haec tamen euasio laborat in aequiuoco, nesciens distinguere speciem vt totum diffinibile, & actuale, & vt totum vniuersale, & potentiale: cum tamen de specie, solum in hoc secundo sensu, loquamur: & non in primo: de quo sermonem fecimus in prima conclusione. Sic ergo instauratur argumentum: potentialitas speciei, quae accidit illi quidditative  
sump-

Sumpta, est essentialis illi, ut est totum vniuersale, in potentia continens inferiora, in quo sensu, ut dixi, loquimur nunc: sed implicat hanc potentialitatem reperiri in vnico individuo, vel in casu, quo vnum tantum individuum sit possibile: ergo potentialitas metaphysica speciei, non potest saluari in vnico individuo. Probat minor: quia vnica differentia individualis est actus inadequatus, & est pars non adæquans potentialitatem totius. Rursum, est actus essentialiter, & per se inspectus à potentia ista, quam habet species, ut materialiter multiplicetur: ergo implicat contradictionem, quod in vno individuo exhaustiatur.

16 Præterea principaliter probatur conclusio: nam potentialitas metaphysica, de qua loquimur, est fundamentum proximum potentialitatis logicæ, seu secundæ intentionis vniuersalis, & prædicabilis: sed omnes fitentur, implicare contradictionem, quod tota potentialitas logica speciei, saluetur in vno individuo: alioquin illa prædicatio esset equalis de equali; cum exhaustiatur ab vno individuo, & esset superioris de inferiori, quia est totius vniuersalis; quæ contradictionem implicat: ergo, & repugnat, quod tota potentialitas metaphysica speciei saluetur in vno individuo. Maior probatur, quia istæ secundæ intentiones, non sunt prohibito contradictæ, sed in primis intentionibus fundatæ, & vniuersalitas logica fundatur in vniuersalitate metaphysica, iuxta dicta q. 14. §. 3. Et pe-

culiariter, quæst. præcedenti ostendimus, quod si repugnant plura individua, non solum ex natura rei, sed etiam metaphysice de potentia absoluta; non potest intellectus ad inuenire relationem vniuersalitatis, & considerare naturam ut superiorem ad plura: ergo potentialitas metaphysica, & logica speciei, non potest saluari in vnico individuo.

17 Quæ fundamenta si attente consideres, nullum reperiens argumentum, quod non facillime diluas.

Sed obiicit Rubio: nam species, metaphysice sumpta, solum dicit quid compositum ex genere, & differentia, & per solum genus, & differentiam diffinitur; sed in vno solo individuo, etiam si alia non fiat possibilia, saluari potest compositio ex genere, & differentia: ergo etiam saluabitur, aut conseruabitur species, metaphysice sumpta. Probat minor: quia differentie individuales extra genus, & differentiam sunt: ergo compositio metaphysica non dependet essentialiter ab illis: ergo saluatur in vno individuo compositio metaphysica.

Confirmatur: quia probabile est species Angelorum non posse habere nisi vnicum individuum: & tamen nullus negat, quod sint vere species compositæ ex genere, & differentia.

Respondetur facile, distinguendo maiorem, & concedendo illam de specie, ut est totum diffinibile: negando vero de specie ut est totum

vniuersale, & potentiale: vnde argumentum probat primam conclusionem; non tamen opponitur vltimæ.

Ad confirmationem dicitur, quod naturæ Angelicæ sunt species subijctibiles; non tamen positivè predicabiles, vt ipse Rubio quæst. immediata fatetur: vnde ex compositione metaphysica Angelorum, non sumitur aptum argumentum, ad probandum potencialitatem specierum vniuersalium.

## QVÆSTIO XXIII.

### De individuo.

**Q**uia, vt inquit Porphyrius, individuum conuenitur à specie, sicut species à genere; ideo sicut species est correlatiuum generis, ita individuum est correlatiuum speciei: vnde ad completam speciei notitiam, non potuimus nō hic cū Porphyrio de individuo tractare. Sicut autem species, & alia vniuersalia important s̄duo, nempe, naturam pro substracto; & secundam intentionem pro formalis; & ratione naturæ significantur nominibus primæ intentionis; vt cum dicimus, *homo, equus, planta,* & similia: ratione autem intentionis, significatur nominibus logicis secundarum intentionum; vt cum dicimus, *vniuersale, predicabile, subijctibile, species.* Ita pariter natura particularis, & individua, potest significari, sicut, & cognosci, primo intentionaliter; vt cum dicitur, *persona, prima substantia hic homo, laureus*

vel *Petrus:* & potest etiam significari nominibus secundarum intentionum; vt cum dicitur, *suppositum, particulare, singulare, vel correlatiuum speciei.* Quamuis autem, in rigore loquendo nomen, *individuum,* sit nomen secundæ intentionis, vt notat S. Thomas 1. p. q. 29. art. 1. ad 3. quia tamen, vt ibidem ait S. Thomas, nomina intentionum possunt accipi ad definiendum res, secundum, quod accipiuntur pro aliquibus nominibus rerum, quæ non sunt posita; ideo individuum aliquando significatur primo intentionaliter, aliquando vero secundo intentionaliter. Sed antequam diffinitiones explicemus, est dubium.

### §. I.

*Vtrum individuis primo intentionaliter sumptis possit dari aliqua ratio communis?*

**N**egatiuam sententiam videntur tenere Mag. Soto quæst. vnica de specie solut. ad 5. & ibid. Toletus, & Fonseca 5. Metaph. cap. 6. q. 5. sect. 4. & alij Recentiores; qui probant hoc argumento, res diuersæ non possunt conuenire in ea ratione, secundum quam sunt diuersæ: sed individua sunt diuersa inter se ratione differentie individuali: ergo non possunt conuenire in ipsa differentia individuali. Probat minor: quia dissident inter se ratione illarum formalitatum, per quas

in esse talis constituuntur: sed constituuntur in esse Petri, & Ioannis per differentias indiuiduales: ergo distant inter se per ipsas differentias indiuiduales. ¶ Dices, hoc esse verum de hac, & illa indiuiduatione in particulari, non vero de differentia indiuiduali indeterminate in cōmuni, & vage sumpta.

3 Sed contra: Petrus, & Paulus dissident inter se ratione differentiarum indiuidualium, non solum prout determinate sunt; sed etiā prout differentie indiuiduales, vt sic: ergo nullā habent similitudinē, ratione cuius conuenire possint in ratione indiuidui. Antecedens est certum: quia Petrus ratione differentie indiuidualis, vt differentie indiuidualis, est diuersus ab omnibus alijs, inter quos est Paulus; & pariter Paulus est diuersus à Petro: nam differentia indiuidualis, in cōsensu omnium, est id per quod vnū quodque realiter diuersum est à quocumque alio.

Confirmatur: quia vt in vna ratione indiuidui, vt sic, indiuidua conuenirent, necessarium erat, quod id, quod Petro v.g. conuenit in ratione indiuidui, conueniret etiam Paulo; sed non conuenit idem vni, & alteri in ratione indiuidui: ergo non possunt conuenire in vnica ratione indiuidui. Minor probatur: quia Petrus, in ratione indiuidui, est diuersus à quocumque alio, à Paulo, Ioanne, & reliquis; sed Paulus, in ratione indiuidui, non conuenit esse diuersum à se ipso; sed à Petro, Ioanne, &

alijs: ergo nulli indiuiduo, adhuc in ratione indiuidui, conuenit idē, ac conuenit alteri in ratione indiuidui.

4 Dico tamen primo: licet in diuiduis particulariter, & determinate sumptis, vt nominibus proprijs significantur, non possit dari aliqua ratio communis; possunt tamen indiuidua, adhuc primo intentionaliter sumpta, accipi in cōmuni, indeterminate, & vage, & sic ab omnib' abstrahi vna ratio eis cōmūnis. Vtraque pars est S. Thom. 1. p. quæst. 29. art. 1. ad 1. vbi ait: *quod licet hoc singulare, vel illud, deffiniri, non possit; tamen id quod pertinet ad communem rationem singularitatis deffiniri potest; & sic Philosophus deffinit substantiam primam; & hoc modo deffinit Boetius personam: & pariter Porphyrius deffinit indiuiduum primo intentionaliter.* Idem exprimit S. Thomas q. 70. art. 4. vbi ait: *quod persona non est nomen negationis, neque intentionis, sed est nomen rei, & ideo dicendum est, quod etiam in rebus humanis hoc nomen persona est commune communitate rationis, non sicut genus, vel species, sed sicut indiuiduum vagues.* Idem docet S. Thomas in 1. distinct. 25. quæst. 1. artic. 3. & quæst. 8. de Potentia articulo 3. ad 11. quem sequuntur Caietanus capite. de Specie, & 1. p. quæstio. 29. articulo 4. & communiter Thomistæ: à quibus non videtur recedere Magister Soto: quia solum loquitur de hoc, & illo indiuiduo determinate sumpto, Conclusionem eandem docet

tus in 1. distinct. 23. quæst. unica, quem sui sequuntur discipuli. Item Rubio capit. de Specie q. 6. & communiter authores.

5 Sed respondent Recentiores S. Thomam, & reliquos authores, non loqui de ratione constitutiua individui realis; sed solum de eius unitate numerica: quia omnia individua, ita conueniunt in hoc, quod est esse vnum numero, vt ab illis possit abstrahi vna ratio vnus; quæ sit omnibus communis: non tamen ab indiuiduis, prout indiuidua sunt realiter, potest abstrahi vna ratio communis omnibus. Hanc secundam partem probant argumentis suæ primæ sententiæ. Priorem vero: quia potest concipi vnum numero, quin concipiatur, an hoc sit Petrus, aut Paulus, vel an dentur plura, quæ sint vnum numero: quia audita hac voce, *vnum numero*, non venimus in cognitionem expressam Petri, aut Pauli, aut plurium: ergo potest abstrahi ab indiuiduis vna ratio vnus numero, quæ pertinet ad quantum prædicabile: quia abstrahitur ab indiuiduis, tanquam proprietas illorum.

Valde displicet hæc euasio: primo: quia est expressè contra mentem S. Thomæ, & aliorum Authorum; qui clarissime loquuntur de constitutiua personæ, & indiuidui; & dicunt, quod si vage, & in communisumantur, potest abstrahi aliqua ratio communis omnibus personis, & indiuiduis; quia ipse modus existendi incommu-

nicabiliter, potest esse pluribus communis, vt dicit S. Thomas illo artic. 4. ad 2. sed hæc est propria ratio constitutiua indiuidui, & personæ: ergo, non solum loquendo de proprietate, sed de constitutiuis intrinsicis indiuiduorum, potest eis dari aliqua ratio communis.

6 Præterea, falso isti assument, ex ea parte qua asserunt unitatem numericam esse proprietatem indiuidui; cum iam ostenderit quæst. 16. numero 6. esse propriam rationem constitutiua indiuidui: & sic definitur à Diu. Thoma. 1. p. quæst. 29. art. 4. *individuum est, quod est in se indistinctum, ab alijs, vero distinctum*: quod formalissime fit per ipsam unitatem numericam.

Tertio potissime isti Recentiores reijciuntur; quia inconsequenter procedunt: quia ipsorum ratio ad probandum, quod potest abstrahi vna ratio vnus omnibus indiuiduis communis: pariter ostendit, quod potest abstrahi ratio communis indiuidui: sicut enim audita hac voce, *vnum numero*, non venimus in cognitionem expressam Petri, aut Pauli, aut plurium: ita audita hac voce, *individuum*, non venimus in cognitionem expressam Petri, aut Pauli, vt experientia patet: ergo, vel ipsorum ratio nil probat: vel ostendit nostram conclusionem, quam negant.

7 Probatur ergo, ratione Sancti Thomæ in 1. distinctione 25. vbi supra: omne nomen capax signi distributiui, est

nomē significans rationem communem: sed *individuum*, *persona*, & alia huiusmodi, sunt nomina capacia signi distributiui: ergo significant aliquam rationem communem. Probatur minor; nam hæc est propositio per se, & formalis, *omne individuum est incommunicabile*, & similiter, *omnis persona humana distinguitur ab omni individuo irrationali*, & *ab omni persona Angelica*, & *ab omni persona diuina*: ergo ipse modus loquendi satis ostendit, quod hoc nomen, *persona*, & *individuum*, est commune: sicut cum dicimus, *tres homines*, vel *omnes homines*, ostendimus hominem esse communē tribus.

8 Præterea: ad communitatem, de qua in præfenti, sufficit unitas realis cōformitatis, quæ in duobus realiter distinctis reperitur in rebus: sed *individuum* significat aliquid realiter repertum in rebus communitate conformitatis: ergo significat aliquid commune. Probatur minor: nam modus ipse subsistendi incommunicabiliter; vel id, quod est radix accidentium, quibus innotescit distinctio individuorum, est aliquid in omnibus individuis repertum; & si sumitur vage, & sine indeterminatione, in hoc omnia individua conueniunt: quia tantum distinguuntur hæc, & illa singularitate determinata; quæ in ista voce, *individuum*, importatur inconfuso; ergo negari non debet, quod *individuum* significat vnā rationem omnibus communem.

Tertio denique probatur: nam id, quod vna definitione definitur,

aliquid vnum est: sed omnia individua, in ratione individui, vnica definitione definiuntur à Porphyrio, (quam ipsi, contra quos disputamus, exponunt, de individuo primo intentionaliter sumpto: (ergo negari non debet, quod individuis primo intentionaliter sumptis detur vna ratio omnibus communis; sicut, *prima substantia*, dicit id in quo conueniunt omnes primæ substantiæ; & *persona*, significat id in quo conueniunt omnes personæ.

9 Ad argumentum respondetur, quod solutio in illo relata, est expressa S. Thom. 1. p. quæst. 29. art. 1. ad 1. & quæst. 1. de Potent. art. 2. ad 1. vbi admittit, quod personis, & individuis, secundum quod significantur nominibus proprijs, vel pronomibus designantibus hanc, & illam singularitatem in particulari, non datur aliquid commune, vt *Socrates*, & *Plato*, & *hic homo*: si tamen ipse modus particularis accipiatur vage, & indeterminate, potest significari nomine communi; & sic est communitas de individuo vago, & de persona, & de alijs huiusmodi.

Ad replicam respondetur, quod antecedens, ab ipsis reputatum certum, à nobis pronunciatum falsum; quia potius individua conueniunt in habendo differentiam indiuidualem; & solum differunt in eo, quod ista differentia indiuidualis, non est illa: solum ergo differunt, seu distinguuntur, ratione differentiæ indiuidualis determinatæ; non vero ratione differentiæ indiuidualis, vt sic.

Ad confirmationē respondetur, in primis instari posse in ipsa unitate numerica, quem ipsi fatentur esse vnā in omnibus, & quod ipsi responderiat de unitate, responderimus nos de individuo, quia vnā, & eas re aliter non distinguatur, & ipsa ratio constitutiva individui, se ipsa absque unitate sureraddita est vnū numero. ¶ Facile ergo dicitur, quod obiectio laborat in equiuoco, nesciens discernere inter unitatē identitatis, & unitatē similitudinis; possunt ergo individua esse realiter diuersa, & habere realem conformitatem in ipsa diuersitate, ratione cuius possunt significari nomine communi.

## §. II.

*Vtcrius dubitatur, utrum indiuiduum in communi sit vniuocū ad omnia indiuidua?*

10 **E**SSe analogum, docent Mathias, & alij relecti supra q. 16. n. 7. & Didacus à Iesu disp. 7. q. vltima; probant, quia significat rationem transcendens, & imbibitā in ipsis vltimis differentiis; sed ratio transcendens, nō est vniuoca, sed analogā, vt dicemus lib. 2. ergo indiuiduum in communi sola significat aliquid commune cōmunitate analogā. Probatior maior nā si indiuiduum per alias differentias vltimas cōtinerentur, de illis differentiis posset inquiri, an e sent indiuidue, & vltimæ? vel non? Si sunt indiuidua; ergo indiuiduum transcendit vltimas differentias: si non sunt indiui-

dua, & vltimæ? Ergo oportet alias differentias vltimas inquirere: & sic dabitur processus in infinitū. Deinde, quia differentia indiuiduales sunt primo diuersæ: ergo non sunt resolubiles in duos cōceptus, quorum vnus abstrañat ab alio, & includatur in ipso.

11 Dico tamen secundo: omnia indiuidua vniuoce conueniunt in ratione individui. Ita clare colligitur ex D. Thoma locis citatis pro precedenti conclus. & præcipue in primo distinctione 25. artic. 3. & ibidem ad Anib. vbi ait; *quod est communitas per vnā rationem rei, sicut ratio animalis est communis hominibus, & asino. sed animal est commune cōmunitate vniuoci: ergo pariter persona, & indiuiduum.* Vnde S. Thomas solut. ad 3. ait: *sicut patet de hoc nomine, indiuiduum, quod de pluribus praticatur.* Sed vt omnis excluditur euasio, ipse S. Thomas se explicat in 1. ad Anib. dist. 29. art. 3. dicens, *quod hoc nomen, persona, dicitur vniuoce, vt supra dictum est, nempe dist. 25: ergo de mente S. Thomæ, persona, & indiuiduum, dicuntur vniuoce.* S. Thomam sequuntur Caietanus 1. p. q. 29. art. 4. & Zumel q. 70. tr. 1. vbi Nazarius, & Götzcz, & ipse Caiet. cap. de specie circa finem, & in quos citat, & sequitur Rubio q. 6.

12 Et si bene attendantur rationes primæ conclusionis, hanc ostendant: & sic vrgentur: nam à quacumque reali conuenientia secundum rationem eandem, est abstrahibilis conceptus vniuocus; sed omni indiuiduo, in ratione individui

est abstrahibilis ratio simpliciter eadem: ergo est abstrahibilis ratio uniuoca. Probatur minor: primo, quia Petrus, & Paulus aequaliter participant rationem individui: ergo non dicitur de illis per prius, & posterius: ergo dicitur secundum rationem eandem. Secundo probatur minor; quia differentia in sola ratione particulari, non tollit uniuocationem in ratione communi; sed individua inter se differant rationibus particularibus: ergo non tollitur uniuocatio in ratione individui, ut sic.

13 Ad argumentum in contrarium responderetur, ex his, quae in simili diximus supra quaest. 17. ad 2. explicando qualiter uniuersale, non transcendit ultimam differentiam differentia; quia ipsa differentia, quae est species, componitur ex genere, & differentia; quae est quaedam particularis differentia. Ita in praesenti, nullum est inconueniens, quod ipsa differentia indualis, quae essentialiter est talis, denominetur ab intentione individui; & sic individuum resoluatur in duos conceptus, quorum unus sit ratio individui, ut sic, & alter sit ratio determinata individui: & in ista ultima ratione consistit; quia individua particulariter sumpta sunt primo diuersa; quamuis individua uage sumpta conueniant in ratione individui. Imò si individuum accipiatur secundo intentionaliter, ex illo potest esse praedicatio secundi, vel quinti praedicabilis: nam cum dico, *hoc individuum est individuum*, est praedicatio speciei;

& cum dico, *Petrus est individuum*, est praedicatio accidentis, & pariter differentiae individuales, quibus individua constituuntur essentialiter, sunt quaedam differentiae essentialiter, & propriissime respectu naturae in particulari.

### §. III.

#### *Exponuntur definitiones individui.*

14 **H**abemus ex dictis, quod licet hoc individuum, vel illud in particulari, diffiniri non possit; quia, ut ait S. Thomas 1. p. quaest. 29. artic. 2. ad 3. *diffinitio completitur principia speciei: non autem principia indiuidualia*; tamen id quod pertinet ad communem rationem individui, diffiniri potest, ut diximus ex D. Thoma eodem quaest. art. 1. ad 1. ut autem definitiones à Porphyrio assignatae intelligantur.

Notandum, ex D. Thoma ibidem in corp. art. quod licet uniuersale, & particulare inueniantur in omnibus generibus; tamen speciali quodam modo individuum inuenitur in genere substantiae: substantia enim indiuiduatur per se ipsam; sed accidentia indiuiduantur per subiectum: & ideo individua substantiae, habent specialia nomina; nam dicuntur, *hypoteses*, vel *prima substantiae*, & si sint indiuidua naturae intellectualis, dicuntur *personae*.

15 Primò, ergo diffinitur individuum, quod ex proprietatibus constat, quarum idem aggregatum numerum

quam in alio fiet. Quæ definitio, licet soleat communiter explicari de indiuiduo primo intentionaliter; ita vt describatur per eius proprietates, seu accidentia: quia, licet, vt ait S. Thomas 7. Metaph. lect. 15. quamuis collectio accidentium nõ sit principium indiuiduationis, sed materia signata; tamen vel sunt figuræ, vel effectus differentia indiuidualis. Posset tamen, etiam non incongrue dici, quod hæc definitio, sicut, & diffinitio generis, datur de indiuiduo secundo intentionaliter; quamuis, propter modum significandi, subtractum, seu natura importentur in recto loco generis.

16 Præterea aduerte, cum Magistro Soto, quod hac definitione potissime definiuntur indiuidua substantia. Imò Porphyrius, vt in notioribus, apposuit exemplar in indiuiduis, seu personis humanis, subdens: *Socratis namque proprietates, nullo in alio particulari eadem fient.* Proprietates autem istæ sunt numero septem; quæ his versibus solent designari.

*Forma, figura, locus, tempus cum nomine sanguis:*

*Patria sunt septem; quæ non habet vnus, & alter.*

Vel, vt alij volunt, istis versibus exprimentur:

*Forma, figura, locus, stirps nomen,  
Patria, tempus;*

*Vnum perpetua reddere lege solent.*

In quibus ly, *forma*, non designat formam substantialem: quia hæc

pertinet ad constitutionem speciei; sed designat qualitatem in colore, & complexionem. *Figura*, denotat lineamenta, & habitudinem corporis; *locus*, & *tempus*, accipiuntur vt sonant; & significant esse natum tali tempore anni, & sub tali climate. Alijs duabus particulis denotatur, quod sit oriundus ex tali Patria, & genitus his; aut illis parentibus. Et licet aliquæ proprietates conueniant pluribus indiuiduis; illæ scilicet, quæ extrinsece denominant; aliæ vto solum vni, vt hæc forma, hæc figura; tota tamen collectio, ita designat hoc indiuiduum, quod in alio reperiri non possit.

17 Alia definitio indiuidui traditur à D. Thoma 10. Metaphys. lectione 11. dicente, quod indiuiduum est, quod non dividitur vltterius, nec formali, nec materiali differentia: quæ definitio complectitur indiuidua accidentis; & per negationem explicatur positua proprietate constitutua indiuidui: quæ quidem est extra quidditatem specificè sumptam; sed tamen est essentialis ad faciendum indiuiduum: vnde ait S. Thomas q. 9. de potent. art. 2. quod est modus existendi talis nature, quæ existit, vt propria huic indiuiduo.

18 Altera definitio, quæ secundum omnes directe pertinet ad secundam intentionem, traditur à Porphyrio illis verbis: *Indiuiduum est, quod de vno solo particulari predicatur.*

Contra quam diffinitionem

occurrit dubium : quia Philosophus cap. de Substantia, dicit, *quod a prima substantia nulla est praedicatio.* Et etiam, quia praedicatum debet se habere, vt forma respectu subiecti: vbi autem non est aliqua distinctio, saltem in modo significandi, non potest esse idem praedicatum sui: ergo falsum est, quod indiuiduum praedicetur de se ipso.


Hoc argumento conuincitur Magister Soto cap. de specie in fine, vt ailerat, proprie loquendo, indiuiduum de nullo predicari. Et ad Porphyrium respondet, quod, aut loquitur improprie; aut loquitur, vt exponit Commentator, de singulari accidentis: vt si dicas, *Petrus est hoc album:* & hoc videtur intendere Philosophus I. Perihemenias cap. 5.

19 Magis tamen recepta est expositio Caietani, qui in presenti distinguit, quod praedicatio est duplex; quaedam *artificialis*, quae directe deseruit fini artis; quaedam est praedicatio *naturalis*, quae quidem est vera ex natura rei significatur; sed artis fini, non est directe proficua; quia per illam nihil notificatur ignotum: & hoc modo idem praedicatur de seipso verissime: & de de hac loquitur Porphyrius; Philosophus autem loquutus est de praedicatione

artificiali: & hoc tantum

probat ratio in-

ducta,



## QVAESTIO XXIII.

*De prima diuisione differentiae.*

**V**T propriam rationem praedicabilis differentiae assignaret Porphyrius, coactus est communes diuisiones differentiae, vt sic, praemittere. & quia haec prima & posita, aliae facile innotescunt; ideo in ista exponenda paululum immorabimur; tria de illa disputando, primo, vtrum diuisio sit adaequata? Secundo, vtrum eius ratio formalis sit realis? Ex quo notum fiet, an diuisum, & membra diuidentia accipiantur primo, vel secundo intentionaliter? Tertio tandem tractabitur de qualitate diuisionis, an sit vniuoca, vel analogica?

2 Ante omnia tamen duo sunt praemittenda: primum est, quod proprie, & in rigore loquendo, non est idem aliquid esse *diuersum*, ac esse ab alio *differs*; nam, vt dicit Philosophus 10. Metaph. text. 24. & 25. licet omne differens sit diuersum; non tamen omne diuersum est differens: nam simplicia; vltimae differentiae, & alia huiusmodi, dicuntur diuersa; non autem in rigore dicuntur differentia: quia, vt ait S. Thomas I. parte quaestione 90. art. 1. ad 3. *differens proprie acceptum ali-uo diff. ita vnde ibi quaeritur differentia, vbi est conuenientia; & propter hoc, eaque dicuntur differre, debent esse composita quodammodo, cum in aliquo differant;*

& in aliquo conueniant. Et ita ait S. Thomas 1. p. q. 3. art. 8. ad 2. quod ipse differentia, si fiat vis in verbo, non proprie dicuntur differre; sed diuisa esse: de quo videatur S. Thom: 5. Metaph. lect. 12. & lib. 1. contragent. cap. 17. vnde quia species conueniunt in genere, & aliquo alio differunt, id quo differre dicuntur, vocatur differentia.

3 Præterea præmittendum est, quod, vt explicat M. Sánchez lib. 3. q. 21. differentia potest sumi, & metaphysice, & logice. Si metaphysice sumatur, non explicat in suo conceptu vniuersalitatem; sed solum dicit id quo aliquid ab alio differt, cum quo in aliquo conuenit. Loquendo verò de differentia logice, ita explicat compositionem cum genere ad constituendam speciem, quod includat relationem vniuersalis, & prædicabilis de pluribus; quia istæ sunt rationes genericæ, & communes omnium prædicabilium.

## §. I.

## Diuisio est adæquata.

4 **D**ico ergo primo: diuisio differentia in communem, propriam, & propriissimam, est adæquata: est communis Dialecticorum, à quibus immerito recedit M. Cabero trac. 3. dis. 4. dub. 2. motus duobus argumentis, iam diu solutis ab Authoribus. Rationem sufficientem assignat M. Masius hic sec. 1. q. 2. & post eum alij; quia quidquid differt ab alio, vel differt prædicato essentiali, vel accidentali: si essentiali, erit diffe-

rentia propriissima: si accidentali prædicato; vel est accidens inseparabile, & proprium; & sic facit differre proprie; vel est accidens separabile, & commune: & sic facit differre communiter: quæ differentia non sic appellatur, quia actu inuenitur in utroque extremo; sed quia fit ratione alicuius accidentis, quod neutri extremorum est proprium, nec illi ita affixum, quod non possit vicissim alteri accidere.

5 Sed contra hanc conclusionem sunt duo communia argumenta. Primum est; nam differentia individualis est vere differentia; vt patet, quia per eam differt vnum individuum ab alio; & tamen non est differentia propriissima: cum non faciat differre essentialiter neque est differentia propria, aut communis: siquidem Petrus, & Paulus, inter se, non accidentaliter tantum, sed substantialiter distinguuntur; ergo diuisio est inadæquata.

Respondent Sanchez lib. 3. q. 23. circa finem, & P. P. Carmelitani disp. 7. q. 1. num. 8. quod principium indiuiduationis non est differentia logica, quæ possit subire intentionem vniuersalis, & prædicabilis; & ideo, proprie, & per se, neque continetur sub diuiso, neque sub aliquo membrorum diuidendum.

Sed contra hoc est quod vt ipsi postea fatentur num. 12. sola differentia propriissima constituit hoc tertium prædicabile: ergo diuisum est aliquid communius, quam ratio prædicabilis; ergo posset etiam cõ-

prehendere differentiam individua-  
lem, quamuis non sit vniuersalis, &  
predicabilis.

6 Secundo dices cum alijs, quod  
differentiæ individuales sunt diffe-  
rentiæ communes: quia Porphyrius  
inter exempla differentiæ commu-  
nis ponit *differentiam Socratis à Plato-  
ne*; & S. Thom. 5. Metaph. lect. 12.  
ait: *ea quæ conveniunt in specie, non dis-  
tinguntur, nisi per accidentales differen-  
tias, vt Socrates albus, vel iustus; Plato  
niger, vel muscus.*

Hæc tamen solutio laborat in  
æquiuoco: quia non potest negari,  
quod inter duo individua eiusdem  
speciei reperiantur differentiæ pro-  
priae in solutione relatæ. Imò idem  
à se ipso solet illis differentijs differ-  
re; vt Petrus stans, differt à se ipso  
sedente; & loquens à tacete, & infir-  
mus à sano: sed de istis non est diffi-  
cultas; sed de principio substantiali  
individuationis, quo entitativè, &  
substantialiter Petr' differt à Paulo.

7 Qua propter Mag. Ioan. à S.  
Thoma q. 10. artic. 1. §. 1. *ad secundum*  
reò, docet differentiæ individuales  
esse differentiæ proprias, hoc est in-  
separabiles: quamuis non sint pro-  
priae passionis naturæ; cum eius-  
dem naturæ, & speciei, sint duo in-  
dividua.

Sed adhuc hoc videtur difficile;  
quia differentia individualis, nõ est  
proprietas, sed essentialis constitu-  
tium individui. Præter quã quod  
differentia propriissima, secundum  
Porphyrium, *facit aliud*; docet au-  
tem S. Thomas in 2. dist. 21. q. 1.  
art. 2. quod vnum individuum est  
*aliud ab alijs in humanis,*

Denique, P. Rubio q. 1. num. 6.  
differentiam individuaalem reducit  
ad differentiã propriissimam, prop-  
ter similitudinem, quam habet cum  
differentia specifica; quia est modus  
intrinsecus, naturam, vel essentiam  
determinans. Quamuis simpliciter,  
non sit differentia propriissima;  
quia speciem cõstitutam supponit:  
& Porphyrius omnem propriissi-  
mam differentiã, specificam appel-  
lauit, & dixit constituere speciem,  
& genus dividere.

8 Facilius posset responderi, sup-  
ponendo cum Caiet. secunda parte  
cap. de differentia, quod vna met-  
res relata ad diuersa, dicitur diffe-  
rentia communis, propria, & pro-  
priissima; vt, *congregatiuum visus*, est  
differentia communiter, respectu  
ligni, lapidis, & similibus: & est dif-  
ferentia propria, respectu Corui, &  
carbonis, quibus inest inseparabi-  
liter; & est etiam differentia pro-  
priissima, seu est signum distincti-  
ui essentialiter, intra albedinem,  
& nigredinem. Quam doctrinam  
communiter receptam, ad inten-  
tum applicando, dicimus, quod  
differentia individualis, compara-  
ta ad individuum, quod constituit,  
est eius propriissima; quia id quod  
est modus respectu naturæ, est es-  
sentiale respectu naturæ modifi-  
catæ, seu individuae; vnde facit  
differre substantialiter, & oritur à  
partibus essentialibus: differentia  
vero individualis comparata ad  
speciem, & ad quantitatem, vide-  
tur accidens commune: ex modo  
tamen *essendi, accidit insepara-  
biliter.*

9 Alterum argumentum est: nam propria passio, vere facit differre, quia dat aliquod esse, quo vnū discriminatur ab alio: sed non est communis differentia, vt patet. Nō est differentia propria: quod probatur primo, quia secundum Porphyriā, sola differentia propriissima conuenit per se; propria autē passio per se conuenit. Secundo probatur: nam *differentia propria*, secundū Porphyriū, *suscipit magis, & minus*: non autē propria passio; sicut nequē differentia à qua fluit. Denique quod nō sit differentia propriissima, patet; quia supponit essentiam constitutam, & speciem, non cōstituit: ergo diuisio est inadæquata.

Ad hoc argumentum Didacus à Iesu disp. 8. q. 3. ad 4. existimat propriam passionem ad differentiam propriam pertinere; quam contendit esse communem D. D. sententiā, plures referens, quos sequitur Rubio q. 1. & probat non esse propriissimā; quia non facit aliud: & quia differentia propriissima est omniū maxima. Cum autem Porphyrius asserit *differentias proprias suscipere magis, & minus*; non de omnibus intelligit; se de his quæ conueniunt indiuiduis; in quibus exempla apposit, potius quam in proprijs passionibus specierum: quia communiter sunt nobis notiores.

10 Facilius tamen respondetur, cum Caietano, Soto, & communi Thomistarum, quos ad longum sequitur Sanchez lib. 3. q. 23. quod propria passio reducitur ad differentiam propriissimam; quia licet formaliter solū faciat differre pro-

prie: illatiue, seu virtualiter, facit differre propriissime: quia & ipsa consequitur differentiam propriissimam: & à posteriori ex propria passione inferitur differentia essentialis, & propriissima.

## §. II.

*Secunda difficultas.*

11 **C**irca secundū punctum omnes supponunt, quod hic nō est diuisio formarū realiter distinctarū, sed est diuisio ipsius formalitatis, seu muneris faciēdi differre. Est autem dubium, quid sit hoc munus faciēdi differre? Plures enim cēsent, quod ratio formalis faciēdi differre, & ratio formalis differentia metaphysice sumptæ, nō est aliquid reale, sed rationis, ita Pater Didacus à Iesu disp. 8. q. 1. M. Cabero disp. 4. dub. 1. & alij Recentiores: qui id probāt, quia hoc quod est facere differre (si simpliciter faciat differre) duo inuoluit distincta; gradum, videlicet, qui facit differre, & speciem, quæ per illum differt ab alia specie: vnde Phyllos. 10. Metaph. textu 12. dixit, *differeat ab aliq: ab quo differens est*: sed rationale, & homo, v. g. non sunt duo a parte rei, sed solum per intellectū: ergo rationale non facit differre hominem a parte rei, sed solum per intellectum.

Secundo id probant; quia eatenus differentia facit differre vnam speciem ab alia, quatenus contrahit genus constituendo speciem: quia hoc modo separat, ea que sunt

sub eodem genere; quia vt dicebamus ex D. Thom. 1. p. q. 90. art. 1. ad 3. *ibi quæritur de differentiâ, vbi est convenientia*: sed differentia contrahit genus: non realiter, sed per rationem: quia compositio metaphysica generis, & differentie, non est realis sed rationis, vt diximus in hoc lib. q. 13. ergo nec differentia propriissima facit differre speciem à parte rei; sed solum per operationem intellectus.

Quod autem dicendum sit idè, de differentia communi, & propria, probatur: quia differentia communis & propria, non faciunt differre immediate, & ratione sui, sed media differentia propriissima, quam supponunt, & indicant: ergo faciunt differre per operationem intellectus; sicut differentia propriissima. Et præterea; quia accidens non facit differre hoc subiectum ab alio ratione totius entitatis physice; sed solum quatenus metaphysice præscinditur gradus differentialis à gradu generico, in quo conuenit cum alijs: sed hoc est opus intellectus: ergo munus faciendi differre, metaphysice loquendo, est aliquid rationis.

12 Dico tamen secundo: munus faciendi differre metaphysice est aliquid reale. Ita docuisse Auizenam, B. Albertum Magnum, & Scotum, testatur, & sequitur Rubio in præsentî q. 2. & sequitur M. Ioan. à S. Thom. 1. q. 10. art. 1. & communiter Thomiste E. tid indicant aperte verba, & exempla Porphyrij: & videtur desumptum ex communi modo loquendi: nam omnes con-

cipiunt, & dicunt differentiam propriissimam esse omnium maximam: ergo maxime facit differre; ergo causat omnium maximam distinctionem: ergo non tantum causat distinctionem rationis; sed etiam distinctionem realem, quando est inter formas reales, & adsunt aliæ conditiones ad hoc requisitæ.

Respondent, causare maximam distinctionem metaphysicam inter omnes alias metaphysicas differentias; cum faciat differre essentialiter. Cæterum quia metaphysica compositio formaliter est rationis, & fundamentaliter, seu virtualiter est aliquid reale: ideo munus faciendi differre, etiam formaliter, est aliquid rationis: licet fundamentaliter sit aliquid reale.

13 Sed contra hoc est, quod illa comparatio, & ille consuetus modus loquendi, non est respectiuus inter sola distincta per rationem, sed absolute inter omnia, quæ distinguuntur: ergo, si absolute proferatur, maxima differentia, facit maximam distinctionem, quæ sola est distinctio realis. Præterea licet distinctio metaphysica se sola non sufficiat ad distinctionem realem; si tamen sit adiuncta cum distinctione physica, facit distinctionem realem, respectu illius à quo physice distinguitur; licet faciat distinctionem rationis, respectu illius, à quo solum metaphysice differt.

14 Hinc ergo à priori probatur conclusio; nam *differentia importat distinctionem forme, vt docet S. Thomas 1. p. quæst. 31. art. 2. ad 2. sed munus faciendi differre non est aliud,*

liud, quam distinguere, vel separare, ea quæ conueniunt in comuni quasi materia, vel subiecto: quod fit, vel per formam essentialem, vel per formam accidentalem, separabilem, vel inseparabilem: sed huius modi rationes formales faciunt differre realiter: ergo munus faciendi differre est reale. Probat minor: nam omnes huiusmodi formæ includunt oppositionem realem; non cum illo in quo sunt; sed cum illo à quo differre faciunt: ergo licet cum illo faciant compositionem rationis metaphysicam, ab extremo à quo faciunt differre, realiter distinguuntur.

15 Præterea facile probatur: vt munus faciendi differre sit realis, sufficit quod à parte rei detur realis conuenientia, & à parte rei detur realis distinctio realium formalitatum, quarum vna formaliter nõ fit alia: sed totum hoc reperitur formaliter à parte rei. ergo munus faciendi differre metaphysice est aliquid reale. Maior patet ex supra dictis quia in hoc distinguitur esse vnũ diuersum ab alio, ab hoc quod est esse differens ab illo; quod diuersa in nullo conueniunt; differentia autem solum est vbi est conuenientia: Minor verò probatur: quia ideo à parte rei aliqua sunt diuersa, quia à parte rei hoc non est aliud, & fundat relationem diuersitatis ab illo: sed etiam inter ea, quæ conueniunt in genere, vel in specie, aut in subiecto, est verum dicere, quod à parte rei hoc nõ est illud; & quod in hac diuersitate fundetur relatio dissimilitudinis: ergo à parte rei

datur totum, quod requiritur ad munus faciendi differre. ¶ Denique probatur discurrendo per omnia membra prædictæ diuisionis; nõ à parte rei homo non est equus, quia differt ab illo differentia propriissima; à parte rei Cignus differt à Coruo per albedinẽ, quæ est eorũ differentia propria; & à parte rei Petrus albus differt à Petro nigro, ratione accidentis cõmunis: ergo munera faciendi differre, sunt formaliter, & metaphysice, aliquid reale.

16 Ad primum in contrarium responderetur concedendo maiorem & distinguendo minorem: & concedendo illam respectu rationis genericæ, cum qua componit differentia: negando vero illam respectu alterius differentie sibi oppositæ; vt *rationalis*, quæ est differentia propriissima hominis, distinguitur quidem ratione ab animali, quod est in homine, sed differt realiter ab equo ratione inanimabilitatis, quæ est differentia opposita rationalitati.

17 Ad secundum responderetur distinguendo maiorem, & negando illam de contractione formali; & admittendo illam de contractione virtuali. Itaque æquiuocatio oppositæ sententiæ in hoc consistit; quia nescit distinguere inter reale conuenientiam conformitatis, quæ stat cum reali diuersitate; & realem vnitatem identitatis, quæ non cõpatitur cum diuersitate reali. Rursus non discernunt, quod munus faciendi differre ab alio extremo sibi opposito, non est ipsa compositio metaphysica; sed fundamentum compositionis metaphysicæ, quæ

Quæ reperitur in specie, & est tantum per rationem: quia gradus genericus, & differentialis, in specie sola ratione differunt; sed dux differentie reales realiter opponuntur.

Per quod respondetur ad ultimam probationem: quia licet non omnis formalitas sit ratio faciendi differre: tamen ipsa formalitas, que differre facit, est realis, & in re reperitur.

18 Dico tertio: hæc diuisio differentie, & potest intelligi primo intentionaliter, & pro abstracto; potest intelligi secundo intentionaliter, pro ipsa relatione faciendi differre.

Non me latet in hac conclusione non omnes concordare. Nam cõmuniter tribuitur Caietano, quod docuerit diuisionem hanc esse tantum secundarum intentionum: quãuis ipse solum dicat, quod est *diuisio intentionum differentialis*: & non explicet, an loquatur de prima intentione, vel secunda. Sed summandam esse secundo intentionaliter, docet Maius sectione 1. quæst. 2. concl. 2: quia est diuisio directe attinens ad logicum.

Per oppositum; nullatenus posse accipi pro secundis intentionibus, contendit Rubio, q. 2: quia facere diuersum non conuenit secundis intentionibus: & quia actus faciendi differre vnum ab altero, realis est, & conueniens sine vlla dependentia ab intellectu.

19 Nostram tamen conclusionem diligenter probat Sanchez,

lib. 3. tota quæst. 20. quia Logica agit de secundis intentionibus adiunctis primis: & vt diximus explicando definitionem generis, licet formaliter, & essentialiter tractet de secundis intentionibus; tamen ex modo significandi, & in supponendo, agit de ipsis abstractis, & naturis: ergo, vel potest explicari diuisio ex parte abstracti, & ex ipso munere faciendi differre; vel potest explicari diuisio ex parte secundæ intentionis fundatæ in isto abstracto.

### §. III.

#### *Vtrum diuisio sit vniuocata*

20 **H**inc nascitur occasio tertie difacultatis, de qualitate huius diuisionis utroque modo sumptæ? Et quidem loquendo de differentia physice, pro ipsa forma à qua sumitur; manifestum est diuisionem esse analogam: sicut forma analogice dicitur de forma substantiali, & accidentali. Loquendo vero de differentia metaphysice pro munere reali faciendi differre, etiam certum est diuisionem non esse vniuocam, sed analogam; quia differentia propriissima facit differre quidditative, & essentialiter, quod est facere differre simpliciter; aliæ vero differentie faciunt differre accidentaliter: quod est facere differre secundum quid.

21 Ex quo tamen, non bene inferunt Recentiores, hanc diuisionem potius esse nominis, quam  
rela

rei : eo quod , dicunt , hic non diuidi conceptum aliquem communem omnibus differentijs : quia talis conceptus communis non datur ; quia ratio differentia solum inuenitur intrinsece in differentia proprijsima ; propriae vero , & communi solum tribuitur extrinsece , quia sunt signa differentiae proprijsimae : ergo non potest dari vnus conceptus faciendi differre , qui sit communis differentiae communi , propriae , & proprijsimae : & ideo solum nomen erit commune.

22 Hæc tamen Recentiorum positio , sibi non constat : quia ea quæ solum nomen habent commune , non diuidantur analogice , sed æquiuoce : fatentur autem ipsi diuisionem esse analogam : ergo non est diuisio solius nominis.

Secundo : differentiae propriae , & communi vere , & proprie tribuitur munus faciendi differre , sicut formæ accidentali tribuitur proprie , & intrinsece ratio entis : ergo illorum fundamentum non subsistit.

Denique , falsum est , quod differentia communis , & propria solum faciant differre , quia sunt signa differentiae proprijsimae ; quia etiam si hanc non significant ; in suo genere differre faciunt : vt idem individuum diuersis subiectum accidentibus , differt à se ipso communiter , etiam si talia accidentia , non sint signa differentiarum proprijsimarum.

**His ergo relictis ; deponitur**

quæstio ad differentiam sumptam secundo intentionaliter.

23 Diuisionem hanc esse vniuocam , & generis in species , tenent M. Oña , & quidam Complutenses , quos refert , & sequitur Didacus à Iesu disp. 8. quæst. 2. vbi dicit hanc sententiam tenere S. Thomam 5. Metaph. cap. 9. text. 16. lectione 12. vbi nil , quod ad rem faciat , inuenio. Eandem sententiam sequitur Magister Cabero , disput. 4. dub. 2. tribuitur Comibricensibus , & alijs. Probat Didacus à Iesu tribus argumentis. Primum est a paritate : quia sicut non obstante , quod tria prædicabilia priora sint rationes prædicandi essentialiter , & duo posteriora accidentaliter ; tamen vniuersale est genus ad illa , vt supra diximus quæstione 17. ergo non obstante , quod differentia proprijsima sit ratio differendi essentialiter ; alia autem fiat ratio differendi accidentaliter , ratio differentia in communi , essentialiter , & vniuoce illis conueniet. Et omnis inæqualitas erit in rationibus particularibus , & non in ratione abstracta differentia , vt sic.

24 Secundo probat à priori : nam hæc tres differentia rationes vnã habent rationem communem , in qua essentialiter conueniant , nomine differentia significatam , scilicet , esse rationes denominantes naturam , quã faciunt differre ; alias etiam peculiare habet , per quas ad inuicem essentialiter differunt , scilicet , per hoc , quod est esse com-

ntiam; propriam, & propriissimā: ergo sunt eiusdem generis species. & sic appellantur à Porphyrio tres species differenti.

Tertio probatur nam secunda intentio generis dicitur uniuoce de generibus substantiæ, & accidentis, non obstante, quod accidens, physice loquendo, sit ens secundum quid; ergo, non obstante, quod physice loquendo, & primo intentionaliter, sola differentia propriissima sit talis simpliciter, loquendo secundo intentionaliter, potest diuisio esse uniuoca, & generis in species.

25 Nihilominus diuisionem istam, etiam sumptam secundo intentionaliter, esse analogam, communis sententia tenet. Ita B. Albertus tract. 1. in Porphyrium cap. 1. Caiet. & Soto, & communiter Thomista. Item Scotus q. 23. Rubio q. 2. & passim alij Moderni. Eam probat Sanchez lib. 3. q. 25. conclus. 4. his argumentis; primo, quia ratio differentie, sumpta primo intentionaliter, dicitur analogice, ut dictum est quia differentia propriissima, est solum differentia simpliciter, & communis, & propria tantum secundum quid sed est impossibile, quod aliquid dicatur differentia simpliciter secundo intentionaliter, & sit differentia secundum quid primo intentionaliter; sicut non denominatur proprium, neque species simpliciter secundo intentionaliter, quod non est tale primo intentionaliter: ergo, si prædicta diuisio primo intentionaliter est analogica, etiam sumpta secundo intentionaliter, est analogica.

26 Secundo probatur. nam sola differentia propriissima constituit tertium uniuersale, quod prædicatur in *quale quid*: ergo alie sunt differentie secundum quid.

Tertio, & ultimo probatur ab inconuenienti: quia ex priori sententia sequitur, dari tria prædicabilia differentie specie et homa distincta, & ita erunt septem prædicabilia: quia iam diximus in prædicta q. 17. in diuisione prædicabilium numerari species infimas; hoc tamen est contra communem Dialecticorum: ergo tenendum est prædictam diuisionem, tam primò, quàm secundo intentionaliter esse analogam, & non uniuocam.

### §. III.

#### *Resolutio ultima difficultatis.*

27 **Q**uamuis inter has probabiles sententias, hæc secunda, quia communior, sit probabilior; posset tamen alia sententia excogitari; quam subijcio, si forsam alicui proberetur. Distinguo ergo in differentia duas secundas intentiones, saltem partiales; quarum una respiciat extremum, à quo facit differre, speciem constituendo, & ab alijs distinguendo: altera uero constituat differentiam in ratione uniuersalis, per ordinem ad inferiora, in quibus est, & de quibus prædicatur. Ista relationes, esse distinguendas patet à simili, ex dictis de specie subijcibili; quæ sic denominatur in quantum est sub genere, & dicitur

etiam vniuersalis in quantum sub se continet indiuidua; ergo similiter differentia, cum separet ea, quæ sunt sub eodem genere; & potest comparari ad genus, cum quo constituit speciem, & ad differentias specierum, quibus opponitur: & potest comparari ad inferiora, de quibus prædicatur.

28 Dico ergo quarto: secunda intentio faciendi differre, comparata ad subiectum, cum quo constituit speciem, quam facit ab alijs differre, dicitur analogice de differentia communi, propria, & propriissima. Hæc conclusio probatur; quia sola differentia propriissima est constitutiuæ speciei, & generis diuisiua: aliæ vero speciem constitutiuam supponunt. Hanc etiam conclusionem probant fundamenta secundæ sententiæ; quæ reducuntur ad hoc, quod minus faciendi differre conuenit simpliciter differentiæ propriissimæ: alijs vero tantum secundum quid.

29 Dico vltimo: si differentia consideretur formalissime, vt vniuersalis respectiue ad sua inferiora; non video cur non possit vniuoce dici de tribus differentijs prædictis. Hanc meo videri conuincunt primum, & tertium argumentum prioris sententiæ: & quia coordinatio superioris cum inferiori quæ bene reperitur, cum coordinatur forma substantialis, ac cum coordinatur forma accidentalis: immo vniuoce reperitur in entibus realibus, & entibus rationis.

30 Ad fundamenta postero-

ris sententiæ, quatenus huic opponuntur; posset responderi. Ad primum, quod si prima, & secunda intentio respiciant eundem terminum, vel accipiantur ex eodem capite; bene valet, ex analogia diuisionis sumptæ primæ intentionaliter deduci analogia illius super secundo intentionaliter. Si vero sumatur ex diuersis principijs, sæpe contingit cū analogia in esse entis, vniuocatio in secunda intentione; vt satis demonstrant exempla pro nobis adducta.

Ad secundum concedo antecedens, & nego consequentiã, quia alia vniuersalia non distinguuntur à differentia, nisi vt species eiusdem generis: vnde ex eo, quod sola differentia propriissima constituat tertium prædicabile, non sequitur, quod analogice distinguitur ab alijs; sed solum, quod specificè ab illis differat.

31 Ad vltimum respondetur concedo sequelam; non ideo tamen augetur numerus prædicabilium: quia differentia propria reducitur, vel pertinet, ad quartum prædicabile; & differentia communis constituit quintum prædicabile. Ideo autem de illis in isto tertio prædicabili est facta mentio: tum vt agnoscaturn illorum distinctio à differentia propriissima: tum etiam, vt agnosceretur, quod accidentia propria, & communia, non solum habent rationem vniuersalis, sed etiam subiectum faciunt differre, vel inseparabiliter, vel vel separabiliter.

## QVÆSTIO XXV.

*De differentia predicabili.*

## §. I.

*Dubium primum tractatur.*

**A**Nte omnia est antiquum dubium; an differentia constituat in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit, an vero solum respectu inferiorum talis speciei?

Est valde recepta inter Recentiores sententia, quæ asserit differentiam non constitui in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quam constituit; sed per ordinem ad individua. Ita plures, quos referunt, & sequuntur Sanchez lib. 3. quæst. 25. PP. Carmelitani disp. 7. quæst. 2. Magist. Ioan. à S. Thoma, quæst. 10. artic. 3. & passim alij. Quorum ratio est: quia vniuersale, vt tale, prædicatur vt superius de suis inferioribus: sed species non est quid inferius ad differentiam: ergo differentia non est vniuersalis respectu speciei. Probatur minor, primo ex D. Thoma 2. Posteriorum, lectione 13. dicente, differentiam ultimam nullo modo esse in plus quam speciem. Secundo probatur: quia superius, vt docet Philosophus in post prædicamentis, est id à quo non valet subsistendi consequentia: sed à differentia ad speciem va-

let consequentia; & e contra: ergo differentia non est superior respectu speciei.

Confirmatur: quia vniuersale tantum est superius, logice loquendo, respectu eorum, à quibus abstrahitur abstractione vniuersali: sed differentia non abstrahitur à specie abstractione vniuersali; sed tantum abstractione formali: ergo respectu speciei non est quid superius, logice loquendo.

2 Dices, quod quando differentia prædicatur de specie, prædicabitur de pluribus in radice; seu virtualiter: quia prædicatur de specie multiplicabili in indiuiduis.

Sed contra primo: quia indiuidua, prout in specie, non sunt plura, sed vnum: quia, vt inquit Porphyrius, *participatione speciei plures homines sunt vnus homo*: quia in natura adunantur, & solis differentijs particularibus distinguuntur.

Secundo: quando differentia prædicatur de specie: species solum exercet rationem subijcibilis: ergo differentia, eam vt sic actuans, non exercet rationem predicabilis.

3 Non desunt tamen graues auctores, asserentes differentiam vere esse vniuersalem per ordinem ad speciem, quam constituit; & non per ordinem ad genus, vel per ordinem ad inferiora. Ita expresse Beatus Albertus tractatu 5. capit. 1. Caietanus in expositione secundæ definitionis differ-

rentiæ notabili ultimo, & Mag. Soto in expositione textus septimi, & in capite de proprio quaestione 1. ad 5. ubi dicit, quod ad hoc quod proprium sit vniuersale, satis est quod conuertibiliter prædicetur, de specie quæ est vniuersalis. Idem sequuntur Tole- tus & Masius quaest. 8. & alij. Quorum fundamenta sunt duo. Primum est, quia differentia, vt vnum speciale vniuersale, consti- tuitur per ordinem ad speciem, eo quod differentia, vt talis, di- recte respicit speciem; sed vt ta- lis est species vniuersalis; ergo per ordinem ad speciem constituitur in esse vniuersalis. Minor patet: quia est actus speciei constitui- tus, & proprius. Maior vero pro- batur; nam species non prædica- tur de genere, nisi per modum ac- cidentis, vel proprii; de suis au- tem indiuiduis; nempe de hoc, & illo rationali, solum prædica- tur, vt species: de specie autem vere prædicatur vt differentia, vt patet, quia hæc est prædicatio dif- ferentiæ, *homo est rationalis*: ergo per ordinem ad speciem differen- tia est vniuersalis.

4 Alterum fundamentum est; quia reliqua vniuersalia consti- tuuntur in esse talium per ordi- nem ad ea, de quibus immediate prædicantur; vt patet in genere, & in specie: sed differentia immédia- te prædicatur de specie, & media specie de indiuiduis: ergo diffe- rentia in esse vniuersalis, po- tius constituitur in ordine ad spe-

ciem, quam in ordine ad indi- uidua.

§. II.

*Resolutio dubij:*

5 **A** Mbx istæ sententiæ viden- tur simul veræ, quoad id quod affirmant; non autem quoad id quod negant: vnde afferi- mus differentiam constitui in es- se talis vniuersalis, & per ordi- nem ad speciem, cum qua con- uertitur, & per ordinem ad indi- uidua, de quibus species prædica- tur: vnde ambæ istæ prædicatio- nes sunt prædicaciones differen- tiæ: *homo est rationalis*: *Petrus est rationalis*. Explicatur conclusio: nam hoc vniuersale, vt ab alijs distinguitur, tria respicit; nempe, genus, quod contrahit: & spe- ciem cum qua conuertitur, & in- diuidua, in quibus species multi- plicatur; licet ergo, comparative ad genus, non explicetur vniuer- salitas: comparative tamen ad speciem, vt multiplicabilem in inferiora, vniuersalitas explica- tur.

6 Vnde sic probatur prima pars conclusionis: Quidquid con- uertibiliter prædicatur de vni- uersali, vt vniuersale est, & ipsum formaliter est vniuersa- le; sed differentia conuertibili- ter prædicatur de specie, non so- lum vt subijcitur generi, sed vt in potentia continet in- diuidua: ergo differentia:

ut respicit speciem est vniuersalis. Maior patet; alioquin, non conuerteretur cum vniuersali, ut vniuersale est; minor vero probatur; quia species, quatenus multiplicabilis in inferiora, non solum dicit gradum genericum, cui subijcitur; sed differentiam, qua constituitur: vnde tota essentia speciei plurificatur in indiuiduis: sed hoc habet formaliter ratione differentie: ergo formaliter, ut vniuersalis, prædicatur differentia de specie, ut vniuersali. Et sic cessant fundamenta contraria: quia indiuidua, prout in specie, sunt vnum vnitatem vniuersalis, cum quo optime stat esse multa in potentia, & particulariter.

7 Secunda pars nostræ assertionis; præterquam quod patet, ex fundamentis prioris sententiæ. Vterius probatur ex regula antepredicamentali: *quidquid de superiori prædicatur, prædicatur de inferiori*: quam regulam dicit Magister Soto intelligendam de eodem genere prædicationis, ut si hæc est prædicatio generis: *homo est animal*; hæc etiam est prædicatio generis: *Petrus est animal*; & si hæc est prædicatio differentie: *homo est rationalis*; hæc etiam erit prædicatio differentie: *Petrus est rationalis*; & eadem ratione, quia risibile prædicatur de homine prædicatione proprii, etiã de indiuiduis tali prædicatione prædicatur; quia essentia indiuidui, nõ est alia ab essentia speciei, & generis; & ideo quod est proprium speciei est proprium

indiuidui. Et hoc videtur intendere Pater Rubio cap. de Proprio, quæstione 2. dicens, constitui in ordine ad indiuidua, ut participant rationem speciei.

8 Fatemur tamen magis explicitè relucere rationem vniuersalis cum in ipso exercitio differentie prædicatur de contentis sub specie, quia ibi relucet superioritas; hanc tamen habet differentia, ex eo quod est actus constituens speciem, cum qua conuertitur, & quam vbique committatur. Hoc præmissio.

### §. III.

*An secunda definitio conueniat omni differentie?*

9 **I**Nter definitiones differentie a Porphyrio adductas, secunda est, quæ maiorem ingerit difficultatem; quæ sic breuiter proponitur. Dantur differentie ultimæ, quæ cum speciebus conuertuntur; sed istis, non conuenit definitio differentie a Porphyrio assignata: ergo non est bona. Maior est Philosophi 7. Metaphys. text. 42. & 43. & S. Thomæ ibidem lectione 12. & 2. Posterior. lectione 13. & ratione probatur: quia differentia sumitur à forma, ut sumitur ex Philosopho 8. Metaphys. text. 6. sed in qualibet re est sua propria forma, seu actus ultimus quiddi-

ratiuus, quo vltimate in sua quidditate constituitur: ergo in qualibet re, est propria differentia vltima, & simplex; vt diligenter probant Sanchez lib. 3. quaestione 34. & Mafsius hic quaestione 6. & post eos alij. Prima verò minor manifesta est; siquidem differentia vltimæ, quæ cum speciebus infimis conuertuntur, non prædicantur de pluribus differentibus specie, sed tantum de pluribus differentibus numero: vt *ratiuale*, tantum prædicatur de Petro, & Paulo, & alijs indiuiduis hominis; non autem de equo, & bove, & alijs specie differentibus.

10 Huic difficultati, licet multipliciter occurrant Expositores: celebriores tantum solutiones referemus. Prima est adeo antiqua expositio, quod illam refert Auicena, apud B. Albertum tractatu 5. capit. 6. quam nouissime defendunt, & late exponunt M. Ortiz tractatu 3. conferent. 5. §. 3. & Magister Lerma lib. 4. quaestione 15. conclusione 2. qui asserunt quod, vt diffinitio competat omnibus differentijs, illa particula, *de pluribus differentibus specie*, debet exponi; non differentibus specie inter se; sed *differentibus specie ab alijs*. Quorum ratio est, quia proprium fundamentum differentie, est quia diuidit genus, constituendo speciem, & faciendo vnam speciem differre specie ab alia; quod quia soli differentia proprijsimæ conuenit; ideo sola illa constituit hoc tertium prædicabile: sed op-

timus modus diffiniendi relationes est, exponere illarum propria fundamenta; & secundæ intentiones optime exponuntur per primas, in quibus fundantur: ergo prædicta definitio, sic exposita, optime explicat essentiam differentia.

11 Sed obijcies: nam in diffinitione aliorum prædicabilium, *ly, differentibus specie*, intelligitur, non ab alijs, sed inter se: ergo pariter in diffinitione differentia debent istæ voces accipi; ne dicamus voces esse æquiuocas, & ineptas ad diffinitionem.

Respondent, particulas debere intelligi iuxta subiectam materiam; est autem specialis ratio in differentia, quæ cogat verba definitionis sic exponere: quia proprius eius actus est separare, ea quæ sunt sub eodem genere, & ita non solum respicit inferiora, quæ continet; sed extrema opposita, à quibus facit differre.

12 Secundo obijcies: diffinitio sic exposita, posset dari prædicari de pluribus differentibus genere: quia *ratiuale*, non solum distinguit Petrum ab indiuiduis eiusdem speciei; sed etiam ab alijs, quæ differunt specie, & genere; imò, & prædicamento.

Respondetur, quod quæ pertinent ad diuersa prædicamenta, non proprie dicuntur differre, sed esse primo diuersa; quæ autem sunt in eodem prædicamento, vel differunt specie subalterna, vel infima; & cum dicunt differen-

tiam facere differre specie ab alijs non intelligunt determinate de specie subalterna, vel infima; sed indeterminate: vt autem notat M. Soto quaestione de Genere ad tertium, nullum genus praedicatur de pluribus differentibus genere: quia secundum Philosoph. 5. Metaphys. textu 12. aliqua differre specie, nihil aliud est, quam differre diffinitione: nam vt ibi ait S. Thomas lectione 6. nihil definitur, in rigore, nisi species. Vnde Philosophus ait, quod illa solum differunt genere, quae differunt praedicamento.

§. IV.

*Tractatur sententia Caietani, & aliorum.*

13 **S**ecundus dicendi modus est, quod in definitione differentiae positivae exponuntur, ea quae sunt essentialia differentiae, vt sic; in quibus conveniunt differentia subalterna, & infima: quia tamen istae inter se solum differunt accidentaliter; ideo ratio essentialis explicatur positivae; & accidentalis solum negativae, seu per non repugnantiam. Ita B. Albertus, quem sequuntur Caietanus, & Soto insolut. ad 6. quorum sententiam probabilem reputant Toletus in praesenti, & Araujo lib. 3. Metaphys. quaestione 4. artic. 6. Petronius lib. 5. Logicae quaestione 3. artic. 3. & alij Thomistae, Quorum fundamentum est;

quia diffinitio quanti, quibusdam convenit positivae, & alijs per non repugnantiam; vt Coelo, & minimo naturali; quibus repugnat divisio ratione subiecti non vero, quia quanta sunt. Quod sumitur ex D. Thoma 1. Physicorum lect. 9. Quia igitur differentiae, in quantum differentia est, non repugnat praedicari de pluribus differentibus specie; sed haec repugnantia illi convenit accidentaliter, ex parte subiecti; ideo debet exponi diffinitio negativae, seu per non repugnantiam.

14 Sed obijcies primo: nam diffinitio debet explicare positivae, non solum rationem communem, sed rationem peculiarem diffinitam; quia est oratio explicans, essentialiam rei: ergo non debet dari per non repugnantiam.

Respondetur, quod conceptus essentialis rei diffinitae, debet positivae explicari in diffinitione: essentialis autem ratio differentiae sufficienter exprimitur in ordine ad speciem, quam constituit: de illis autem, quae illi accidunt, in quantum est haec, vel illa species, sufficit, quod id, quod est notius, explicetur positivae; & quod id, quod est minus notum, explicetur per non repugnantiam.

15 Secundo obijcies: nam si iste modus diffiniendi admittatur, sequitur quod definitio speciei possit convenire alteri: & ita haec esset bona definitio equi: *equus est animus rationalis*: quia licet

cor, *rationale*, repugnet equo, in quantum hinnibilis est; non tamen repugnat in quantum animal est. Similiter sequitur, quod hæc definitio differentia conueniat omni vniuersali: quia licet generi, & speciei, in quantum talia sunt, repugnet prædicari *in quale quid*; non tamen in quantum vniuersalia, & prædicabilia sunt.

Dices non esse eandem rationem; quia ea, quæ adducuntur in argumento sunt differentia essentialia; at verò in casu nostræ definitionis, sunt differentia accidentales.

16 Sed contra hoc est; quod quamuis esse subalternam, & infimam sint rationes accidentales respectu differentia, vt sic; sunt tamen differentia inter se opposita: ergo, vel dicendum est, esse definitam solam differentiam, vt sic; cuius tamen oppositum constat ex ipsa definitione; vel definitio, non conueniet omni contento sub definito. ¶ Præterea: prædicari de pluribus differentibus specie, non conueniet positue differentia, vt sic; quia nulli differentia positiue repugnet; cum tamen constet differentiam ultimam, in quantum talem, non posse prædicari de pluribus differentibus specie: ergo definitio, non debet explicari per non repugnantiam. ¶ Ista tamen, & alias replicas præuenerat Caietanus distinguens in differentia, id quod conuenit illi formaliter, in

quantum differentia est; & id quod conuenit illi, quasi materialiter; ratione subiecti; formaliter proprius actus differentia solum est prædicari *in quale* de specie; permittit tamen, seu pertingere potest, vt plura de quibus prædicatur, etiam differant specie.

17 Ad maiorem expositionem sententia Caietani; seu ad eam emolliendam, seu eius rigorem mitigandum, notat Magister Ioannes à Sancto Thoma quaestione decima articulo secundo, non dixisse Porphyrium, quod differentia est, *que prædicatur de pluribus specie differentibus*; sed asseruit, est, *que prædicatur de pluribus, & specie differentibus*; interposuit enim illam particulam, &; vt distingueret inter prædicari de pluribus absolute, *in quale*; in quo conueniunt omnes differentia; in illa verò additione, & *specie differentibus*, specialiter subalternas indicauit; quasi diceret: differentia est, quæ de pluribus prædicatur in quale; etiam si illa plura sint specie differentia. Et ita particula & æquiualeat particula *etiam*: ac prouide, seu sensus Porphyrij est, differentia est, quæ de pluribus prædicatur in quale quid; etiam si talia plura sint specie differentia. Vel, vt inquit Pater Didacus à Iesu disputatione octaua quaestione vltima in fine, qui etiam inuenit mysterium in illa particula, &. Sensus est, prædicatur de pluribus; immo de differentibus specie in

qualequid. De isto dicendi modo, inquit, prædictus Magister Ortiz relata conferent §. 1. quod iste modus explicandi hanc definitionem clarus, & facilis est, & contra ipsum nil difficultatis occurrit.

18 Mihi tamen scrupulum inijcit, quod illa particula, &, in qua totum mysterium adinuenitur, non inuenitur in translatione Boetij apud Caietanum. Quamuis autem in translatione Perionij habeatur; cæterum iuxta eandem translationem, etiam reperitur in definitione generis: in qua constat particulam illam mysterio vacare; & non sumitur copulatiue, sed disiunctiue. ¶ Solum posset quis dicere, quod iuxta translationem Argiropyli, talis particula non habetur in definitione generis, & habetur in definitione differentie. Hoc tamen discrimen ad Interpretem potius, quam ad Authorem libri, arbitror referendum. Qui tamen istam sicut, & præcedentes expositiones, vellet defendere; nullo euidenti argumento poterit impugnari: quamuis octo congerat Sanchez lib. 3. quæst. 24. contra sententiam Caietani.

§. V.

*Facilior solutio.*

19 **F**acilior tamen, & intensior definitio confor-  
mior solutio, est quæ primo loco traditur ab ipso Caietano; &

est iam communiter recepta in scholis; & asserit quod Porphyrius, solum diffinit differentias subalternas. Cur autem infimas non diffinierit? variae assignantur, rationes; prima est Caietani: quia differentie infimæ communiter, nec nominatæ, nec cognitæ sunt, vt docet S. Thomas 2. Posterior. lectione 13. vel vt ait Massius sect. 1. quæstione 1. ad 1. quia alie diffinitiones conueniebant omnibus differentijs; hæc assignauit, quæ conueniret soli subalternæ. Vel, vt dicit ipse Massius, & alij, quos referunt, & sequuntur Patres Carmelitani disput. 7. quæst. 3. num. 36. Ideo solum diffiniuit subalternam; quia eius vsus in diffinitionibus, in diuisionibus, & disputationibus, frequentior est; & sic imitatus est Philosophum 1. Posteriorum cap. 14. & sequentibus; & 1. Topicorum cap. 3. qui eodem fere modo definiuit.

§. VI.

*Dubium tertium soluitur.*

20 **T**ertio principaliter solet inquiri; vtrum differentia infima includat subalternas?

Respondetur negatiue; loquendo in sensu formali. Ita docet Philosophus 4. Topicorum capit. 2. loco 18. & 22. vbi ait: *Manifestum igitur, quod non participat genus differentia.* Idem docet 3. Metaphysicorum textu 10. Vbi Sanctus Thomas lectione 8. & lib. 5. lectione 12. & lib. 1. Contra gentes cap.

cap. 17. & cap. 7. de Ente & essentia; & Authores communiter. Nec oppositum docet M. Soto quæst. de Genere ad 2. quin potius ibi ait; quod nulla differentia prædicatur de alia *quidditative*. Solum concedit, quod prædicatur *mediate*; quia differentia superior est de essentia generis, & genus de essentia speciei; de cuius essentia est differentia. Quod totum verissimum est; sed ex inde solum inferitur, quod differentia infima materialiter, & identice, includat subalternas, ut etiam asserit Philosophus 7. Metaphysic. textu 43. iuxta expositionem D. Thomæ ibidem lectione 12. quod nullus negat. ¶ Probatur conclusio ratione M. Soto: nam differentia, non constat ex genere, & differentia, sed est simplex conceptus obiectivus, contrahens genus ad speciem: ergo formaliter loquendo, tantum dicit propriam rationem, & non includit formaliter prædicata superiora. Probatur antecedens; nam si differentia constaret ex genere, & differentia, rursus illa secunda differentia constaret ex alio genere, & alia differentia, & sic esset processus in infinitum. Deinde: quia si differentie infimæ formaliter includerent subalternas, non essent primo diversæ: cuius oppositum supra ostendimus. Denique, actus est extra rationem potentie, quam contrahit; sed differentia contrahit genus, & est eius actus: ergo est extra eius rationem: ergo est extra eius differentiam, qua constituitur.

21 Sed obijciens: nam quælibet differentia ultima habet aliqua prædicata communia sibi, & alijs; nam *rationalis*, v. g. non est accidens, sed substantia: ergo vel est corporalis, vel spiritualis, &c.

Respondetur; quod habent aliqua prædicata superiora, quæ reductivè, & minus proprie pertinent ad prædicamentum; non verò directe ponuntur in prædicamento; neque in recta linea; neque ad latus. Unde, loquendo de substantia prædicamentali in sensu formali, *rationalis*, non est substantia; & consequenter, nec incorporea, neque corporea. Loquendo autem de substantia late, ut distinguitur contra accidens; est substantia, quia est differentia constitutiva speciei, quæ est substantia.

22 Secundò obijciens: nam in isto syllogismo: *Omnis homo est sensibilis: omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale est sensibile*, Est bona consequentia: & in præmissis extremitates prædicantur formaliter de medio; ergo in conclusione, *sensibile*, quod est differentia subalterna, prædicatur formaliter de *rationali*, quod est differentia infima.

Solet responderi negando consequentiam: quia solum sequitur prædicari identice; non verò formaliter, quia ille syllogismus est in *darapti*: & ita est in tertia figura; in qua solet contingere, quod ex præmissis in sensu formali, inferatur conclusio in sensu identico: ut si dicatur: *Omnis lac est al-*

*bum: omne Lac est dulce : ergo aliquod dulce est album.*

23 Sed instabis ; nam iste syllogismus est formalis consequentia : *Omnis homo formaliter est sensibilis : omnis homo formaliter est rationalis : ergo aliquod rationale formaliter est sensibile.* Ergo differentia subalterna formaliter prædicatur de differentia inferiori.

Respondetur cum M. Ioanne à S. Thoma questione 10. articulo 4. ad confirmationem primi ; quod variatur appellatio ex diuersa applicatione illius particulæ *formaliter* , quæ in præmissis habet locum , secus verò in conclusione : quia quod est formale respectu vnius , non est tale respectu alterius. Videatur prædictus Magister.

### 9. VII.

*Ultimè dubitatur , utrum quælibet differentia sit perfectior genere?*

24 **R** Espondetur cum D. Thoma questione vnica de spiritualibus creaturis articulo 8. ad 9. quod illud quod constituit in specie, est nobilius eo, quod constituit in genere ; sicut determinatum indeterminato : habet enim se determinatum ad indeterminatum, vt actus ad potentiam ; non autem, ita quod semper illud quod constituit in specie, ad nobiliorem naturam pertineat : vt patet in

speciebus animalium irrationalium : non enim constituuntur huiusmodi species, per additionem alicuius naturæ nobilioris, supra naturam sensitivam, quæ est nobilissima in eis ; sed per determinationem ad diuersos gradus in illa natura. Videatur S. Thomas 1. parte questione 50. articulo 4. ad 1. & questione 75. articulo 2. ad 2. & in 2. sententia. distinctione 13. questione 1. articulo 6. ad 1. ex cuius doctrina argumenta contra hoc diluunt P. Rubio capit. de Differentia questione 6. & Patres Carmelitani disputatione 7. questione 5. & abundantius Magister Sanchez lib. 3. quest. 30.

25 Vnum tamen non est omitendum, quia nobilius est prædicari, *in quid*, quam prædicari *in quale* : sed genus prædicatur *in quid*, & differentia *in quale* : ergo genus est nobilius differentia. Maior patet ; quia *quid* est relatiuum absolutum ; significans substantiam per modum per se stantis ; *quale* verò est adiectiuum, seu connotatiuum, significans per modum accidentis, seu alteri adiacentis : ergo nobilius est prædicari *in quid*, vt prædicatur genus ; quàm prædicari *in quale*, vt prædicatur differentia.

Respondetur, quod differentia non prædicatur pure *in quale*, sed *in quale quid* ; ex ea parte qua prædicatur *in quid*, denotatur quod pertinet ad substantiam ; ex ea verò parte, qua prædicatur *in quale*,

le, prædicatur; ut determinatiuum substantiæ: unde licet *secundum quid*, & *quoad modum significandi*, imperfectius significetur differentia; tamen simpliciter, ex parte rei significatæ, excedit, quia ut habetur opusculo 48. apud D. Thom. cap. 4. dicitur differentia prædicari *in quale*, idest, *adiectiue*. Cuius ratio est: nam differentia diuisiua alicuius generis, sumitur à perfectione, quam non habent omnia, quæ sunt sub genere: quæ perfectio comparata ad illud unde sumitur genus, se habet ut quoddam perfectum, & per consequens, ut formale: & quia adiectiua communiter à formis sumuntur, quæ formæ habent adiacere: ideo ad designandum, quod differentia sumitur à solo formali, & illud solum dicit explicite, perfecta est differentia per modum adiectiui in sui prædicatione. Hæc ibi.

## QVÆSTIO XXVII.

### *De proprio.*

1 **Q.** Vætuor acceptiones proprii, quas Porphyrius constituit, desumpsit ex Philosopho primo Topicorum capite quarto, paucis mutatis. Nam Philosophus primam, & secundam acceptionem in vnum coniunxit, & appellauit *proprium ad aliquid*, seu respectiue, seu comparatiue, nempe, respectu alterius speciei, vel indiuidui. *Proprium autem in ter-*

cia acceptione appellat. Philosophus *proprium quando*, quia, videlicet, non conuenit semper, sed tempore determinato; sicut canescere in senectute. *Proprium autem in vltima acceptione definit Philosophus dicens: proprium est, quod non indicat quid esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur.* Ex ista autem definitione Philosophi, & ex vltima acceptione Porphyrii, talis deducitur descriptio proprii opusculo 48. apud D. Thomam tract. 1. cap. 6. *Proprium est, quod inest vni, & semper; & conuersim prædicatur de se.*

2 Sed antequam definitionem explicemus; circa exemplum, quo Porphyrius explicat tertiam acceptionem, est dubium; nam etiam alia animalia præter hominem in senectute canescunt; ergo canescere, non conuenit soli homini.

Respondet Magister Soto quæstione prima de proprio ad secundum, quod albi pili mulorum, non sunt canicies; sed est alia passio, quæ nullo modo est illis propria, nec conuenit illis solis: cum conueniat equis, neque conuenit omnibus.

3 Hæc solutio non caret difficultate: nam Philosophus 5. de Generatione anim. capit. 4. assignans causam canicei, asserit, quod est humor putrescens in radicibus capillorum, qui vi caloris naturalis extincti, & consumpti totaliter consumi nequit: sed

hic humor putridus, non minus reperitur in canibus, equis, & alijs animalibus, quam in homine: ergo canities non est hominis propria.

4 Respondetur cum Mafio, Didaco à Iesu, & alijs, quod in rigore, & metaphysice, ita est, vt replica probat. Sed vt in plurimum, frequentior est, & magis nota canities in hominibus, quam in alijs animalibus: & hoc sufficit, vt in exemplum adducatur, quia exemplum, non requiritur omnimoda veritas. Hoc supposito, pro definitionis, & diuisionis intelligentia.

### §. I.

#### *Dubium primum.*

5 **D**ubitatur primò; an ratio formalis proprij, sit realis, vel rationis?

Supponunt omnes, quod si proprium sumatur *physice*, communiter est aliquid reale: quia proprium est id quod Philosophus *proprium passionem* vocat, vt notatur prædicto opusculo 48. capit. 6. propria autem passio entis realis, quid reale est. ¶ Est etiam certum, quod proprium secundo intentionaliter, siue vt prædicatum, siue vt prædicabile, est aliquid rationis, & vocatur proprium *logice*. Difficultas ergo solum est de proprio *metaphysice*, an sit reale, vel rationis?

6 Afirmat P. Didacus à Iesu disputat. 9. questione, 1. dubio 3.

quod ratio formalis proprij specificæ, vt sic, non est realis, sed rationis. Quod probat quatuor argumentis; sed duo sunt præcipua; primum est; nam proprium specificum est, quod conuenit speciei adæquate, & cum illa conuertitur: sed hoc non habet hæc, aut illa risibilitas, sed risibilitas à suis inferioribus abstracta; quia est proprium respectu naturæ, vt sic; ergo ratio formalis proprij conuenit per abstractionem intellectus, à quo, & habet unitatem; ergo est aliquid rationis.

Secundum; in ratione proprij specificæ includitur, quod conueniat *omni*; seu quod commune sit omnibus indiuiduis, aut inferioribus speciei; alias non conueniret *omni*: sed hanc conuenientiam non potest habere à parte rei, sed per intellectum: ergo ratio proprij, intentionalis erit, & non realis.

7 Subdit tamen idem Author secundam conclusionem, dicens, quod ratio formalis proprij alicuius indiuidui, realis est, & non rationis: ratio est, quia hæc risibilitas est propria huius hominis: sed hæc risibilitas realis est, & à parte rei conuenit huic indiuiduo, & cum illo conuertitur: ergo proprium singularizatum alicuius reale est.

8 Verumtamen M. Cabero tractat. 3. disput. 5. dub. 2. num. 11. ait, quod ratio formalis proprij alicuius indiuidui, metaphysice sumpta, est aliquid rationis; quod probat: nam proprium, vt pro-

proprium, est *conuersim predicabile*; sed prædicabile, non est formaliter loquendo ens reale, sed rationis; ergo hoc risibile est proprium per operationem intellectus.

Confirmatur; quia indiuiduum, vt prædicabile de vno, non est ens reale, sed rationis; ergo proprium, vt prædicabile conuersim, non erit ens reale, sed rationis.

9. Hæc vltima sententia laborat in æquiuoco: quia eius probationes, solū procedunt de proprio, vt est prædicatum, vel prædicabile; in quo sensu omnes admittunt esse aliquid rationis; cum tamen quæstio sit de proprio metaphysice sumpto: per hanc doctrinam dubium nō est solutum.

10. Dicendum est igitur, propriū metaphysice sumptum, in recto significare aliquid reale; licet de connotato, significet operationem intellectus, vel abstrahentis, vel connexionem essentiae cum passione cognoscentis. Hæc conclusio sequitur ex dictis quæst. 24. loquendo de differentia. Et est communiter recepta. Probatque: quia proprium metaphysice, est idem, ac propria passio: & hæc est, quæ in demonstratione concluditur conuenire subiecto: sed hoc formaliter est aliquid reale; ergo proprium metaphysice est aliquid reale.

Secundo probatur; nam propriū metaphysice est significatum primæ intentionis proprii: sed hoc est aliquid reale; siquidem est id quod necessariam, & naturalem connexionem habet cum natura specifica; quod inuenitur in omnibus in

quibus reperitur species; & de quo verificatur definitio proprii primo intentionaliter sumpta: ergo proprium metaphysice est aliquid reale.

11. Ad argumenta contraria responderetur, quod sicut prima intentio obiectiua directe significat aliquid reale, sed connotat cognitionem intellectus, vel eius abstractionem: ita proprium metaphysice sumptum, significat propriam passionem realem; sed connotat cognitionem, vel abstractionem intellectus cognoscentis: connexionem necessariam, & dantis unitatem, & communitatem.

12. Aduertendum autem, quod distinctio inter proprium subalternum, specificum, & indiuiduale, solum est per rationem; sicut solum in ratione dantur actus, & formaliter species subalternæ, & infimæ, & distinctio illarum ab indiuiduis. Sed ista dicuntur talia metaphysice, quia sunt remote in rebus, & proxime in abstractione, vel præcisione intellectus; ibi tamen, non est secunda intentio, nec prædicati, nec prædicabilis; quia istæ sunt secunda operatione intellectus.

## §. II.

*Secundum, & tertium dubium.*

13. **D**ubitatur secundo; an proprium dicatur uniuoce, vel analogice de propriis in quatuor acceptionibus recensitis à Porphyrio?

Respondetur, quod loquendo de proprio primo intentionaliter, diuisio est analogica, vt notat Magist. Soto in expositione textus notabili ultimo: quia principaliter dicitur de proprio quarto modo, & minus principaliter de proprio tribus prioribus modis, & Philosoph. 1. Topicorum capit. 3. & 4. proprium quarto modo appellat simpliciter proprium, reliqua vero solum secundum quid.

14. Loquendo autem de secunda intentione predicati, vel de secunda intentione predicabilis, potest ab omnibus illis abstrahi vna ratio vniuersalis: quia id quod est in aequalitatis, se habet, materialiter, & praesuppositiue; vt in simili diximus loquendo de secunda intentione differentiae.

15. Sed hinc nascitur tertium dubium; an proprium solum quarto modo acceptum constituat hoc predicabile.

Respondetur affirmative; quod vt notat Caietanus, colligitur ex Philosopho 1. Topicorum cap. 3. & *esse certissimum* dicit Sanchez lib. 1. quaest. 35. & alij Auctores frequenter idem sequuntur, vt referunt PP. Carmelitani disput. 8. quaest. 1. & probatur primo: nam tria genera proprii; vere pertinent ad quintam predicabilem; siquidem illis conuenit eius definitio; & omnes eorum praedicationes sunt simpliciter accidentales: ergo simpliciter non pertinent ad quartum; nisi secundum quid, & per reductionem.

16. Praeterea probatur; nam

potissima differentia inter propriam passionem & accidens commune est, quod accidentia propria oriuntur ab essentia ratione formae, & per se primo conueniunt speciei: at vero accidentia communia communiter oriuntur ratione materiae, & per se primo conueniunt indiuiduis: vt sumitur ex Philosopho 10. Metaph. textu 25. & docet S. Thomas 7. cap. de Ente, essentia, & in primo distinct. 17. quaest. 1. artic. 2. ad 2. & 1. Posteriorum lect. 14. Sed hoc simpliciter conuenit solum proprio quarto modo: ergo solum quarto modo constituit hoc predicabile. Probatur maior, quia non alia de causa propriae passionis insunt *omni, & semper*, nisi quia dimanant a forma specifica, quae inuenitur in omnibus indiuiduis eiusdem speciei, vt habetur praedictio opusc. 48. apud D. Thomam cap. 6. & ipse S. Thomas. 1. p. q. 77. artic. 1. ad 5. ait, quod *proprium ex principijs essentialibus speciei causatur*. Videatur etiam primo Posteriorum lectione. 10. Denique idem constat, ex his, quae diximus de differentia communi, & propria.

17. Sed in contrarium arguit P. Fonseca 5. Metaphysic. cap. 28. sect. 19. quaest. 1. ad 1. & 2. nam quod conuenit *omni, & semper*, conuenit *necessario*; sed proprium in secunda acceptione conuenit *omni, & semper*: ergo conuenit *necessario*: ergo pertinet simpliciter ad quartum predicabile.

Respondetur negando maiorem

rēm ; quia accidentia in separabilia, vt albedo. Cigni, & Nigredo Cornu, conueniunt, *omni & semper*; & tamen non conueniunt necessario simpliciter ; sed solum secundum quid : quia non dimanant à principijs essentialibus, seu formalibus; sed ex dispositione materiae, seu subiecti. De quo quaest. 27. n. 16.

18 Iterum obijcies : nam si non pertinent illae tres acceptiones ad hoc praedicabile, frustra Porphyrius de illis hic mentionem fecit.

Respondetur, quod egit de illis, quia erant proprietates secundum quid : & vt illis cognitae venirent in notitiam proprii, quod pertinet ad hoc praedicabile; & vt ait Caietanus per locum à diuisione explicuit Porphyrius tres condiciones simul requiritas, ad id, quod est proprie proprium, & per illarum carentiam, constituuntur tres acceptiones proprii, minus proprie sumpti.

## §. III.

*Dubium quartum.*

19 **Q**uarto inquitur ; an proprium constituatur in esse vniuersalis per ordinem ad speciem? An vero per ordinem ad indiuidua?

Respondetur constitui in esse vniuersalis respectu speciei, vt partibilis in indiuiduis : licet ma-

gis explicitè reluceat proprii vniuersalitas respectu indiuiduorum formaliter in quantum continentur à specie, seu eam participant. Hæc conclusio quoad vtramque partem probata est quaest. præcedente, §. 2. num. 6.

20 Nunc solum addendum, quod prior pars aperte deducitur ex Porphyrio, & habetur opusc. 48. apud D. Thomam tractatu 1<sup>o</sup> capit. 7. vbi dicitur: ex dictis patet, illud quod dicit Porphyrius, quod *proprium prius conuenit speciei, & posterius indiuiduis*; quod oppositum est de accidenti communi. Si enim proprium respicit indiuidua, in quantum participant formam specificam; per prius ergo verificatur de specie, quam primo respicit, quam de indiuiduis; & per consequens indiuiduis conuenit, quia conuenit speciei. Accidentis autem cum non respiciat subiectum, nisi ratione inherentiæ, & per prius conuenit substare indiuiduis, quam secundis substantijs: accidens ergo conuenit speciei ratione indiuidui. Hæc ibi: vbi est sermo de accidenti praedicabili, vt patet ex fine capit. 8. & ex initio capit. sexti.

21 Indequè formatur ratio à priori: quia secunda intentio praedicabilis proprii, logice sumpti, fundatur supra primam intentionem, seu supra proprium metaphysice acceptum; non enim esset vniuersalitas logica, nisi præcederet vniuersalitas metaphysica; sed metaphysice

sic loquendo, ideo propriae passion-  
nes conueniunt indiuiduis, quia  
dimanant à principijs speciei; ergo  
formaliter constituuntur in esse v-  
niuersalis per ordinem ad spe-  
ciem.

Præterea probatur: nam sæ-  
pe diximus, quod proprium, &  
propria passio, pro nunc, pro eo-  
dem sumuntur: sed propria pas-  
sio conuenit necessario, & omni-  
bus indiuiduis, quia conuenit spe-  
ciei, de qua etiam demonstra-  
tur; vt patet ex Philosopho 1.  
Posteriorum capit. 4. ergo pro-  
prium, vt proprium, respicit spe-  
ciem immediate.

22 Secunda pars assertionis  
facile probatur; quia vniuersa-  
le, vt vniuersale, est quid su-  
perius ad ea in quibus est, &  
de quibus prædicatur; sed hanc  
superioritatem formalissime exer-  
cet proprium respectu indiuiduo-  
rum vt participant speciem, &  
speciei proprietates: ergo res-  
pectu illorum, magis relucet  
proprij vniuersalitas. Vnde op-  
time notauit S. Thomas 1. Pos-  
teriorum lectione 9. quod propria  
passio prædicatur, *per se, & de om-  
ni: per se* quidem ratione naturæ à  
qua dimanant, *de omni* autem res-  
pectu contentorum sub tali na-  
tura.

### §. III.

#### Dubium quintum.

23 **Q**uinto dubitatur: an pro-  
prium subalternum per-

tineat ad hoc prædicabile?

Videtur enim quod non: nam  
Porphyrius in præfenti, & Philo-  
soph. 1. Topicorum capit. 4. solum  
distinguit proprium infimum: ergo  
illud tantum pertinet ad hoc præ-  
dicabile.

Præterea, opusc. 48. apud Diu.  
Thomam capit. 7. dicitur: sciendū  
autem, quod licet proprium *stric-  
to modo* sumptum, solum conueniat  
vni speciei specialissimæ: tamen  
*large modo* nihil prohibet proprium  
etiam conuenire speciei subalter-  
næ, quæ, videlicet, potest esse ge-  
nus: dicimus enim, quod proprium  
trianguli est habere tres angulos  
æquales duobus rectis; & tamen  
triangulus multas continet sub se  
species: ergo solum admittit, quod  
proprium subalternum est large  
proprium, ac proinde, proprie non  
pertinet ad hoc prædicabile.

24 Respondetur, quod pro-  
prium potest accipi dupliciter:  
primo *strictissime*: & sic solum pro-  
prium speciei infimæ habet ratio-  
nem proprii: & sic accipitur in  
authoritatibus relatis, quia scilicet spe-  
cies infimæ est simpliciter species. De-  
cundo accipitur proprium in *largiori*  
*significatione*, secundum quod signi-  
ficat propriam passionem speciei  
subalternæ, vel infimæ: & sic vere,  
& proprie pertinet ad hoc prædi-  
cabile: & de proprio in isto sensu lo-  
quitur S. Thomas 7. cap. de Ente,  
& essentia dicens: *accidentia vero,  
quæ consequuntur formam, sunt propria  
passiones, vel generis, vel speciei; vnde  
inueniuntur in omnibus participantibus  
naturam generis, vel speciei: vnde po-  
ten-*

sentia sensitiva; quæ sequuntur gradum animalis; & nutritiua, quæ sequuntur gradum viuentis, & aliæ huiusmodi passiones vere pertinet ad hoc prædicabile.

## §. V.

*Exponuntur definitiones.*

25 **V**ltimo ex dictis intellectæ manent definitiones proprii. Circa quas notandum, quod Louanienses, & alij, arbitrantur definitionibus relatis, non fuisse definitum proprium, vt est quartum vniuersale; sed ea ratione præcisse, qua est quartum prædicatum, seu proprietas quædam ad essentiam specificam constitutam consequens, ex ipsius speciei principijs. ¶ Per oppositum Sanchez lib. 3. quæst. 37. cum Mag. Soto in præsentu notabili 3. & cum alijs Thomistis, distinguit inter definitionem Porphyrij, & definitionem Aristotelis: nam definitio Philosophi est proprie logica; quippe, quæ datur per terminos secundæ intentionis, & explicat proprium, quatenus est quartum prædicabile. Definitio autem Porphyrij, vel quæ ex eius diuisione deducitur, potius videtur explicare naturam proprii secundum esse reale, vel secundum suum esse metaphysicum.

26 Sed parum refert hoc, vel illo modo exponere: vnde bene subdit Mag. Soto: quomocumque autem sit, sensus definitionis est iste: Proprium est vniuersale, quod prædicatur de specie accidentaliter, &

intransmutabiliter. Accidentaliter, ad differentiam vltimæ differentia: intransmutabiliter, ad differentiam accidentium communium. Conuertibiliter, ad differentiam proprii secundum quid, seu proprii in tribus prioribus acceptionibus.

27 Disputant hic non nulli; vtrum propria passio distinguatur à subiecto? Vel vtrum ab eo possit diuinitus separari? Sed quæstiones istæ non sunt Logicæ, sed Physicæ; & ideo non hic; sed suo loco sunt per tractandæ.

## QVÆSTIO XXVII.

*De accidente quinto prædicabili.*

## §. I.

*Definitiones accidentis.*

1 **A**Nte omnia præmittenda est vulgaris distinctio accidentis prædicamentalis, & prædicabilis; quæ traditur à D. Thoma de Spiritibus creaturis artic. 11. & 1. p. q. 77. artic. 1. ad 5. accidens prædicamentale diuiditur contra substantiam: & sic dicitur accidens, quod non habet esse per se, sed in alio. Quod diuiditur in nouem genera; de quibus agemus lib. sequenti. Accidens vero, quod est vnumquingue vniuersalium, significat id quod est extra essentiam rei, & non causatur ex principijs essentialibus speciei: siue sit entitatis substantia, siue ens reale, siue rationis: quia dum præ-

prædicetur omnino accidentaliter, seu contingenter, erit prædicatio accidentalis; siue id quod prædicatur sit substantia, siue accidens: ut aurum accidit vasi, & existentia indiuiduo, & secundæ intentiones accidunt primis; quamuis, neque aurum, neque existentia, nec secundæ intentiones, sint accidentia prædicamentalia.

2 De accidente tres diffinitiones adduxit Porphyrius, & licet Auicena relatus à B. Alberto tractatu 7. cap. 1. & alij, repræsentant Porphyrium, eo quod nõ tradiderit diffinitionem accidentis, quatenus est quintum prædicabile; tamen oppositum plane constat; tum ex intentione Porphyrii; tum ex eius tertia diffinitione, in qua accidens, de quo loquitur, explicat per negationem aliorum prædicabilium: ergo loquitur de accidente prædicabili, & ipsum intendit prioribus diffinitionibus diffinire: nam vltima diffinitio, ut obseruat Philosophus 1. Topicorum cap. 4. non seruat regulas exactæ diffinitionis; quia datur per negationem aliorum; verum tamen, iuxta subiectam materiam, sufficiens est, quia cum iam essent nota alia quatuor prædicabilia, per quorum negationem datur; facile intelligitur proprium subtractum huius prædicabilis.

Hac tamen diffinitione omis-

sa, alix dux exami-  
nanda sunt,

\* \* \*

## §. II.

### *Duo argumenta soluntur.*

3 **E**T contra eas est primum argumentum: nam nulla diffinitio debet dari per opposita; sed hæc datur per *adesse*, & *abesse*: quæ sunt opposita: ergo non est bona.

Non de sunt aliqui Recentiores, qui verba diffinitionis intelligant in sensu copulatiuo; quia licet respectu subiecti singularis, accidens idem non possit adesse, & abesse; tamen respectu corporis, vel subiecti adæquati, adest, & abest idem accidens.

4 Hanc tamen positionem recte impugnat Mag. Ioan. à S. Thoma, qua st. 12. art. 1. quia Porphyrius diuidit accidens in separabile; & in inseparabile, tanquam in accidentia diuersa: quod falsum est in sententia, quam impugnamus; quia omne accidens est inseparabile ab adæquatione omnium subiectorum; est vero eparabile ab inadæquatis subiectis. Deinde, quia aliqua accidentia sunt, quæ separari possunt à rota adæquatione subiecti: ut Grammatica, loquutio, & alia huiusmodi: nam si tantum darentur duo homines, non Grammatici, neque loquentes; accidentia ista nullibi existerent.

5 Recurrendum ergo est ad communem solutionem, quod definitio datur per disiunctionem: cuius sensus est, iuxta Cajetanum, *accidens est cuius neque affirmatio, ne-*

que

que negatio subiecti rationem tollit; quia salua essentia subiecti, potest conuenire, & non conuenire.

Sed instabis: nam bona diffinitio non potest dari per opposita, etiam *disiunctiue*; quia definitio explicat quidditatem; quæ cuiusque rei est terra, & determinata; ac proinde non debet explicari indeterminate, & *disiunctiue*.

6 Respondet Magist. Soto cap. de accidente quæst. vnica ad 2. quod definitio quidditatiua, non debet dari per disiunctionem, cum quidditas rei sit vna; sed tamen descriptionem, qualis est hæc, nihil vetat dari per disiunctionem: sicut enunciationem describit Philosophus 1. Periherm. quod sit *oratio, in qua verum, vel falsum est*: sed circa hæc videantur, quæ diximus lib. 2. Dialecticæ cap. 7. ad 2.

7 Secundo arguitur: quia hæc prædicatio, *homo est mortuus*; pertinet ad hoc prædicabile; & tamen prædicatum, non potest adesse, sine subiecti corruptione: quia mors hominem destruit: ergo definitio non conuenit omni contento sub definito. Maior patet: quia illa est prædicatio alicuius prædicabilis, vt patet: & non apparet, ad quod aliud pertineat: ergo pertinet ad quintum.

Propter hoc argumentum, Magister Cabero in præsentis disputatione §. dubi 3. in fine, sic exponit diffinitionem, quod verba illa, *absque subiecti corrup-*

*tione*, appellant supra verbum illud, *abesse*; non vero supra verbum illud *adesse*; quia licet accidens adesse possit cum subiecti corruptione: vt adesse dicitur mors, quæ non potest adesse sine corruptione subiecti: potest tamen quodlibet accidens abesse, absque subiecti corruptione.

8 Hanc tamen intelligentiam, verba ipsa diffinitionis, non admittunt, & sola construtione Grammaticali attenda, euasio excluditur. Vnde iam diu notauerat Magister Soto in solutione ad 3. quod *ly præter subiecti corruptionem*, determinat ambo verba *adesse*, & *abesse*.: Ex ideo sano, & proportionali modo est intelligenda, nam sonat, quod accidens, postquam semel adest, potest adesse sine destructione subiecti: id est absentia accidentis, non est causa destructionis subiecti, & cum abest, potest aduenire subiecto, non destructo.

9 Qua propter quidam Recentior Societatis Iesu, respondet, quod subiectum illius prædicationis, non est *homo*, vt cumque sumptus: sed prout existens tempore antecedenti. Cum autem homini prout existenti tempore antecedenti, contingenter adueniat mors tempore subsequenti: nec hæc destruat illius existentiam in tempore præexistenti, sed in tempore sequenti: hinc fit quod mors est prædicatum acciden-

dentale, & non destruat subiectum quatenus subiectum huius propositionis est.

10 Hæc tamen euasio in terminis implicat, quia homo prout existens, non est mortuus; ergo si ibi importatur homo prout existens, propositio, nunquam erit vera.

Secundo: mors est priuatio vitæ; sed homo reduplicatiue, prout existens, non priuatur vita; ergo homo, prout existens, non est mortuus: ergo ille non est sensus illius propositionis.

Denique, vt notat S. Thomas 3. p. quæst. 50. artic. 4. vnio animæ, & corporis complet essentiam hominis; & cum mors destruat vnionem; mors facit, quod, qui erat homo, non sit homo; & ita post Christi mortem; & ante eius Resurrectionem, hæc erat falsa, *Iesus est homo*: quod neququam verum esset, si mors non destrueret hominem; rejicienda est ergo præfata euasio.

11 Facilius ergo respondent Thomistæ, quod mors potest sumi, vel respectu corporis, seu materiæ, vel respectu totius; & isto secundo modo, adhuc dupliciter; vel in facto esse, & complete, vel in fieri, seu in via: vt dicitur mori, qui habet morbum lethalem.

Loquendo de morte comparative ad hominem, illa prædicatio, non est quinti prædicabilis, quia prædicatum repugnat subiecto, & destruit illud, vt notat Caietanus d. 1. conceditur autem illa propositio, quia per ampliationem extenditur subiectum, pro illo quod

fuit, nam olim homo, modo est mortuus.

Si autem mors accipiatur in fieri, & in via: sic illa propositio est quinti prædicabilis, vt exponit Sanchez lib. 3. quæst. 43. ad 3. quia stantibus dispositionibus ad mortem, hominis esse, etiam adhuc non tollitur.

Si denique fiat comparatio ad corpus: sic vere est prædicatio quinti prædicabilis, vt cum Mag. Soto explicant PP. Carmelitani disput. 9. quæst. 1. num. 7. in fine: quia secundum modum communem loquendi, corpus, quod modo viuit, idem postea erit mortuum, quod verificatur propter identitatem materiæ, licet forma sit diuersa.

### §. III.

#### *Tertia difficultas soluitur.*

12 **T**ertia, & maior difficultas est: nam, vel illa verba, *quod ad est, & ab est a sique sub. e. d. corruptione*, intelliguntur physice, & realiter, de inhaerere, & non inhaerere: vel intelliguntur tantum per rationem, & secundo intentionaliter? Sed neutro modo definitio potest exponi: ergo non est bona. Minor quoad primam partem patet, quia definitio sic intellecta, non conueniret accidenti in separabili: cuius contrarium constat ex ipso textu; nam accidens, quod definit Porphyrius, immediate diuidit inseparabile, & in inseparabile. Quoad secundam vero partem

facilius probatur minor; quia definitio sic intellecta, conuenit alijs à definito, videlicet, proprio; nam propria passio non est de conceptu, & quidditate rei, cuius est passio; sed est quid posterius illi, & effectus eius: ergo, si per intellectam præscindatur, seu negetur de essentia, integra manebit essentia ratio: ac per consequens, poterit cogitatione, & intellectu adesse, & abesse, absque subiecti corruptione.

13 Secunda parte huius argumenti permotus Hurtado disp. 6. sect. 6. non veretur concedere in ep tam definitionem traditam fuisse à Porphyrio. Et in idem reddit, quod ait Arriaga disput. 8. sect. 3. prædictam definitionem quartum, & quintum prædicabile comprehendere.

Sed propter argumentum iam diu ab authoribus solutum, non debuerunt Recentiores à communi DD. recedere. Præcipue cum Porphyrii prima definitio sit ex Platone desumpta, vt testatur P. Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 28. q. 19. sect. 3. atque adeo, ipsa antiquitate commendabilis.

14 Qua propter Toletus, & Rubio quæstione 2. definitionem quidem admittunt; sed verba eius exponunt de præsentia, & absentia reali.

Hæc tamen expositio, in primis aduersatur textui: nam Porphyrius expresse saluat albedinem, & nigredinem esse accidentia communia: quia licet Coruo, Erbyopi ve, inseparabiliter accidat; mente tamen, cogitatio-

ne ve, Coruus albus, & Erbyops, non niger sine subiecti corruptione concipi potest: ergo Porphyrius manifeste suam definitionem exposuit. Quo sensu eam intellexit S. Thomas de spiritualibus creaturis art. vltimo ad 7. & cõmuniter Expositores.

15 Rationeque facile patet: quia hic intenditur notitia ipsius secundæ intentionis; & definitur ipsam accidens, quatenus substat intentioni, seu quatenus prædicatur in concreto de substantia: ergo optime exponitur, *ly adesse, & abesse*, secundum intellectum; seu de affirmatione, & negatione, absque eo, quod tollatur essentia, seu definitio subiecti. Deinde, quia accidentia prædicabilia, & non prædicamentalia, in quibus prædicatur aliquid, quod entitatiue est substantia, vere pertinent ad hoc prædicabile: quia prædicantur contingenter, vt late Sanchez lib. 3. tota q. 44. ergo in definitione, non est sermo de inharmonia reali vere, & proprie.

16 Igitur ad priorem partem argumenti, aliqui videntur negare, accidentia huius prædicabilis esse inseparabilia. Et in particulari, loquendo de nigredine Corui, Didacus à Iesu disput. 6. q. 2. dub. 1. in fine, negat, quod sit accidens inseparabile, & quod omnibus cõueniat: tum quia pulli semper albi nascuntur: tum quia multi Corui visi sunt albi in Scithia, vt referunt graues authores; & Aristot. 5. de partibus animalium, & 5. de Generatione animalium capit. 8. & Scaliger exercitatione 56. capit. 1. hoc idem asserunt: & Syponinus Af-

ntur se Neapoli vidisse Coruum album, apud Alphonsum Sicylie Regem tempore Calixti Pontificis Maximimo Coruum grande uisum albi, & canescere: & Cinesimus, ex B. Alberto, assignat modum quo reducuntur albi, videlicet, si nidus Coruorum esset in montibus frigidis, & ouum Corui circumhneretur argento uiuo, & humore viscoso Anseris, aut Cati, qui est frigidissimus; nascerentur Corui albi. Quod tandem confirmat illud Tubenalis: *Coruo quoque rarior albus*: ubi licet rarum, non tamen impossibile denotatur; ergo nigredo in Coruo non est accidens inseparabile.

17 Sed quidquid sit de hoc; quia Porphyrius praesupponit Coruum non posse naturaliter esse album: & dicitur alia accidentia communia, quae sunt naturaliter inseparabilia; sicut sunt masculinum, & feminum, & alia similia.

18 Ideo melius responderetur cum Sancto Thoma, quod accidens commune differt ab accidente proprio, quod propria causantur ex principijs speciei: & ideo accidens proprium conuenit indiuiduis ab essentia speciei; accidens uero commune e conuerso, prius natura conuenit indiuiduo, & ratione indiuidui conuenit speciei, ut sumitur ex Philosopho cap. de substantia, & docet S. Thomas cap. 4. de Ente, & essentia; & esse doctrinam receptissimam Peripateticorum, testatur Magister Soto quaest. unica de accidenti ad 4. de

quo latius PP. Carmelitani dist. 9. tota quaest. 2.

19 Differentia autem, inter accidentia separabilia, & inseparabilia, explicatur a S. Thoma quaest. unica de anima artic. 12. ad 7. nam accidentia, quae causantur ex principijs indiuidui; quaedam habent causam permanentem in subiecto; & haec sunt accidentia separabilia sicut masculinum, & feminum, alia similia: quaedam uero habent causam, non permanentem in subiecto; & haec sunt accidentia separabilia; ut *sedere & ambulare*. Unde nigredo Corui, cum proueniat ex calidissima complexioné matricis, quae est causa permanens, est accidens inseparabile.

20 Ad secundam partem argumenti, patet ex modo dictis; quia in definitione accidentis, intelligitur essentia, seu quidditas; & ita per hoc sufficienter differt ab accidente proprio. Unde docet S. Thomas quaest. unica de spiritualibus creaturis, articulo ult. ad 7. quod non est repugnantia intellectuum, quod accidens etiam inseparabile, negetur de subiecto; quidditativè sumpto. Haec autem repugnantia est, si negetur proprium de subiecto: quia *secunda operatione, intellectus* (inquit S. Thomas) *non potest intelligere substantiam sine proprio: non enim potest intelligi, quod homo non sit risibilis, aut triangulus non habeat tres angulos, equales duobus rectis; hic enim est repugnantia intellectuum; quia oppositum praedicati dependet ex natura subiecti,*

21 Sed instabis : nam propria passio diuinitus potest à subiecto separari : separata autem passione à subiecto, hæc propositio esset falsa: *homo est visibilis* : ergo falso asserit S. Thomas , quod est repugnantia intellectuum essentiam esse sine proprio.

Respondetur , non deesse grauiissimos Thomistas , qui maiorem negant ; vt videri potest in Caietano 1. part. quæst. 54. art. 3. & id esse probabilius de mente S. Thomæ censet Capreolus in 1. sent. distinct. 3. quæst. 3. Sed quia oppositum docent communiter DD. & id esse *dubitatum* dixit Magister Soto quæstione 2. de proprio ad 5. & esse de mente S. Thomæ ostendit Ferrara 4. contragent. cap. 65. de quo aliquid dicemus in libris de Anima: ideo concessa maiori ; distinguitur minor ; & conceditur , si assermet actualem existentiam : negetur vero , si neget potentiam connaturalem ad propriam passionem ; quia , vt notat Magister Soto , quamuis visibilis , & intellectus separentur ab homine , nihilominus esset intellectiuus , & visibilis in potentia remota essentiali ; quia in secundo modo dicendi per se

exigerentur naturaliter à subiecto.

(. .)



### §. III:

*Definitiones exponuntur ; & dubium soluitur.*

22 **E**X dictis facile patet sensus definitionis ; in qua directe explicatur substractū secunda intentionis. Vt autem explicite explicetur accidens , quatenus vniuersale ; sic definitio explicatur à M. Soto , vel ad hanc formam redigitur : *accidens est vniuersale , quod prædicatur de pluribus accidentaliter , & inæstabiliter* ; vt per vltimam particulam differat à quarto prædicabili ; quod non conuenit contingenter sicut accidens.

23 Circa secundam definitionem notat Caietanus , quod differt à prima ; quia secunda magis explicite , naturam accidentis declarat ; ait enim : *accidens est , quod contingit eidem inesse , & non inesse* : vbi ly , *contingit* , explicat potentiam logicam , vt sumitur ex Philosopho 1. Topic. cap. 4. quæ est potentia propria accidentis ; de quo videatur opusc. 48. apud D. Thomam tract. 1. cap. 8.

24 Sed adhuc duo restant dubia ; primum est respectu quorum inferiorum constituatur accidens in esse prædicabilis ?

Respondetur , constitui in esse talis per ordinem ad subiecta , quæ accidentaliter denominat . Ratio est ; quia hoc prædicabile , prædicatur *in quale accidentaliter , & contingenter* ; sed hoc solum habet accidens respectu substantiæ ;

Q2

non

non verò respectu huius, & illius accidentis illi inferiorum: ergo respectu inferiorum non constituitur in esse quinti prædicabilis. Vnde istæ prædicationes, *Petrus est albus, Ioannes est doctus*, pertinent directe ad hoc prædicabile; istæ verò prædicationes, *hoc album est album, album est coloratum, vel albedo est qualitas*, pertinent ad speciem, vel ad genus.

25 Sed obijcies: omnia quinque prædicabilia sunt essentialiter vniuersalia; quia vniuersale est genus ad illa; sed accidens respectu subiecti, non prædicatur essentialiter, sed tantum denominatiue: ergo non constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad subiectum, sed per ordinem ad sibi inferiora.

Respondetur, quod secunda intentio huius prædicabilis, comparata ad sibi superius, participat essentialiter rationem vniuersalis; comparata tamen ad naturam, cui est ratio prædicandi, facit prædicare accidentaliter: sed de his latissime Sanchez lib. 3. tota questione 45.

### §. V.

#### *Vltima dubitatio de accidente prædicabili.*

26 **A**lterum dubiū est; an hoc prædicabile solum sit tale respectu subiectorum existentium? An verò etiam respectu possibiliū?

Patres Conimbricenses in præ-

senti, & Pater Fonseca 5. Metaph. cap. 28. questione 20. & Didacus à Iesu disput. 10. q. 2. ad tertium in 1. solutione; dicunt accidens commune non posse habere rationem vniuersalis, nisi respectu subiectorum, in quibus actu est; quia cum prædicetur accidentaliter, & contingenter; si actu non insint, propositiones erunt falsæ. Deinde: quia existentia possibilis, non prædicatur accidentaliter, sed essentialiter.

27 Oppositum tamen tenendū est, cum M. Iohn. à S. Thoma q. 12. artic. 2. difficultate 3. & alijs Recentioribus, videlicet, quod nullo subiecto existente, sed solum possibili manente, accidens esset vniuersale, & prædicabile. Quod probatur, primò, ex differentia, quæ est inter prædicationem, & prædicabilitatem: nam illa dicit exercitium, & actum secundum existentiam exercit; ista verò solum actū primum, & aptitudinem: sed stante impedimento actus secundi, potest esse aptitudo, seu potentia, & actus primus: vt inductione patet: & per se notum est, quia plus exigitur ad actum secundum, quàm ad actum primum: ergo, etiam si in illo euentu actuales prædicationes, quæ affirmarent actualem præsentiam accidentis in subiecto, essent falsæ: tamen illæ, quæ solum dicerent aptitudinem, quam habent accidentia, vt dicantur de suis subiectis, essent veræ: & hoc sufficeret vt dicerentur accidentia vniuersalia, & prædicabilia. Sicut etiã, physice loquendo, accidentia se-

para-

prata à subiecto, habent aptitudinem, vt sint in illo: quia inhaerentia aptitudinalis non potest à subiecto auferri.

Dices, negari non posse tales prædicationes esse veras: sed tamē erunt essentialis; quia possibilitas respicit quidditatem, & essentiam: quam etiam habent accidentia: ac per consequens, illæ prædicationes non erunt quæ prædicabilis; quod prædicatur accidentaliter contingenter: sed vel erunt prædicationes generis, de specie, vel differentia.

28 Sed contra, aperitur solutio nis æquiuocatio, & argumenta soluentur secunda ratione conclusionis. Pro qua notandum, ex D. Thoma 1. p. q. 86. art. 3. quod contingencia dupliciter possunt considerari: vno modo secundum quod contingencia sunt: alio modo secundum, quod in eis aliquid necessitatis inuenitur: nihil enim est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat: sicut hoc ipsum quod est *Sortem currere*, in se quidem contingens est, sed habitudo cursus ad motum, est necessaria: ne-

cessarium enim est, *Sortem moueri, si currit*: & ideo ipse S. Thomas 6. Metaph. lectione tertia, littera, a, docet, quod conditionalis vera, est necessaria.

29 Igitur accidentia, comparata ad suum genus, & ad suam differentiam, & ad propriam speciem, & indiuidua; non prædicantur contingenter, sed necessario: vnde non prædicantur *in quale contingenter*; sed *in quid essentialiter*: comparata verò ad subiectum, prædicantur *in quale accidentaliter*, vt iam dictum est. Similiter ipsa possibilitas, de subiecto prædicatur essentialiter: nam homo quidditative est possibilis, quia essentia rerum, metaphysice sumptæ, necessario sunt, vt diximus 1. p. Metaphys. Controu. 7. artic. 1. supposita autem subiecti possibilitate, de illo prædicantur accidentia contingenter, sicut proprietates necessario: vnde de creaturis mere possibilibus possunt fieri prædicationes propriæ, & accidentis. Et sic conclusio probata, & argumenta manent soluta.



LOGICÆ  
LIBER SECVNDVS,  
CONTINENS QVÆSTIONES  
SVPER LIBRVM PRÆDICAMEN-  
TORVM ARISTOTELIS.  
P R O L O G V S.

**L**OGICAM ab hoc libro Philosophorū Princeps *Aristoteles* inchoavit: quia cum tota sit directiva operationū intellectus: & prædicamentorum notitia directe ad primā operationē dirigendam ordinetur; ideo per se loquendo ei primus locus debetur, vt hic notavit Cardinalis Caietanus. Coacti tamen sumus, cum cōmuni DD. hucusque differre: nam vsque modo legentes non erant illius doctrinæ capaces.

2 Libri author fuit Aristoteles, Philosophorum celeberrimus; imò illorum Princeps. Licet enim Iamblicus (referente Boetio) Archita Tarentino hunc deferat honorem; tamen Aristotelis esse indubitatum opus, constat: tum, quia vt tale à D. Thoma, & ab omnibus antiquis, & modernis, agnoscitur: & etiam, quia breuitas, & sententiarum pondus, & doctrinæ veritas, Philosophum eius au-

thorem proclamant: & ipse de hoc opere alibi mentionem facit, non semel.

3 *Aristoteles*, dicitur *Stagirites*; eo quod, *Stagira* Macedoniae vrbe oriundus, patre *Nicomacho* medico ortus; vel anno primo nonagesimæ Olympiadis Græcorum, ante aduentum Christi annis circiter octoginta supra trecentos, vt ait Magister Soto hic: vel iuxta Cronologiam Cardinalis Bellarmini, ante partum Virginis anno trecentesimo vigesimo nono. Propriæ verò ætatis anno decimo septimo Academiam Platonis, Philosophi Athenis celeberrimi, frequentavit. Postea tredecim annos publice docuit; & ad Alexandri Magni institutionem à Philippo Macedonum Rege euocatus est. ¶ Quia verò dictus est, *Princeps Peripateticorum*; huius vocabuli variæ referuntur occasiones; quidam dicunt, quod, *peripateticus*,

*tein*, significat de ambulare; & quia in more habuit, de ambulando docere; ideo dictus est, *Peripateticus*. Dicitur alij locum in quo Aristoteles docebat, vocatum; *Peripaton*, ac si latine diceretur, *deambulatorium*; & inde nomen traxisse. Locus etiã ille vocabatur *Licciũ*, seu *Liceũ*.

4 De illius laudibus multa congerunt M. Maffius, PP. Conimbricenses, & alij: sufficiat, quod post duo annorum millia, eius doctrina adeo floret, ac si nunc ipse viueret: quod fere miraculum est; cum in rebus humanis nihil sit fixum, & stabile. Sed reuixit in Angelico Doctore S. Thoma Aquinate, eius fidelissimo Interprete, cuius doctrinam in æternum non defecturam Sanctissimus Patriarcha Franciscus, cum Christo regnans, reuelauit. Non mirum autem, quod Doctor Angelicus Aristotelem reliquis præculerit Philosophis: quia de illo inquit Coelius Rodiginus lib. 16. cap. 34. *collatum illi esse quicquid humano ingenio capi potest.*

5 Inscríbitor liber iste, *Categoria*, græce, & latine, *Prædicamenta*. Verbum autem græcum *Categoria*, duo, præter alia, significat, scilicet, *demonstratio*, & *prædico*. S. Augustinus tomo 1. lib. *Categoriarum*, dicit sic appellari: quia sunt quædam rerum demonstrationes ante oculos positæ. Alij verò auctores frequenter, videntur deducere à significatione de *ly prædico*, vel *enuntio*. Vnde opusculo 48. apud Diuum Thomam tractatu 2. capit. 1. dicitur, quod *prædicamentum dicit, quædam prædica-*

*bilis ordinata in ordine prædicamentorum.* Ex quo bene infert Magister Soto, quod Prædicamentum non supponit pro genere generalissimo; sed pro tota serie prædicabilium: & sic accipitur à Philosopho 5. *Metaphys.* textu 12. & à Porphyrio cap. de *Specie*: & hoc est huius libri subiectum. ¶ Multæ præximales quæstiones, quæ hic solent disputari, ex prioribus qq. libri primi, difficultate vacant.

6 Cum in Græco liber, non in tractatus, sed tantum in quatuordecim capitulis diuisus; Expositores pro maiori claritate in tres præcipuas partes, seu tractatus, diuiserunt, in *Antepredicamenta*, *Prædicamenta*, & *Postpredicamenta*: quatuor priora capita sunt de ante prædicamentis: quinque subsequentiæ de prædicamentis; & quinque, quæ restant de Postprædicamentis. Quam partitionem nos sequentes, breuem summam textus in quolibet tractatu ante quæstiones præmitteremus.

*Summa capituli primi Antepredicamentorum, de Æquiuocis Vniuocis, & Denominatiuis.*

**T**Ria definit Philosophus in hoc capite, videlicet, *Æquiuoca*, *Vniuoca*, & *Denominatiua*. *Æquiuoca* dicuntur ea, quorum nomen solum eadem est; ratio vero substantiæ nomen accipit data, diuersa: vt, animal, de homine viuo, & picto. *Vniuoca* ea dicuntur, quorum, & nomen eadem est; & ratio substantiæ nomen accipit eadem est: vt, animal, de homine

& equo. Denominatiua, ea dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent solo differentia casu: vt, à Grammatica, Grammaticus appellationem habet, & à fortitudine, fertis.

*Summa capitis secundi, de Complexis, & Incomplexis.*

**P**roponuntur in hoc capite duæ diuisiones, & vna definitio. Prior diuisio est: eorum quæ dicuntur, alia cum complexione dicuntur: vt homo currit: alia sine complexione: vt; homo. Secunda diuisio: eorum, quæ sunt, alia de subiecto quidem dicuntur, in nullo verò sunt prorsus subiecto: vt homo: alia in subiecto quidem sunt, de nullo verò subiecto dicuntur; vt hoc album: alia de subiecto dicuntur, & in subiecto etiam sunt: veluti scientia, quæ est in anima, & de Grammatica dicitur vt de subiecto: alia neque in subiecto sunt, neque de subiecto villo dicuntur, vt quidam homo, & quidam equus. Definitio est: in subiecto esse dico, quod in aliquo quidem est, & non vti pars; vt si autem, seorsum ab eo, in quo est, fieri nequit.

*Summa capitis tertij de Regulis.*

**C**aput hoc continet duas regulas ante prædicamentales. Prima: cum quippiam de quopiam prædicatur, vt de subiecto; ea quæ de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de subiecto: vt homo prædicatur de Petro, animal autem de homine; & ideo animal prædicatur

de Petro. Secunda regula: eorum; quæ sunt diuersa genere, & non ita se habent, vt alterum subaltero collocetur, diuersæ sunt specie differentia: eorum verò generum, quorum alterum subaltero collocatur, easdem esse differentias nihil obstat.

*Summa capitis quarti, de decem prædicamentis generatim.*

**C**ontinetur in hoc capite diuisio entis in decem prædicamenta. Nam eorum, quæ nulla complexione dicuntur, singula, aut substantiã significant, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid: aut vbi, aut quando; aut sicut esse, aut habere, aut agere, aut pati. Subdit, quod omnium istorum proprietas est, vt secundum se sumpta, cum nulla affirmatione, aut negatione dicantur: probat, ex eo quod omnis affirmatio est vera, vel falsa; incomplexa autem, qualia sunt prædicamenta, non dicuntur verum, vel falsum.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrum tres definitiones ante prædicamentales recte sint à Philosopho constituta?*

**I**N ista, & sequenti questione complectemur omnia, quæ in ante prædicamentis docuit Philo-

sophus; vt deinde aliæ quæstiones exortæ, & ab Authoribus hîc disputari solitæ, à nobis pertractentur. In ista ergo quæstione dicemus de definitionibus; & in sequenti de diuisionibus, & regulis antepredicamentalibus.

## §. I.

*Quædam prænotantur.*

2. **A**Nte omnia præmittenda est descriptio ante prædicamentum triquæ talis traditur à Mag. Soto: *ante prædicamenta sunt: præambula, quæ ad notitiam prædicamentorum viam aperimus;* quorum notitia ad cognitionem prædicamentorum prærequiritur. Addit tamen Mag. Iauellus tract. 5. cap. 1. quod ad ante prædicamentum, strictè sumptum, requiritur quod conducatur *immediate* ad prædicamentorum notitiam comparandam: nam prædicabilia, etiam conferunt, & conducunt ad notitiam prædicamentorum: cum prædicamenta sint *coordinations prædicabilium;* sed non conducunt ita immediate, sicut ante prædicamenta, de quibus modo loquimur: quia ista, supposita notitia prædicabilium, proxime, & immediate conducunt ad ordinanda prædicamenta.

3. Pro quo secundo notandum, ex B. Alberto tractatu 5. capit. 2. & ex communi DD. quod prædicamenta tripliciter comparari possunt; seu tres habent respectus, seu habitadines: vel enim comparantur ad ens, quod est prædicatum

superius, & transcendens, & analogice dicitur de omnibus prædicamentis; vel comparantur ad sua inferiora; vel denique conferuntur ad inuicem. Comparata ad ens, solum conueniunt analogice: & sic ens de eis dicitur æquiuoce: quia analogia sub æquiuocis comprehenduntur, vt ad hoc intentum notatur opusc. 48. apud D. Thomam tract. 2. cap. 1. Attenta autem cõparatione ad inferiora, prædicantur vniuoce. Si autem nouem genera conferantur cum substantia, de illa prædicantur denominatiue. Et hæc est ratio quare Philosophus coactus est hic has tres definitiones præmittere. Habetur etiam illarum ordo: quia licet vniuoca, dignitate præcedant æquiuoca; tamen, quia comparatio prædicamentorum ad ens, præcedit cõparationem illorum ad sua inferiora; ideo definitio æquiuocorum præcedit definitionem vniuocorum.

4. Aliam rationem harum antepredicamentaliu diuisionu assignat Mag. Iauellus cap. 2. dicens: ideo Aristot. ista tria definiuit, vt admoneret adiscentem, nullum æquiuocum reponendam esse in prædicamento: & quod tota coordinatio vnius prædicamenti, deberet constare ex vniuocis; doceretque, quomodo accidentia reducenda sunt ad substantiam: per prædicationem denominatiuam: quia accidentia in concreto sumpta de substantia prædicantur denominatiue.

5. Specialiter pro intelligendis dit-

diffinitionibus vniuocorum, & æquiuocorum, notandum cum communi DD. quod res, & voces, dicuntur æquiuoca, & vniuoca. Res dicuntur *æquiuoca æquiuocata*; quia nomine æquiuoco significantur. Nomen vero dicitur *æquiuocum æquiuocans*; quia significat æquiuoce. Aristot. in præfenti intendit diffinire æquiuoca, æquiuocata; & ideo diffinit ea in plurali numero; quia vna res æquiuoca esse non potest, neque vniuoca: cum vniuocatio in hoc consistat, quod res plures, nomine, & ratione conueniant; & æquiuocatio in hoc, quod nomen vnum plures habet rationes, & significaciones.

## §. II.

*Exponitur definitio æquiuocorum.*

6 **I**gitur æquiuoca sic diffiniuntur à Philosopho: *æquiuoca dicuntur ea: quorum nomen solum commune est; ratio vero substantia, nomini à commodat, & diuersa: vt animal, dicitur, & ipse homo, & id quod est pictū.*

Circa quam diffinitionem notat Boetius, quod ideo Philosophus dicit *æquiuoca dicuntur*, & non dixit *æquiuoca sunt*; quia res non sunt per se, aut æquiuocæ, aut vniuocæ; sed solum sunt tales per respectum ad nomen, quo significantur; vt enim acute notauit Caietanus hic, *æquiuocari præsupponit vocari, quod rebus ex nomen in bus accidit: quemadmodum vicissim, & nomē respectu rerū est aut æquiuocum, aut vniuocum.*

7 *Ly, nomen, in præfenti non*

accipitur specialiter, pro vna parte orationis condistincta contra verbum, & participium, vt ex Boetio communiter docent DD. quia æquiuocatio, etiam cōtingere potest in alijs partibus orationis, vt *profiteor* significat, & docere, & discere: & *fero*, portare, & dicere, & particula *ne* est dictio negandi, interrogandi, & exortandi. Accipitur ergo *nomen*, prout est idem ac terminus; quasi *notamen*, id est mentis nota, id est, nota eorum, quæ sunt in anima: & sic accipitur à Philosopho 1. Periherm. capit. 3. & sic accepimus lib. 1. Dialecticæ cap. 1. q. 2.

8 Adde etiam Mag. Soto in præfenti quæst. vnica ad 1. quod vt terminus sit æquiuocus, debet esse omnino idem orthographia, & accentu, qua propter *ly amo* vt est verbum, & vt est ablatiuus de *ly hamus*, non est æquiuocum: quia dum est ablatiuus scribitur cum aspiratione. Neque *occido*, vt dicitur à *cado*, & à *cedo*, est æquiuocum: quia habet diuersos accentus.

9 *Ly, ratio*, in præfenti, est id, quod directe significatur per nomen: & vt ait S. Thomas in primo sentent. distinct. 2. quæst. 1. art. 3. ratio est id quod intellectus concipit de re: qui quidem conceptus in habentibus diffinitionem, exprimitur per illam; & in rebus non habentibus diffinitionem, exprimitur per aliquam descriptionem ipsarum propriam; & sic *substantia* significat vniuoce omnes substantias, ea ratione qua *sunt per se*; quæ est descriptio substantiæ: & sic de alijs generalissimis.

10 Circa illam particulam, *substantia*, notandum ex Philosopho 5. Metaphys. textu 15. & ex D. Thoma 1. p. quæst. 29. artic. 2. quod *substantia* dicitur dupliciter: vno modo dicitur substantia *quidditas* rei, quam significat definitio, secundum quod dicimus, quod definitio significat substantiam rei: quam quidem substantiam Græci *ousiam* vocant, quod nos *essentiam* dicere possumus. Alio modo dicitur *substantia* subiectum, vel suppositum, quod subsistit in genere substantiæ. De substantia in ista acceptione diceretur tractando de primo prædicamento. Nunc accipitur pro *essentia*, seu quidditate, ita ut *ratio substantiæ* sit idem ac *conceptus essentia*.

11 Per id quod additur, *nemini accommodata*, denotatur, ad æquiuocationem solum exigi, formaliter loquendo, quod naturæ æquiuocatiæ non habeant rationem vnam, secundum quod significantur per nomen æquiuocum: quia permittunt, quod secundum quod significantur alijs nominibus, habeant vnam rationem, & conuenientiam vniuocam: ut *ly*, *canis*, æquiuocum est respectu canis domestici, seu latrabilis, & respectu canis marini, seu piscis: quia ut significantur isto nomine *canis* non habent rationem eandem: quamuis aliàs conueniant in ratione substantiæ, viuentis, & animalis, & alijs similibus prædicatis.

12 Vltimam definitionis particulam exponit Caietanus hic, notans, quod *ly*, *diuersa*, non coar-

ctatur ad diuersitatem simpliciter, & omnibus modis: sed communiter accipitur, ut comprehendit sub se diuersitatem simpliciter, vel secundum quid; totaliter, vel partialiter: ita quod æquiuoca dicuntur, & illa quorum ratio secundum illud nomen est penitus diuersa: & illa quorum ratio secundum illud nomen commune, est aliquomodo diuersa.

Ex quo deducit, Philosophum hic non definisse pure æquiuoca, quæ dicuntur *æquiuoca à casu*: sed definit æquiuoca in communi, ut diuidantur in æquiuoca à casu, & æquiuoca à consilio; & sic sub istis comprehendit analogas. Quod necesse est ita affirmare, ne dicamus Aristotelem diminute processisse: vnde S. Thomas opusculo 39. capit. 3. docet, quod *ad æquiuocationem reducitur multiplicitas nominum analogorum*. Hanc autem esse Aristotelis mentem, probat Caietanus dupliciter; primo: quia exemplum quod adducit, de homine viuo, & picto, æquiuocum est à consilio, & analogum: quia homo pictus est imago substantiæ rationalis, quæ est homo verus: & ita non à casu, sed proportione, & analogia *ly homo*, veros, & pictos representat. Secundo id probat, ex intentione Philosophi: quia intendit definire res, ut adunantur sub vocibus transcendentibus; quas constat, non pure æquiuocas, sed analogas esse.

13 Sed obijcies: nam iuxta hanc expositionem, sub ista definitione genera comprehenduntur:  
hoc

hoc autem est aperte falsum: quia genus, sicut, & alia vniuersalia, vniuoce prædicatur de suis inferioribus: ergo in definitione debet esse sermo de diuersitate simpliciter, & omnibus modis. Probat maior: quia ratio generica inæqualiter participatur in speciebus: ac proinde, habent diuersitatem secundum quid: ergo si diuersitas secundum quid sufficit ad æquiuationem, genera prædicabuntur æquiuoce.

Respondetur, quod genera aliqua solent dici æquiuoce realiter, & physice, vt sumitur ex Philosopho 7. Physicorum textu 31. & ex D. Thoma ibi lect. 8. & in 1. dist. 2. quæst. 5. art. 3. & 1. Periherm. lect. 8. in principio: quia in æqualiter participatur ratio diuisa per diuersos modos essendi consideratos à Physico, vel Metaphysico: & sic corpus dicitur æquiuoce de corruptibili, & incorruptibili, propter diuersum modum essendi: sed tamen apud logicum, qui intentiones considerat, ista dicuntur vniuoca: nam, vt dicitur in 7. Metaphysicæ textu 51. eadem est ratio animalis in omnibus speciebus: & vt dicit S. Thomas 4. Metaphys. lect. 1. ad vniuationem logicam sufficit omnimoda indistinctio vniuatorum in conceptu nominis vniuoci. Vnde genera sunt æquiuoce secundum quid, & simpliciter vniuoca.

14 Et in isto sensu Magister Soto quæst. vnica ad 4. distinguit tres gradus æquiuationis, nempe, æquiuationem physicam generis; æquiuationem à consilio,

quæ est analogia; & æquiuationem à casu, quæ est pura æquiuocatio. Vnde per oppositum, vniuocatio speciei est mera vniuocatio, non admittens æquiuationem, & diuersitatem rationis diuise, etiam secundum quid, & in physica inæqualitate.

### §. III.

#### *Primum dubium de æqui-uocis.*

15 **D**Vo restant dubia de æqui-uocis examinanda; primum est; Vtrum ad æquiuationem sufficiat diuersitas in conceptu formali? An vero necessario exigatur; etiam in conceptu obiectiuo?

Sufficere diuersitatem formalem conceptuum, tenet Magister Ferrara lib. 1. contragentes cap. 34. quia in definitione æquiuatorum ly *ratio*, accipitur pro conceptu mentali: quia iuxta simplicium, & alios expositores, *ratio*, est idem ac definitio, seu descriptio: sed definitio est in mente; quia est oratio, quæ non datur in re, sed in voce, aut in conceptu mentis: ergo ad æquiuationem sufficit diuersitas formalis conceptuum formalium.

Deinde, idem probat autoritate S. Thomæ, qui sæpissime docet quod ratio, quam significat nomen, est conceptus, quem format intellectus de re significata, vt videri potest in 1. sentent. dist. 2. quæst. 3. & quæst. 7. de Potentia art.

artic. 6. sed hoc proprie solum verificatur de conceptu formali: ergo diuersitas conceptuum formalium sufficit ad æquiuocationem.

16 Dicendum tamen est, ad æquiuocationem non sufficere diuersitatem conceptuum formalium; nisi illis correspondeat diuersitas conceptuum obiectiuorum. Probatu primo ex opposito fundamento; quia in diffinitione æquiuocorum; ut testatur Mag. Soto in præfenti cap. 1. Antiqui omnes expositores, ut Boetius, Commentator, & omnes Græci, nomine; *ratiōnis* intelligunt diffinitionem (in rebus habentibus diffinitionem) aut conceptum obiectiuum, formaliter, adæquate, significatum per nomē. Quam esse mentem Philosophi, constat ex ipso in cap. de Substantia, ubi loquens de ratione nominis, ponit exemplum de diffinitione, & 4. Metaph. textu 28. inquit: *ratio, quam significat nomen, est diffinitio.* Et in præfenti *ratio* idem sonat, ac proprius conceptus formalis, & obiectiuus rei significatæ per nomen; sed totum hoc pertinet ad cōceptum formale, ut correspondet obiectiuo; ergo, si conceptus formalibus non respondeant diuersi conceptus obiectiuo, non erit æquiuocatio simpliciter. Probatu minor: nam idem est significatum & per diffinitā, & per diffinitionē, loquendo primo intentionaliter; sic definitio & diffinitum sunt idē, ut dicit S. Th. in 1. sent. dist. 25. quæst. 1. artic. 1. ad 2. & nos ex ipso docuimus lib. 2. Dialect. cap. 3. quæst. 1.

17 Secundo principaliter probatur conclusio. quia, licet voces immediatius exprimant conceptus quam res, ut docent Philosoph. & S. Thom. 1. Periherm. lect. 2. tamen principaliter significant res, quam conceptus, ut ex ipso Philosoph. & D. Thom. explicuimus lib. 1. Dialecticæ capit. 2. quæst. 1: ergo tota diuersitas conceptuum formalium, est propter diuersitatem conceptuum obiectiuorum; ergo in tantum exigitur diuersitas conceptuum formalium, in quantum correspondent diuersis conceptibus obiectiuis. Et præcipue necesse est hoc affirmare loquendo de terminis æquiuocis; quia in mente ultimata non potest esse æquiuocatio, ut ostendimus lib. 1. Dialecticæ cap. 4. num. 2. requiritur ergo ad æquiuocationem diuersitas mentalium conceptuum, propter correspondentiam conceptuum obiectiuorum. Et sic cessant fundamēta prioris sententiæ; quia diffinitio, & oratio, ut in signo sunt in vocibus, & in conceptibus; sed quia isti sunt rerum imagines, etiam dicuntur esse obiectiue in re.

## §. III.

*Secundum dubium de eisdem.*

18 **A**lterum dubium est; an nomen æquiuocum sit dicendum vnum nomen, vel plura?

Per duo extrema aliqui sunt opinati in hac parte. Nam Magister Huertos lib. 1. Summalorum

rum cap. 4. quaest. 8. artic. 1. conclusione 1. dicit, quod terminus æquiuocus, non est simpliciter vnus terminus: quia licet sit vnus materialiter ex parte vocis, est tamen plures formaliter: quia habet plures formas, seu relationes constitutiuas terminorum, nempe, plures significaciones.

Per oppositum Magister Ortiz tract. 4. Summul. Conferentia 4. §. 2. docet: quod terminus æquiuocus est simpliciter vnus terminus, & vnum nomen; non solum propter vnitatem materialis, seu vocis, pro qua supponit; sed etiam, quia terminus æquiuocus constituitur in ratione termini per vnā simplicem relationem, fundatam in tribus significacionibus.

19. Nihilominus, dico primo: terminus æquiuocus simpliciter est dicendus vnus terminus, vel vnum nomen; licet habeat plures significaciones, vel plures relationes constitutiuas termini. Est conclusio communis: quæ de sumitur ex Philosopho in presenti, & ex D. Thom. 11. Metaph. lectione 3. & opusc. 39. cap. 4. & 5. & Quodlibeto 4. artic. 17. & alijs locis relatis à Magistro Ioanne de S. Th. in Logica quaestione 13. artic. 2. difficultate 2. & probatur primo: quia terminus, & nomen sunt concreta accidentalia; quæ constant voce, tamquam materia, & significacione; tamquam forma remota, & relatione partis, tamquam forma proxima: in æqui-

uocis autem vox est pœnitens vnā & eadem; significaciones autem sunt simpliciter plures: ergo simpliciter affirmandum esse vnum nomen. Probatur consequentia ex regula S. Thom. 3. parte quaestione 3. articulo 7. ad 2. asserentis, quod vnitatis alicuius concreti accidentalis sumitur ex vnitatis subiecti; sicut homo vestitus pluribus vestibus, non dicitur plura vestita, sed vnum: & pomum habens plures qualitates, dicitur vnum quale; & homo habens plures scientias, dicitur vnus sciens. Et in simili rationem assignat S. Thomas 1. parte quaestione 39. artic. 3: quia accidentia, sicut esse habent ex subiecto, ita ex subiecto suscipiunt vnitatem, vel multitudinem; & ideo diximus lib. precedenti quaest. 18. quod ex modo significandi, accidentia inconcreto supponunt pro subiecto, & illud in concreto important; & ad eius multiplicationem multiplicantur: ergo cum materiale nominis æquiuoci sit vnum simpliciter, est affirmandum, quod nomen æquiuocum est vnum nomen.

20. Respondet Huertos, concedendo, quod si numeretur materiale termini æquiuoci, est vnum; sed non loquimur in presenti de vnitatis materialis: quia de ista non potest esse difficultas, sed quaestio est de vnitatis formarum termini æquiuoci; cum autem istæ formæ, seu significaciones, sint plures, absolute

in sensu formali est pronuncian-  
dum, quod terminus æquiuo-  
cus non est simpliciter vnus ter-  
minus.

Sed contra: nam omnes sup-  
ponimus, quod vox est vna, &  
significationes sunt plures; & in-  
quirimus, an simpliciter sit pro-  
nuntiandum vnum, propter vni-  
tatem materialis; an vero diuer-  
sitas formalis, seu formarum,  
sufficiat, vt absolute pronun-  
tiantur plures? Quod est inqui-  
rere; an præualeat vnitatis subie-  
cti ad dandam concreto vnita-  
tem; an vero præmineat diuer-  
sitas formarum? Sicut Theolo-  
gi inquirunt; an in casu, quod  
vna persona diuina assumeret tres  
naturas humanas, esset simplici-  
ter pronuncian-  
dum, quod esset  
vnus homo? An vero esset af-  
firmandum, quod essent plures  
homines? propter pluralita-  
tem naturarum: sicut ergo in il-  
lo euentu diceretur vnus ho-  
mo, propter vnitatem suppositi;  
ita in præsentī terminus æquiuo-  
cus simpliciter est dicendus v-  
nus terminus, propter vnita-  
tem dictionis, seu vocis significa-  
tiuæ.

21 Sed obijcit Huertos: nam  
terminus æquiuocus non est sim-  
pliciter vnum signum; quia non  
constituitur in ratione signi æqui-  
uoci, per aliquam significatio-  
nem, quæ sit vna simpliciter;  
sed plures vt adunatis in eadem  
voce: ergo; nec est simpliciter  
vnus terminus. Antecedens com-

muniter admittitur; & est mani-  
festum, quia fingi non potest no-  
ua significatio, vel impositio, quæ  
sit vna simpliciter, & superaddi-  
ta. Consequentia autem videtur  
evidens: quia si ad æquiuocatio-  
nem in signo sufficiunt plures sig-  
nificationes in eadem voce, vt di-  
cantur plura signa; etiam suffi-  
cient vt dicantur plures termini.  
Et omnium ratio est: quia adu-  
natio significationum in eadem  
voce æquiuoca, non est quia vna  
significatio sit forma alterius; sed  
est adunatio solum per accidens  
ratione subiecti: quod non suffi-  
cit vt ex illis formis fiat vnum  
per se: vt inductione constat in  
alijs.

Respondetur, concedendo  
quod nomen æquiuocum etiam  
est vnum signum: quia licet for-  
ma sint plures, & significationes,  
& impositiones diuersæ; tamen  
nomen non supponit pro forma-  
li; sed pro materiali; & cum  
hoc sit vnum simpliciter, est afir-  
mandum nomen æquiuocum esse  
vnum signum.

22 Sed instabis: nam, si ratio  
& fundamentum solutionis sub-  
sistit, sequitur quod omnia concre-  
ta accidentium, quæ sunt in vno  
subiecto, simpliciter debeant dici  
vnum accidens; sed hoc est falsum:  
ergo etiam est falsum, quod vni-  
tas concreti accidentalis sumatur  
ex vnitatis subiecti. Maior præter-  
quia supponimus, quod subie-  
ctum est idem. Minor vero pro-  
batur: quia, si in vno subiecto sint  
fani-

sanitas, calor, & albedo, non ideo est idem concretum, album, calidum, & sanum.

Respondet Mag. Fr. Ioan. à S. Thoma, quod regula intelligenda est, de eisdem numero accidentibus in quantum significantur intra eandem formam specificam; nam accidentia diuersæ speciei, quæ sunt in eodem subiecto, non habent eandem unitatem numericam; sed vnumquodque habet suam intra suam speciem.

23 Sed contra primo; nam in via D. Thom. duo accidentia eiusdem speciei, non possunt naturaliter esse in eodem subiecto: ergo, si regula intelligatur de diuersis accidentibus intra eandem formam specificam, impossibile est regulam verificari.

Secundo, ideo unitas concreti accidentalis sumitur ex unitate subiecti, quia vnus homo habens plures scientias, dicitur vnus sciens; vt ipse præmiserat, ex doctrina S. Thomæ: sed in vno homine sunt plures scientiæ specie distinctæ; & non possunt esse plures solo numero differentes: ergo minus bene regulam restringit ad accidentia, quæ significantur intra eandem formam specificam.

24 Aliter ergo respondetur: concedendo sequellam; ad eius probationem respondetur, admitendo quod est idem concretum materialiter, & in supponendo, vt nunc loquimur; quamuis sint plures formaliter, & in significando, vt probat argumentum; & nos non negamus.

25 Dico secundo: terminus æquiuocus constituitur in ratione termini per plures relationes solam habentes unitatem ex parte subiecti materialis, pro quo supponunt. Hæc conclusio colligitur ex D. Thom. opusc. 39. cap. 4. & 5. & facile patet in sententia asserente, quod significatio est genus termini, seu forma nominis; quia cum significationes sint plures, iuxta multitudinem impositionum; sicut significationes sunt plures; ita sunt plures relationes termini, seu nominis.

Ceterum, quia diximus lib. 1. Dialecticæ cap. 7. num. 14. & 15. quod signum non est genus termini, sed eius fundamentum; ideo in ista ratione vim non facimus; sed aliter conclusionem probamus.

26 Quia propria ratio nominis, seu termini (in presenti enim, vt iam diximus pro eodem sumimus terminum, & nomen) sumitur in ordine ad propositionem, cuius est pars: sed terminus æquiuocus simpliciter ordinatur ad plures propositiones: ergo terminus æquiuocus, ex parte formalis constituitur per plures relationes termini; probatur minor: nam propositio æquiuoca, licet materialiter, & in supponendo, & vocaliter sit vna propositio; tamen formaliter est plures; quia exprimit plures orationes mentales, & obiectiuas: ergo formaliter non est vna, sed plures.

27 Præterea probatur: nam minorem unitatem habent significationes æquiuocæ, & relationes ter-

termini in eis fundata; quam habeant partes propositionis hypotheticæ: sed illæ solam habent vnitatem secundum quid: ergo etiam relationes termini æquiuoci solam habent vnitatem secundum quid ex parte subiecti; & simpliciter sunt plures. Maior patet, quia partes hypotheticæ adunantur conjunctione; significationes verò, & relationes æquiuoci, solum adunantur vnione subiecti. Minorem verò late ostendimus, ex D. Thom. & ratione, lib. 2. Dialecticæ capit. 8. quæstione 1. Et potest etiam poni aliud exemplum de termino complexo, qui est secundum quid terminus; quia partes eius non adunantur simpliciter, iuxta dicta lib. 1. Dialecticæ capit. 8. numero 11. Quamuis hæc exempla non teneant in omnibus; quia in illis non tantum est diuersitas formalis, sed etiam est diuersitas subtracti, seu subiecti materialis: secus verò in presenti, iuxta dicta in prima conclusione.

28. Sed contra hanc secundam, arguit Ortiz: nam non sunt multiplicandæ relationes absque necessitate; sed per vnã simplicem relationem, fundatam in pluribus significationibus, sufficienter constituitur terminus æquiuocus: ergo non sunt ponendæ plures. Probat minor; quia tunc intelligitur terminus æquiuocus sufficienter distinctus ab vniuoco; qui quidem habet vnã relationem fundatam in vnica significatione: ergo cum æquiuo-

cus fundetur in pluribus significationibus, per hoc sufficienter constituitur, & distinguitur ab vniuoco.

Lices; relationem termini fundari supra significationem; vnde eo ipso quod significationes sint plures; etiam relationes in ipsis fundatæ debent esse plures.

Sed contra est: primò, quia illa, quæ sunt plura in vno genere, possunt in alio esse vnum; sicut plura in esse physico, faciunt vnum ens artificiale: ergo potest intellectus super plures significationes, vnã relationem termini fundare. ¶ Præterea: nam vt dictum est, significatio tantum se habet materiter ad rationem formalem termini: ergo ex nullo capite repugnat supra plures significationes, tantum vnã simplicem relationem termini.

29 Respondetur hoc argumentum, in primis non minare contra Huertos, contra quem ab Ortiz proponitur; nam ille minus multiplicat relationes; siquidem præter relationes significationum, nullam aliam ponit esse necessariam ad rationem æquiuoci: Ortiz verò, ultra tres relationes significationum, ponit quartam relationem in ipsis fundatam, quæ est relatio æquiuoci.

Secundò dicimus, quod si daretur vna relatio, fundata in pluribus significationibus æquiuocorum, illa sufficeret: sed tamen, satis ostensum est, vnã relationem non dari: quia sicut significationes sunt plures, propter plu-

ralitatem impositionum, & rerum significatarum, absque subordinatione inter se; ita pariter, relatio termini non potest esse simplex; quia est pars per se ordinata ad componendas plures propositiones; & significatio ad æquiuocationem, non se habet præsuppositiue, sed ut ratio formalis fundandi: vnde iuxta numerum significationum, confluent relationes terminorum plures.

30 Et sic patet ad utramque replicam. Ad primam enim dicitur, quod cum diuersitas se habet materialiter, in rebus physice diuersis, potest esse vnum ens artificiale simpliciter tale. In præsentem autem, diuersitas significationum, est per se ratio fundandi: vnde iuxta illarum diuersitatem, relationes terminorum diuersificantur.

Ad secundam replicam dicitur, quod diuisio termini in vniuocum, & æquiuocum, non est generis in species; sed, vel est accidentalis; quia datur per diuersam significationem, que est diuisio accidentis ex parte materie; vel est diuisio analogæ, sicut diuisio entis in vnum, & multa: quia licet terminus æquiuocus sit vnus in supponendo; est tamen plures in significando, & componendo: & sic, ex utroque

capite repugnat, quod relatio æquiuoca sit simplex.

## §. V.

## De vniuocis.

31 **V**niuocorum talis traditur definitio à Philosopho: *vniuoca ea dicuntur, quorum, & non en commune est, & ratio substantie nomini accommodata, eadem est: ut, animal, dicitur, & ipse homo, & equus.* Quæ definitio proportionali modo est intelligenda, ac definitio æquiuocorum; cum hoc discrimine, quod vniuoca non solum habent idem nomen commune; sed propria ratio, per nomen significata; est simpliciter eadem: cuius signum assignat Philosophus: nam si quisquam vtriusque rationem, seu definitionem, voluerit assignare, eandem rationem omnino reddet: ut, si queratur quare homo est animal? Respondebitur, quia substantia animata sensibilis; idemque respondebitur, si queratur, quare equus est animal?

32 Circa hanc definitionem notat Caiet. quod licet ad æquiuocationem sufficiat qualiscumque diuersitas rationis significatæ per nomen; ad vniuocationem tamen, non sufficit qualiscumque identitas rationis, secundum illud nomen; sed exigitur, quod ratio vniuocatorum, que attenditur penes illud nomen, in quo vniuocantur, sit totaliter eadem, & nihil plus, aut minus includat vnum, quam reliquum in ratione illius nominis. Ratio est, quia bonum ex integra causa; malum autem ex particularibus defectibus, iuxta axioma

ma Arist. & D. Dionisij: æquiuocatio autē, ex parte mali se tenet: quoniam diuersitatem sequitur, quæ de genere malorum est; & ideo, siue sit diuersitas simpliciter, siue aliquo modo, æquiuocatio fit. Vniuocatio verò non contingit, nisi omni diuersitate ablata; quia vniuocatio vnitatem sequitur, quæ est de genere bonorum.

33 Præterea aduertendū, quod vniuocatio est duplex; alia pænes convenientiam in prædicatis intrinsicis, per se, & essentialibus; vt, homo, & æquus, conueniunt in ratione animalis: alia est vniuocatio pænes convenientiam in prædicato accidentali, & extrinseco; vt, papyrus, nix, & lac, conueniunt in ratione albi. ¶ Est ergo difficultas: an sub definitione Aristotelis comprehendatur vniuocatio essentialis, & accidentalis, per se, & per accidens, intrinseca, & extrinseca: an verò Philosophus solum definiuerit vniuocationem intrinsecam, per se, & essentialem?

34 Sunt duæ opiniones: M. Soto quæstione vnica ad 2. M. Sanchez lib. 4. quæstione 1. conclusione quinta, & post eos, alij dicunt omnia vniuoca, etiam quæ accidentaliter, & denominatiue prædicantur, comprehendī. Probant primo: nam prædicata accidentalia secundum rationem eandem de suis subiectis prædicantur: ac per consequens, nihil restat vt prædicentur de illis vniuoce.

Secundò: quia in definitione vniuocorum non dicitur, quod sit eadem ratio essentialiter, vel ac-

cidentaliter; sed solum quod sit eadem: ergo quomodo cumque saluetur, quod sit eadem, erit vniuocum nomen.

Tertio, & vrgentius: nam omnia quinque vniuersalia prædicantur vniuoce, vt docet S. Thomas lib. 1. contragen. capit. 32. & dictum est lib. 1. quæstione 17. sed quæ pertinent ad quintum prædicabile prædicantur denominatiue; & accidentaliter, & extrinsece: ergo vniuocatio accidentalis, & extrinseca est vniuocatio vere, & proprie in definitione vniuocorum, à Philosopho assignata, comprehensa.

35 Per oppositum Caietanus hic, & Rubio quæstione vnica, & Lerma lib. 6. quæstione 3. docent Philosophum hic solum definisse vniuoca essentialiter, quæ sunt vniuoca simpliciter; non verò vniuoca accidentaliter, & extrinsece; quia sunt vniuoca secundum quid. Hanc esse Aristotelis intentionem, colligitur ex ipso infra capite de Substantia, vbi dicit, *accidentia non prædicari nomine, & ratione de substantia*, quasi diceret, non prædicari vniuoce, iuxta phrasim huius capitis: cum tamen prædicentur denominatiue. Deinde; docet esse proprietatem secundarum substantiarum, *vniuoce prædicari de primis*: quod falsum esset, nisi nomine vniuoci solam intelligeret vniuocationē essentialē. Præsertim, cum ibi se remittat ad hanc definitionem. ¶ Præterea: solemus dicere, prædicamentis nihil dari commune vniuocum:

quod falsum esset, si sermo esset de uniuocatione accidentali. Demum, per, *rationem substantia*, in definitione, vel quid dicitur conceptus: quod falsum esset, nisi à Philosopho sumeretur æquiuocatio in ista stricta acceptione.

36 Quia propter hæc secunda sententia, vt probabilior, prior est præferenda. Opposita argumenta vno verbo diluit Caietanus concludens: nec tamen erat opus aliter definiiri uniuoca accidentaliter, quia ex ista definitione facillime sumitur omnium uniuocorum ratio: diffinitis enim uniuocis simpliciter; facile est determinare, quid sint uniuoca quodammodo, seu secundum quid. Itaque, non negamus uniuocationem accidentalem esse veram uniuocationem, sicut accidens est vere, & propriens; quamuis sit ens secundum quid. Sed asserimus, quod non est uniuocatio simpliciter condistincta à Philosopho, & à D. Augustino in libro *Categoriarum*, contra prædicationem denominatiuam. Et opusculo 48. apud D. Thomam, tractatu 2. capit. 1. hæc approbatur sententia, dum uniuoca sic describuntur: *Uniuoce dicuntur predicari, quæ non solum conueniunt his, de quibus predicantur, quantum ad nomen, sed etiam quantum ad rationem essentiam*. Imò non parum fauet ipse M. Soto cap. de *Substantia* questione 1. ad 4. & q. 2. ad 2.

37 In forma, ad primum distinguo antecedens: predicantur secundum rationem eandem es-

sentialem, & propriam; nego antecedens: accidentalem, & extrinsecam: concedo antecedens; & nego consequentiam.

Ad secundum nego antecedens, quia in definitione implicite, & adiuncta communi, & gemina expositione, explicite exigitur, quod ratio significata sit essentialis, & propria, & quæ non dicatur pure *inuale*, & denominatiue.

38 Ad tertium distinguitur maior; dicuntur uniuoce, *predicabiliter*, concedo: *predicamentaliter*; nego. Quod est dicere: uniuocatio, vt sumitur in prædicabilibus, late patet ad uniuocationem intrinsecam, & extrinsecam, essentialem, & accidentalem, seu denominatiuam; quia in omnibus est uniuersalitas, & superius, & inferius: at verò hic condistinguitur prædicatio intrinseca, & uniuoca, contra denominatiuam, & accidentalem; & ideo, quæ prædicantur solum denominatiue, non prædicantur uniuoce simpliciter, in rigore, quo hic loquitur Philosophus.

## §. VI.

### *De denominatiuis.*

39 **D**enominatiua sic describuntur Opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 2. capit. 1. *Denominatiue dicuntur predicari, quæ concreta sunt adiectiue, & ab aliquibus accipiuntur abstractis denominatiue, seu derivantur. Ex quo facile patet, quod denominatiua sunt*

*sunt concreta, adiectiua, derivata ab abstractis accidentium: sicut, album, est concretum, adiectiuum, derivatum ab albedine. & in concreto denominatiue de homine predicatur dicendo: homo est albus. Vide lib. 1. Dialect. cap. 6.*

40 Quia tamen M. Cabero, tractatu 4. disp. 1. dub. 2. Philosophi definitionem, vt minus exactam, & adquatam reliquit, nullo motu argumento, sed solum vt libere tur à labore eam declarandi; oportet eam breuiter exponere, vt iam diu expositores, præsertim Thomistæ, explicuerunt. *Denominatiua* (inquit Aristoteles) *ea dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu, vt, à Grammatica, Grammaticus.*

41 Notandum igitur primo, quod denominatio importat applicationem, seu exercitium, vel quasi causalitatem formæ respectu subiecti, cui applicatur: vnde notat Caietanus, quod tria sunt indenumeratione, scilicet, forma denominans, res denominata, & ipsum denominatiuum; vt *albedo* est forma, qua res denominatur, Petrus verò, in quo est albedo, est res denominata, album verò, est denominatiuum ipsum; & hoc est, quod à Philosopho diffinitur.

42 Secundò notandum cum M. Soto, quod denominatiuum, potest accipi, & pro *denominatiuo denominatio*, quod est in re: & pro *denominatiuo denominante*, scilicet, pro voce. Philos. igitur denominatiua pro rebus denominatis diffinit, Quod contra Marsilium,

& Occham, probat Soto: primo, quia eodem tenore verborum diffiniuit denominatiua, quo æquiuoca: sed illa manifeste diffiniuit pro rebus, vt dictum est; ergo, & denominatiua.

Deinde: nam si denominatiua diffinisset pro vocibus, non dixisset concretum ab abstracto descendere: nam in vocibus sæpe contingit contrarium: vt *fortitudo* formatur à datiuo de ly *fortis*, & *institia* à genitiuo de ly *iustus*. Denique, hoc est perspicuum ex verbis Philosophi: quia nomina non habent ab alijs appellationem, sed res.

43 Pro quo vltèrius notandum, quod solent distingui tria genera denominatiuorum, nempe, *voce tantum; re tantum; voce simul, & re*: voce tantum, vt *studiosus* ab studio; cum tamen secunrem, studiosus sit ille, qui operatur secundum virtutem: vnde studiosus à *virtute*, est denominatiuum re, & non voce: denominatiua re, & voce simul, vt, *albus*, ab albedine; *iustus*, à iustitia. De quo latius M. Iauellus tractatu 5. capit. 2. In rigore loquendo, solum agimus de denominatiuis re, & voce; quia ea sunt proprie, & formaliter denominatiua; cum hic tractetur de rebus, vt significantur per voces.

44 Hinc ergo clara est diffinitio Philosophi: eius enim sensus est, quod denominatiua sunt res; quæ ab aliquo, à quo secundum nomen solo casu differunt, appellationem habent, Posita est diffini-

tio in plurali numero : primo, vt eadem esset forma trium diffinitionum antepredicamentalium. Secundò, quia ab eodem abstracto plures res denominantur, vt à *sapientia* dicitur, & homo sapiens, & sermo sapiens, & consilium sapiens, vt inquit S. Augustinus.

45 Vltèrius notandum cum Caietano, & M. Soto, questione vnica ad 6. quod nomine formæ non intelligitur forma stricte sumpta; sed intelligitur omne id quo aliquid dicitur tale, siue sit substantia, siue accidens, siue aliquid intrinsecum, siue extrinsecum. sicut enim album est denominatiuum albedinis, ita *materiale* est denominatiuum materię, & *capitale* denominatiuum capitis, quæ sunt partes hominis; & *humanum* dicitur ab homine, vt leges humane; vt dicimus *vas argenteum, statua cerea, moneta aurea*, quæ sunt denominatiua ab auro, argento, cera, & alijs substantijs. Et in accidentibus, quædam denominationes sunt intrinsecæ, quædam verò extrinsecæ. Et ideo dixit Aristoteles generaliter: *quæcumque habent ab aliquo nomine appellationem*, siue ab accidenti, siue à substantia; siue à parte, siue à toto; siue ab intrinseco, siue ab extrinseco.

46 Sed obijcies: nam ex diffinitione sic exposita sequeretur, species, & genera prædicamenti substantię esse denominatiua: nam *homo* denominatur ab humanita-

te, à qua secundum nomen, solo differt casu; & pariter *animal* ab animalitate: consequens tamen est falsum: nam species, & genera non prædicantur de suis inferioribus denominatiue, sed quidditatiue: sola autem prædicamenta accidentium prædicantur de substantia denominatiue, vt ex Philos. dictum est; ergo expositio data non subsistit.

Ad hoc argumentum, omnes dicunt negandam esse sequellam, propter probationem minoris: quia cum Philosophus distinguat prædicationem denominatiuam; contra prædicationem quidditatiuam; cum genera, & species de suis inferioribus prædicentur quidditatiue; non possunt, vt sic, predicari denominatiue; sed denominatio solum est respectu substantię, seu subiecti, aut respectu illius, quod instar subiecti se habet: quare solum, quæ prædicantur *adiectiue*, sunt in re denominatiua; illa autem, quæ recensentur in argumento, dicuntur denominatiua *voce tantum*, seu ratione, non verò *voce, & re*; quia ad hoc exigitur, quod illud, à quo denominatiua habent appellationem secundum nomen, sit aliad à re denominata.

47 Sed instabis: nam videtur Aristoteles diffinitio dignitate: cum in illa non exprimatür hæc aliteris: quod erat potissime exprimendum in diffinitione.

Responderetur, primo secundum B. Albertum, satis exprimi

mi in illa particula, habent appellationem, quod idem sonat, ac ad aliud applicationem. Vel, ut ait Caietanus, quasi per se notam hanc particulam subintelligendam relinquit: nam *denominatiua* sonant, quasi *nominis datiu*, non rationis; *denominatiua* enim, nomen solum dant denominato, non rationem; quia predicantur de eis secundum nomen, & non secundum rationem, ad differentiam univocorum.

48 Vel demum dicatur, cum eodem Caietano, quod illa particula, habent appellationem, debet intelligi, non solum *passive*, sed etiam *active*, id est, quod appellantur ab aliquo, & appellent aliud, scilicet, denominatum: appellare autem est idem, quod nomen dare: unde oportet, quod appellans, si pure appellans est, nomen tantum det, ei quod tali nomine appellatur: & consequenter oportet, quod sit aliud ab eo: nam quod dat nomen, & rationem alicui, intimum est illi. Licet hæc ultima expositio sit subtilior; præcedentes sunt præferendæ: quia solidiores, & faciliores sunt.

\* \*



## QVÆSTIO II.

### De reliquis antepredicamentis.

I **C**omplectemur in hac quaestione doctrinam Philosophi in secundo, & tertio capitulo antepredicamentorum; in quorum priori tradit duas divisiones; & in posteriori duas proponit regulas.

#### §. I.

### De Complexis, & Incomplexis.

2 **P**rima divisio est: *Eorum, quæ dicuntur, ab aliis cum complexione dicuntur; ut, homo currit; alia sine complexione, ut, homo.* Quæ divisio à Nominalibus intelligitur tantum de vocibus, & nullatenus de rebus: ab Alexandro verò, & Boetio, intelligitur principaliter de vocibus; quamvis minus principaliter de rebus. Quod, & videtur approbare Iacellus cap. 3. dicens, divisionem istam coincidere cum ea, quæ tradita est lib. 1. Dialecticæ capit. 7. ubi diuiditur terminus, in *complexum, & in incomplexum.* Unde sensus est, *eorum, quæ dicuntur, id est, dictionum, quæ voce proferruntur; quædam sunt cum complexione; id est, sunt complexæ, quædam sine complexione, & illæ sunt termini incomplexi; quam expositionem tan-*

dem probabilem videtur iudicare. Magister Soto, ita asserens: potest secundo dici, quod cum Aristoteles hic, promiscue, & de rebus, & de vocibus loquatur, forte primam diuisionem fecit de vocibus, & secundam de rebus.

3 Magis tamen placet conclusio, quam ex propria sententia ipse M. proposuerat, videlicet, quod diuisio hæc principaliter de rebus intelligitur, & consequenter de vocibus; quia hæc diuisio est antepredicamentalis, idest, immediate præuia ad notitiam predicamentorum; quia per illam separantur, ea quæ non ponuntur in predicamento, ab his, quæ in predicamento disponuntur: sed in predicamento res principaliter, & termini consequenter, ponuntur: ergo diuisio hæc de rebus principaliter intelligitur. Unde secundum membrum immediate subdiuiditur sequenti diuisione, quæ manifeste tractat de rebus: ergo pariter ista diuisio: nam quamuis soli termini sint complexi, aut incomplexi; tamen, *dici cum complexione*, conuenit rebus, quatenus complexe, siue incomplexè significantur.

4 Præterea notandum: quod complexio est duplex; alia compositionis verbalis; qualis reperitur in propositione; alia nominalis tantum, quæ est per conjunctionem duorum terminorum. De utraque loquitur Philosophus, quia utraque excluditur à predicamento; quamuis diuersa ratio-

ne: quia propositio excluditur; eo quod non potest esse subiectum, aut predicatum; alia verò complexa excluduntur, quia solent pertinere ad duo predicamenta.

5 Secunda diuisio, est subdiuisio incomplexorum: in qua diuisione quadrimembri, complectitur Philosophus vniuersa prædicata, atque subiecta omnium prædicamentorum: quia omne ponibile in predicamento, aut est vniuersale substantiæ, aut vniuersale accidentis: aut indiuiduum substantiæ, aut indiuiduum accidentis: duo priora comprehendunt omnia prædicata; duo verò posteriora omnia subiecta, quapropter Paulus Venetus, apud M. Soto, loco huius diuisionis, ponit *subiectum*, & *predicatum* esse ante prædicamenta.

6 Pro quo vltèrius notandum, ex Caietano, quod hic sunt duæ naturæ, cum duabus intentionibus; & ex earum diuersa combinatione, formantur quatuor membra huius diuisionis: omne enim, quod est in predicamento, aut est *substantia*, aut est *accidens*, aut est *vniuersale*, aut *particulare*. *Substantia non est in subiecto*; *accidens est in subiecto*: *vniuersale dicitur de subiecto*; *particulare non dicitur de subiecto*. Et iste est planus sensus diuisionis Philosophi.

7 Pro qua notandum, cum M. Soto cap. 2. §. *sequitur secundo*, quod subiectum est duplex, nempe, *sub-*  
*iectum*

*dictum in quo* : & est subiectum in hæſionis, seu informationis realis; aliud est, *subiectum de quo*, & est subiectum prædicationis intentionalis. In diuisione, *ly, esse in subiecto*, accipitur primò intentionaliter; quia per illam particulam, explicatur natura accidentis; *ly, vero, dici de subiecto*, accipitur secundo intentionaliter; quia per illam particulam explicatur propria ratio secundæ intentionis vniuersalis.

8 Solet hic inquiri, qualis ista diuisio?

B. Albertus censet esse diuisionem generis in species: quod tamen Paulus Venerus negat.

9 Licet ut dirimant Mag. Soto, & Cardinalis Toletus notant, quod sub hac vna diuisione quadrimembri, latent tres bimbres: quarum prima est analogica, nempe, diuisio entis in substantiam, & accidens: alia est diuisio subiecti in accidentia, nempe, quod natura, vel dicitur vniuersalis, vel particularis: vltima videtur diuisio generis in species; quia quidditative prædicari de inferioribus, vniuoce conuenit substantiæ, & accidenti: & sic diuiditur in vniuersale substantiæ, & accidentis. Et solum in hac diuisione Philosophus vult comprehendere, quæ ponuntur in recta linea prædicamentali; & ideo nõ meminit differentiarum, nec partium, nec aliorum incompletorum.

Circa definitionem huius quod est, *esse in subiecto*, videantur Caietanus, Iauellus, & PP. Carmelitani num. 5, & 6.

## §. II.

## De regulis.

10 **P**rima regula Philosophi est: cum quippiam de quopiam prædicatur, vt de subiecto, ea que de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de subiecto. Multis modis solet exponi hæc regula. Quorum tres præcipuos recenset Mag. Soto: quidam latissime regulam extendunt, vt faciat hunc sensum: quodcumque alterum prædicatur de altero; quidquid vniuersaliter prædicatur de prædicato, sub inde prædicabitur de subiecto. Qui quidem sensus, verum habet in quibuscumque vniuersaliter prædicatis; siue essentialibus, siue accidentalibus; dummodo seruentur eadem proprietates logicæ, vt late prosequitur Iauellus tract. 5. capit. 4. sed tamẽ sensus iste, longe est ab intentione Phil. quia nõ fundatur in natura prædicati; sed in vi distributionis mediæ per artem syllogisticam; de qua nihil in præsentibus; sed in libris Priorum, & Posteriorum.

11 Secunda expositio est B. Alberti in præsentibus tract. 1. cap. 6. iuxta quæ, regula sic est exponenda; quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto sibi proprio, quidquid prædicatur de prædicato, directe, & quidditative, prædicabitur de subiecto. Intelligit autem per *subiectum sibi proprium*, id de quo prædicatur prædicatione alicuius quinque prædicabilium.

Licet hæc expositio sit probabilis

bilis, tamen hoc circa illam inge-  
rit difficultatem, quia apud Phi-  
losophum, dici de aliquo, vt de subiecto,  
idem significat, ac dici de aliquo,  
vt de quidditatiue inferiori, vt §.  
antecedenti diximus; vnde pro-  
pria passiones, & accidentia, prædi-  
cantur de subiecto, non vt de sub-  
iecto, sed vt in subiecto: quod suo mo-  
do, etiam locum habet in differen-  
tia, quatenus ex modo significan-  
di prædicatur, in quale ad modum  
accidentis: ergo Philosophus per  
prædicari, vt de subiecto, intelligit  
prædicari quidditatiue.

12 Qua propter præferenda est  
expositio Boetij, quem sequuntur  
Caietanus, M. Soto, Tolerus, &  
alii expositores, iuxta quos, sensus  
regulae est, quando alterum de al-  
tero prædicatur quidditatiue, quid  
quid prædicatur quidditatiue de  
prædicato, prædicatur, & de sub-  
iecto. Vnde restringitur regula ad  
solam lineam rectam generis, &  
speciei: & sic est verissima regula,  
& deseruiens intento Philosophi:  
& ex illa elicitur modus arguen-  
di de primo ad vltimum: nam, si, ho-  
mo est animal, & animal viuens, &  
viuens substantia, de primo ad vl-  
timum, homo est substantia.

13 Secunda regula, iuxta trans-  
lationem Boetij, sic habet: *diuer-  
sorum generum, & non subalternatim  
positorum, diuersa sunt specie differen-  
tia: subalternorum vero generum, nihil  
prohibet easdem differentias esse.* Circa  
quam est notandum, quod Iauel-  
lus capit. 4. legit *diuersa sunt spe-  
cies, & differentia.* Caterum Caieta-  
nus, Mag. Soto, & alij notant: men-

dum esse in illa lectione; quia textu  
Græco in datino legitur *diuersa  
sunt specie differentia*; & vocantur  
differentiæ diuersæ specie, quæ sunt  
diuersæ formaliter; quod dictum  
est propter differentias diuersas ma-  
terialiter, sicut sunt differentiæ in-  
diuiduales omnium prædicamen-  
torum.

### §. III.

#### Dubium primum.

14 **D**Vbitant autem expositores;  
quid intelligat Philosophus  
per genera subalternatim posita?  
¶ Mag. Soto dub. 1. & PP. Carm.  
num. 4. docent, quod duo genera,  
non dicuntur inter se subalterna;  
seu subalternatim posita, si vnum  
non continetur sub alio; etiã si ambo  
contineantur sub vno tertio; quod  
esse de mente Philosophi, probant  
primo, ex translatione Perionij, &  
Argiropyli, qui ita vertunt, *quando  
genera diuersa sunt, neque vnum ab al-  
tero continetur, eorum etiam differentia  
specie differunt; eorum autem generum,  
quorum vnum sub altero continetur, ni-  
hil prohibet easdem differentias esse.*

Secundo probât ex textu Græco;  
nam vox, *Hypallila*, ab Aristotele  
posita in textu, significat, *ea quorum  
vnum continetur sub alio*, vt notat Bu-  
deus in suis commentarijs. Vnde  
regula, non solum intelligitur de  
generibus diuersorum prædicamen-  
torum; sed etiam de his, quæ inter-  
se opponuntur, sed tamen continen-  
tur sub aliquo tertio.

15 Quod autem ista habeant

diuersas differentias, constitutiuas sibi proprias, manifestum est; quia per illas conlittantur, & inter se opponuntur. Quod vero vnum, quodque necessario habeat differentias diuisiuas, diuersas à differentiis essentialibus diuisiuis alterius, probant primo: quia diuersa genera sunt diuersae potentiae metaphysice essentialiter distinctae; quarum potentiarum actus sunt differentiae diuisiuae: ergo generibus essentialiter diuersis, correspondent differentiae diuisiuae essentialiter diuersae.

Secundo probant ex Philosopho 4. Topic. cap. 2. dicente: *cum enim species vna duobus generibus subiecta est; tunc alterum ab altero continetur*: ergo eadem species non potest esse sub diuersis generibus, quorum vnum non sit sub alio: ergo pariter dicendum de differentia, quae cum specie conuertitur: ergo genera diuersa, quorum vnum non est sub alio, non possunt habere easdem differentias.

16 Hæc doctrina est valde probabilis; & argumenta, quae contra eam multiplicari solent, non multum vigent, quia loquuntur de differentiis accidentalibus; de quibus huius sententiae auctores non loquuntur; sed de differentiis essentialibus.

17 Nihilominus probabilius iudico, quod regula debet intelligi, quod illa genera sunt subalternatim posita, quorum vnum non continetur sub alio, si ambo continentur sub vno tertio, vt animal, & planta, quae continentur sub viuento. Ita Philosophum exponunt Caiet. & M. Iauellus cap. 4.

& M. Sanchez lib. 4. quest. vltima conclus. 2. Toletus, & Oña, & late Rubio cap. 3. quest. vnica, vbi assertit Philosophum 6. Topic. cap. 2. loco 41. vbi assertit, genera subalternata, non solum appellari, quorum vnum est sub altero; sed etiam quae sunt sub tertio; & de istis assertit, habere differentiam communem, vt animal gressiue, & animal volatile, habet bipede pro differentia communi. Et ex isto testimonio exponendus est Philosophus in praesenti; vel emendanda sunt translationes.

Leinde probatur, quia eadem sunt genera subalternata, & subalternatim posita: sed ea, quorum vtrumque est sub tertio, sunt subalternata respectu illius: si quidem vtrumque est sub eo: ergo erunt subalternatim posita.

18 Praeterea probat Caietanus, Philosophum sic esse intelligendum: quia Philosophus loquitur de differentiis per se in communi, siue sint constitutiuae, siue diuisiuae, vt patet ex exemplo, & declaratione regulae ab ipso Philosopho posita: ergo necesse est, quod per *subalternatim posita*, intelligat ea genera, quae neque subinuicem, neque sub tertio posita sunt. Probatur consequentia, quia si subinuicem posita sunt, habent necessario quasdam differentias diuisiuas easdem; quoniam quae diuidunt inferius, diuidunt superius: possunt habere quasdam differentias constitutiuas easdem quando, scilicet, neutrum eorum est generalissimum: tunc enim differentia superioris, constitutiuae est etiam in-

se.

ferioris. Si vero ambo sint sub vno tertio, neque constitutiuas, neque diuisiuas, necessario habent eandem; vt patet quando sunt immediate sub generalissimo: permittunt tamen, seu possunt habere quasdam differentias constitutiuas eandem, vt cum sunt sub vno genere subalterno: vt, animal, & planta, sub corpore animato; quia tunc differentia superioris eadem communicantur vtrique inferiorum; ad quod insinuandum Philosophus vsus est modo loquendi negatiuo: dicens, *quod nihil prohibet easdem esse differentias.*

### §. III.

#### *Dubium alterum.*

19 **R**egula sic exposita omnia caret difficultate, quia iuxta illam, per genera non subalternatim posita, solum intelliguntur genera diuersorum predicamentorum: constat autem, quod si predicamenta sunt diuersa, quaecumque sub illis continentur, erunt diuersa, ac per consequens, repugnat easdem differentias essentielles in duobus predicamentis collocari: vnde S. Thomas quaest. 2. de Potentia art. 2. ad 2. ait, quod *in rebus creatis vnum predicamentum accidit alteri: propter quod non potest ex duobus fieri vnum; nisi vnum per accidens.*

20 Dices cum Cabero tract. 3. predicabilium disput. 1. dub. 4. num. 9. regulam hanc solum habere locum in substantijs: non vero in accidentibus, in quibus possunt

duo genera, non sub alternata inter se, ab vna specie participari: ratio disparitatis est, quia in accidentibus genera, & differentiae, & predicata essentialia sumuntur saepe saepius ex diuersis connotatis, quae connotant, & ex extrinsecis, quae respiciunt: & quia vnum accidens solet diuersa, & non connexa connotare, solent accidentia, rationes non subalternatim positas habere: in substantijs haec non currit ratio.

21 Haec tamen limitatio, in primis est contra omnes expositores Philosophi: nam iuxta vtraque expositionem supponunt, quod eaque pertinent ad diuersa predicamenta, formaliter loquendo, non possunt habere easdem differentias essentielles.

Deinde accidentia etiam habent suam essentialiam, & sua predicata quidditatiua essentialia, quae descendunt ad speciem infimam, mediantibus generibus supremis & subalternis: ergo implicat, quod genera non subalternatim posita, habeant easdem differentias, etiam in accidentibus. Nam id quod dicitur de connotatione, & respectu extrinseco, solum est quoad nos, vel comparatiue ad substantiam: nunc autem loquimur de generibus, & differentiis essentialibus, & intrinsecis accidentium.

22 Praeterea, tollitur aequiuocatio huius doctrinae, notando ex D. Thoma 1. 2. quaest. 7. art. 1. ad 2. quod accidens dicitur accidere accidenti propter conuenientiam in subiecto, vel absque ordine inter

ter se, sicut albedo, & musica accidunt Petro; vel cum aliquo ordine; sicut corpus recipit colorem media superficie: quando ergo duo accidentia hoc modo adunantur, subiectum ratione accidentium est in duobus generibus non subalterнатim positus; non tamen idem metaccidens formaliter, & proprie loquendo.

23 Iterum obijcies: nam corpus habet differentiam prædicamenti substantiæ; & etiam diuiditur differentijs quantitatis per trianam dimensionem: ergo diuersorum prædicamentorum possunt esse eadem differentia essentialis. Idem argumentum fit de *lyacutam*, quod habet differentias quantitatis, & qualitatis; quia dicimus angulum acutum, & vocem acutam.

Respondetur; quod corpus dicitur analogice, seu æquiuoce, à consilio, de corpore quod est in genere substantiæ, & de corpore, quod est species quantitatis, vt in proprio loco infra dicitur. Vnde cum non significant vnã rationem: sed plures; non est in eis eadem differentia, sed diuersa. Quod pariter notauit Philosophus loquendo de *lyacutum* 1. Topic. cap. 13. dicens; *vox enim à voce differt, quod acuta: item magnitudo à magnitudine: ita fit, vt acuti vocabulum sit in hominibus (ho: est æquiuocis, seu similibus tantum in voce) diuersorum enim generum, quorum vnũ ab alio non continetur, diuersa*

*sunt differentia: hucusque*

*Philosophus.*

\*\*\*

## QVÆSTIO III.

*Quid, & quotuplex sit analogia?*

1 **A** Nalogorum notitia, non minus est necessaria, quam difficilis, & metaphysica; & quia ad illam directe spectat; ideo integrũ de illa tractatum in 3. p. Metap. vt in loco opportuno inferemus; ne tamen logici de fraudentur doctrina sibi debita, & necessaria; ibi latius disputanda, breuiter nunc præstringemus.

### §. I.

*Definitiones, & diuisiones analogorum.*

2 **A** Nalogia, est vox Græca, & est idem ac latine *proportio*; vnde idem est aliquid prædicari secundum analogiam, ac prædicari secundum proportionem: vt notat S. Thomas quæst. 2. de Veritate art. 11. In communi autem loquendo, analogorum nomine intelligimus, vel æquiuoca à consilio, vel *ex quorum nomen est commune, ratio vero per nomen significata, partim est eadem, & partim diuersa*; non determinando qualem habeant vnitatem, vel diuersitatem.

Huiusmodi autem analogia dari, euidentissimum est; quia per se notum est dari æquiuoca à consilio; & euidenti ratione constat, aliqua solum habere vnitatem proportionis. Quæ propter propriam

vocem videtur ignorasse Mag. Ca-bero, cum scripsit tractatu 4. disp. 2. dub. 1. quod stando tantummodo rationibus, nullo negotio, definitio destrui, & analogia negari possunt. Hoc tamen nullam habet apparen- tiam; quia sola vocis exposita signi- ficatione, rejicitur; neque in hoc est immorandum; quia paradoxum est, ab omnium sapientium concep- tione diuertere, & id nulla ratione probare.

4 Analogia in communi alia sunt *physica*, & alia *logica*. Analo- ga *physica* sunt analogia *inequali- tatis*; quæ sic describuntur à Caiet. cap. 1. sui opusc. *sunt quorum nomen est commune, & ratio secundum illud no- men, est omnino eadem; inequaliter ta- men participata*; sicut, corpus, cū di- uiditur in corruptibile, & in incor- ruptibile, dicitur diuidi analogice, apud Physicos, & Metaphysicos, quia considerant æqualitatem in modo essendi, vt notat S. Thomas lib. 7. Physic. lect. 8. & 1. Perih. lect. 8. in principio. Quia tamen ratio significata est simpliciter ea- dem, ac proinde est fundamentum vniuocationis logicæ, ideo ista sim- pliciter dicuntur apud Logicos v- niuoca, & secundum quid tantum analogia.

Quare istis omisis, solum trac- tandum est de analogis logicis, quæ sunt media inter puram æqui- uocationem, & simplicem vniuoc- ationem, vt docet S. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 5. & lib. 11. Metap. lect. 3. litt. b. quamuis loquendo de æquiuatione, vt comprehendit æquiuoca à consilio, analogia redu-

cantur ad æquiuoca à Philosopho; vt notat S. Thomas 1. p. quæst. 13. artic. 10. ad 4. & lib. 1. Ethic. lect. 7. in fine, & alibi sæpe.

5 Analogia logica diuiduntur à D. Thoma quæst. 2. de Veritate art. 11. quod alia sunt analogia *pro- portionis*, & alia *proportionalitatis*. Pro quorum terminorum explica- tione, notandum est ex eodem D. Thoma lib. 5. Ethic. lect. 5. & lib. 1. Post. lect. 12. quod *proportio est habitudo quantitatis vnus ad alteram: & proportionalitas est collectio duarum proportionum*; & licet proportio, & proportionalitas, quoad primam impositionem, sint tantum in cor- poralibus; tamen inde transferuntur ad significandam quamcum- que aliam habitudinem, inter quascumque alias res repertam; & si sit proportio duorum ad inui- cem, inter quæ sit similitudo dua- rum proportionum, vocatur pro- portionalitas; si autem tantum sit simplex proportio, retinet no- men commune, & vocantur a- nalogia attributionis, vel propor- tionis.

6 Analogia proportionis, seu attributionis, sic diffinitur à Ca- ietano capit. 2. sui opusculi, ana- logia secundum attributionem sunt, *quorum nomen est commune, ratio au- tem secundum illud nomen, est eadem secundum terminum, & diuersa secun- dam habitudines ad illum*, vt ly-fiam, dictum de vrina, medicina, & ani- mali: dicit diuersas habitudines ad vnã sanitatem, quæ est in ani- mali.

7 Analogia secundum propor-  
tio.

nalitatem, sic describuntur à Caietano cap. 3. sui opusculi, *quorum nomen est commune, & ratio secundum illud nomen est proportionabiliter eadem; vel est similis secundum proportionem, ut, videre, de visu intellectuali, & corporeo.*

8 Præterea notandum, quod S. Thomas sæpissime diuidit analogia, quod quædam sunt *vnus ad alterum*: quædam sunt *duorum ad vnum tertium*. Sed præcipue quæst. 7. de Potentia artic. 7. dicit: prædicationis analogicæ duplex est modus: vnus, quo aliquid prædicatur de duobus per respectum ad aliquod tertium, sicut ens de quantitate, & qualitate per respectum ad substantiam: alius modus est, quo aliquid prædicatur de duobus per respectum vnus ad alterum; sicut ens de substantia, & quantitate. In primo autem modo prædicationis oportet aliquid esse prius duobus, ad quod ambo respectum habent, sicut substantia ad quantitatem, & qualitatem: in secundo autem non, sed necesse est vnum esse prius altero.

9 Circa hanc diuisionem D. Thomæ notandum, quod Caietanus capit. 2. iudicat esse subdiuisionem analogorum attributionis. Melius tamen Ferrara 1. contragent. cap. 34. §. *Sciendum vltimus*: notat quod analogia, quæ est vnus ad alterum, dupliciter accipi potest: vno modo vt distinguitur contra analogiam duorum ad vnum tertium: alio modo vt distinguitur contra analogiam præ-

portionalitatis: nam analogia vnus ad alterum, conuulsa contra analogiam duorum ad vnum tertium, accipitur tamquam commune quodam, & diuiditur in analogiam proportionis, & analogiam proportionalitatis. Itaque, analogia logica diuiduntur, in analogia attributionis ad tertium, & proportionis vnus ad alterum: & ista subdiuiduntur in analogia proportionis simplicis, & proportionis duplicatæ, quæ est proportionalitas. Et proportio simplex retinet nomen commune diuisi: sicut cum dispositio diuiditur in habitum, & dispositionem. Possunt autem subdiuisiones istæ habere locum in eodem analogo secundum diuersos respectus: nam si conferantur analogia cum primo, & principali, dicuntur ad vnum, vel multorum ad tertium, si vero comparentur inter se, vocantur vnus ad alterum, vel duorum ad diuersa.

10 Rursus diuiduntur analogia, in analogia *metaphorica, & propria*: analogia metaphorica sunt quando accipitur terminus pro aliquo, ad quod ex vsu transferitur, propter aliquam similitudinem: vt cum *leo* accipitur, pro *Christo*. Aduertit autem Magist. Soto lib. 2. Dialect. cap. 10. lect. 1. notab. 2. quod vt sit metaphora, requiritur, quod sit quasi noua impositio, & translatio termini ad aliud significatum: *metaphora* enim, idem est, quod *translatio*: propter quod S. Thom. 5. Metaphysic. lect.

lect. 5. ista vocat analogia secundū  
quandam *porrectionem*, id est, *extensio-*  
*nem*. Quod est de mente Phil. ibi-  
dem: nam iuxta translationem Be-  
sarionis, ait: *ut si quis producta voce*  
*dicat, &c.* Analogia propria sunt, quo-  
ties vox accipitur pro illis, quæ pro-  
prie significat, & sine translatione.

11 Censet autem Caietanus in  
suo opusculo cap. 3. hanc esse sub-  
diuisionem solius analogiæ pro-  
portionalitatis. Sed melius est di-  
cere, hanc esse immediatam diuio-  
nem analogi logici in communi,  
ut colligitur ex D. Thom. 1. p. q.  
13. art. 6. nam, *ridere*, dictū de pro-  
peritate fortunæ, & de floriditate  
prati; si comparentur inter se, sunt  
analogia proportionalitatis: si vero  
conferantur cum actu letitiæ hu-  
manæ, sunt analogia attributionis  
multorum ad vnum tertium: & ta-  
men, *ridere*, proprie significat sig-  
na letitiæ humanæ; metapho-  
rice autem, *ridere*, significat pro-  
peritatem fortunæ, & floriditatem  
prati. Est aliud exemplum S. Tho.  
5. Metaph. lect. 8. littera d. nam  
tranquillitas maris, & serenitas  
aeris, inter se habent similitudinem  
proportionum; & ita sunt analogia  
proportionalitatis: si vero compa-  
rentur ad tranquillitatem, & pacem  
internam hominis; dicuntur analo-  
gia attributionis: ergo in vtrisque  
habet locum analogia propria, &  
metaphorica: quia translatio po-  
test sumi, vel ex conuenientia pro-  
portionum; vel ex habitudi-  
ne extrinseca, in diuersis  
generibus causarum,  
vel effectuum.

## §. II.

*De analogis primum du-*  
*bium.*

12 **A**D maiorem explicationem  
predictarum diuisionum;  
dubitatur primo, vtrum omnis ve-  
ra analogia proportionalitatis, in-  
cludat aliquid metaphore, & impro-  
prietatis?

Affirmant P. Suarez disput.  
28. Metaph. sect. 3. num. 10. P. Di-  
dacus à Iesu disp. 11. quæst. 3. &  
alii; quorum ratio est: nam si in pro-  
portionalitate non includatur im-  
proprietas, per proportionalitatem  
non tollitur æquiuocatio: nam pro-  
portio habitudinū, inter res omni-  
no similes inueniri potest: ergo pro-  
portionalitas sine metaphora, non  
constituit analogiam; sed relinquit  
vniuocationem.

13 Dicendum tamen est; dari  
analogia proportionalitatis, etiam  
nulla interueniente metaphora,  
aut improprietate. Hac est com-  
munis sententia: quam diligenter  
probant PP. Carmel. disput. 10. q.  
4. §. 1. & 2. & Mag. Ioan. à S. Th.  
quæst. 13. artic. 4. & aperte colli-  
gitur ex D. Thom. 1. Ethicorum  
lect. 7. & quæst. 2: de Veritate ar-  
ticulo 11. ex quo primo probatur:  
nam ens dictum de Deo, & crea-  
turis; de substantia, & accidenti;  
dicitur analogum analogia propor-  
tionalitatis: & tamen ratio per no-  
men significata reperitur proprie,  
& absque metaphora in creaturis,  
& in accidentibus: ergo analogia pro-

proportionalitatis valet reperiri sine metaphora.

14 Præterea probatur; nam quando conuenientia proportionū est conuenientia simpliciter; voces non explicant solam conuenientiā proportionalem, sed rationem propriam simpliciter eandem, & vni uocam; vt inductiue patet: ergo, cū sola vnitas proportionalis significatur; etiam si non significetur metaphorice, sed proprie; erit analogia. ¶ Demum probatur: vt constituat analogia sufficit dependentia, vel inæqualitas in ipsa ratione communi diuisa: & hac ratione D. Tho. lib. 1. Perhieremias lect. 8. probat, quod ens non potest esse genus substantiæ, & accidentis; quia in ipsa ratione entis, substantia, quæ est ens per se, prioritatem habet respectu accidentis, quod est ens in alio, & per aliud: sed hæc dependentia, & inæqualitas reperiri potest, etiam si vtraque ratio proprie, & sine metaphora per nomen significetur: dari ergo potest vera analogia proportionalitatis, sine metaphora, & impropriate.

15 Per quæ facile respondetur argumento contrario, quod quando est proportionalitas sine inæqualitate, aut dependentia in ratione diuisa, erit proportionalitas vniuoca: sed loquimur de vnitate solum proportionali, quæ est inter illa, quæ inæqualiter participant rationem diuisam; & ideo analogice conueniunt; siue ratio significata in vtroque reperiat ex vi primæ impositionis, siue solum ex translatione, aut usu,

§. III,

*Dubium secundum de eiusdem.*

16 **S**ecundo inquiritur; vtrum sit proprium analogorum attributionis, quod ratio significata sit solum in vno, & in alijs per derivationem ab illo?

Respondetur negatiue; quia commune est omnibus veris analogis, quod ratio per nomē primo, & principaliter importata, est formaliter tantum in vno, & in reliquis, per derivationem, & denominationem ab illo. Ita docet S. Thomas 1. p. q. 13. artic. 6. & q. 16. art. 6. & 1. 2. q. 20. artic. 3. ad 3. & 1. Per hier. lect. 5. & 8. & 4. lib. Metaph. lect. 1. quem sequuntur M. Soto cap. 1. ante prædicam. q. vnica corollario. 3. & M. Ferrara 1. cōtragent. cap. 34. §. Potest. 2. ¶ Et ratione probatur: quia analogia logica important rationes simpliciter diuersas, cum sola conuenientia secundum quid; sed rationes simpliciter diuersæ, non possunt importari, & significari; nisi vna importetur principaliter, & alia rationes secundario, & per ordinem ad primariam: ergo sic necesse est contingere in omnibus analogis logicis. Maior patet, primo; quia analogia logica sunt æquiuoca à consilio: ergo important rationes simpliciter diuersas. Secundò, quia sola diuersitas secundum quid, non impedit vniuocationem logicam; sed ad summum constituit analogiam physicam. Prima verò minor probatur;

S quia

quia rationes simpliciter diuersae; vel importantur absque vilo ordine; & tunc erit mera æquiuocatio, condistincta ab analogia, de qua modo loquimur; vel importantur, vt conueniunt, sine inæqualitate in ratione communi; & sic erit mera vniuocatio: ergo, vt constituatur analogia logica, de qua modo loquimur, necesse est, quod cum tali ordine importantur, quod vnum significetur primo, & principaliter, & alia secundo, & ex consequenti.

18 Sed obijcies: nam in analogis proportionalitatis proprie, ratio significata est vna proportionaliter; in omnibus tamen analogatis reperitur proprie, & intrinsece; neque illa ratio est vna numero; sed vna proportionaliter, vt docet Caietan. opusc. de Nominum analogia cap. 2. & 7. & patet in ente, quod reperitur proprie, & intrinsece in Deo, & in creaturis; in substantia; & accidenti; de quibus dicitur analogice, analogia proportionalitatis: ergo prædicta conditio non est communis omnibus analogis; sed propria analogorum attributionis.

Vt respondeatur notandum, ex Ferrara prædicto cap. 24. §. aduertendum autem, quod analogorum, ratio propria, aliquando est idem, ac ratio principalis, & primaria; aliquando vero significat, omne id quod importatur proprie, & intrinsece, siue importetur primario, siue secundo. Quando igitur asserimus cum D. Thoma, quod ratio propria analogorum est vna numero, vt docet S.

Thom. 4. Metaph. lect. 1. & 1. Peripher. lect. 5. & 8. loquimur de ratione primaria, & principali, residente in principali analogato. At verò cum Caietanus docet, quod in analogis proportionalitatis, ratio per nome significata est in omnibus proprie, & intrinsece; exponendus est de significato secundo; quia analogata, que purâ habent attributionem, tantum extrinsece communicantur secundarijs analogatis: vt patet de *ly sanum*, & alijs huiusmodi; at verò analogata proportionalitatis, ultra denominationem extrinsecam à principali analogato, habent propriam rationem intrinsecam; quamuis secundo per nomen significatam. Et sic creaturæ sunt bonæ extrinsece à bonitate diuina, à qua exemplatur, efficitur, & finalizatur omnis bonitas; & tamen habent bonitatem intrinsecam sibi inhaerentem, vt docet S. Thomas 1. p. q. 6. artic. 4. & quæst. 16. art. 6. Vnde differentia inter analogata pure attributionis, & proportionalitatis sumitur ex secundo significato; & non ex primario; & ex diuerso fundamento habitudinis ad primarium.

#### §. IV.

#### *Dubium vltimum*

19 **T**ertio dubitatur; vtrum ultra species analogiæ, iam recensitas, sit alia, quæ dicitur à Recentioribus *transcendentia*?

Respondetur negatiue; quia licet transcendentia impediatur vniuoca-



## QVÆSTIO IV.

*Utrum ens dicatur uniuoce, vel analogice de decem generibus?*

## §. I.

*Quædam præmittuntur.*

**I**CVM ens in quantum ens sit obiectum Metaphysicæ, nulli dubium, quod ad illam attinet tractare de eius transcendentia, analogia, & alijs pertinentibus ad entis diuisiones. Sed quia etiam ens est diuisum in decem prædicamenta, de quibus agit Logicus; ideo non possumus non, ad ante prædicamentorum notitiam exactam habendam, nonnulla de analogia, & conceptu entis, iuxta captum Logicorum disputare.

2 Notandum est igitur, quod ens est nomen concretum, sicut album; & ita significat aliquid de formali, & supponit pro illo, quod importat materialiter. Accipitur autem dupliciter: vno modo *strictè*, & *proprie*, vt est participium verbi, *sim, est, fui*: secundo accipitur *communiter, late*, vt est nomen. Primo modo ens significat, *ad quod est*, iuxta Philof. 1. Pnyfic. textu 13. & lib. 2. post cap. 7. quod optime notauit S. Tho. 1. Perhier. lect. 5. circa finem, dicens; *ens nihil aliud est, quam quod est: & sic videtur, & rem significare, per hoc quod dico, quod, & esse, per hoc, quod dico est.* Ens autem se-

cundo modo, vel significat *essentiam*, seu quidditatem; vel omne id, quod non est nihil.

3 Aduertit autem Ferrara 1. cõtragen. cap. 25. quod ens vtroque modo acceptum, significat *quod habet esse*: cum hac differentia, quod vt est *participium*, formale illius significatum, est *existentia*; *essentia* verò solum importatur, vt subiectum susceptuum *existentiæ* exercitiæ: ens autem *nominaliter*, formaliter significat *essentiam rei*; & hoc est ens, quod diuiditur per decem genera, vt notat S. Thom. quodlib. 2. artic. 3. vnde ipse S. Th. 10. Metaph. lect. 3. in fine, asserit, quod *ens, quod diuiditur per decem prædicamenta, significat ipsas naturas decem generum, secundum quod sunt actus, vel potentia.*

4 Præterea supponendum est, quod ens participialiter sumptum, de nulla creatura prædicatur quidditatiue: quia soli Deo competit essentialiter, quod existat, & quod sit suum esse; de creaturis verò, existentia prædicatur accidentaliter prædicabiliter: quia conuenit contingenter: de quo S. Tho. 1. contragent. capit. 26. at verò ens sumptum nominaliter, est prædicatum quidditatiuū: quia hoc modo ens significat *essentiam*, quæ abstrahit ab existentia: & ita non potest non rei conuenire.

5 Tertio est certum, quod ens, sumptum nominaliter, transcendit omnia, quæ directe ponuntur in prædicamento. Cuius ratio est facilis, ex sola explicatione illius vocabuli *trāscedens*: significat enim, illud quod

quod intime imbibitur; & clauditur in alterius conceptu, saltem explicito; ita vt non possit explicite significari, altero non expresso; sed ea, quæ sunt directe in prædicamento, explicite concipi non possunt, non exprimendo rationem entis: quia si sunt entia per se; eo ipso includant præcipuum analogatum entis: si verò sint entia in alio; eo ipso imbibitur in illis secundarium entis analogatum, quod est accidens.

## §. II.

*Primum dubium.*

**S**olum ergo manet difficultas, vtrum ens transcendat vsque ad vltimas differentias?

Negat Scotus in 1. dist. 3. q. 2. quem sui sequuntur discipuli, & pauciali.

Dico tamen, primò: ens communissime, & abstracte sumptum, transcendit vsque ad vltimas differentias. Ita Philos. 3. Metaph. textu 10. adductus à S. Tho. quæst. 1. de Verit. artic. 1. & est communis. Et probatur primò, ratione S. Tho. 1. 2. q. 94. artic. 2. dicentis, *illud quod primo cadit in apprehensione, est ens, cuius intellectus includitur in omnibus quæcumque quis apprehendit.* Et formatur sic: omne, quod realiter cognoscitur esse sub essentia reali, est vere ens reale; vt constat ex vocis significatione, iam expofita; sed vltima differentia vere est aliquid, cui competit esse; & vt sic ab intellectu cognoscitur: ergo

vere vltimæ differentie imbibunt rationem entis.

7. Secundo probatur: nam vltima differentia, quæ non est vltimè diuisibilis, vel opponitur contradictorie ad nihil, & sic in formaliter est ens, vt nunc intendimus; vel non habet repugnantiam cum nihil; & sic non erit vltima differentia entis realis; sed erit quid chimericum, & repugnans.

Tertio probatur: quia qui apprehendit vltimam differentiam, si vult explicare, id quod apprehendit, debet necessario confugere ad rationes proprias, quæ vnum ens differt ab alio: sed hoc est iam factum, quod ens communissime transcendit omnia: ergo negari non potest, quod ens transcendat vltimas differentias.

8. Sed obijcies, primò: nam ea, quæ sunt primo diuersa, in nullo conueniant: sed vltimæ differentie sunt primo diuersæ: ergo in nullo conueniunt: ergo nec conueniunt in ente: ac per consequens, ens non transcendit vltimas differentias. Maior patet, ex sola explicatione terminorum; minor verò sumitur ex Philosop. 10. Metaphys. textu 24. & 25. docente, quod *cum differens, aliquid differt*: ergo vltimæ differentie aliquibus aliis differentis differunt: & sic sequitur, quod non sint primo diuersæ; & quod essent vltimæ; & non essent vltimæ: & quod daretur processus in infinitum indifferentis vltimis;

Respondetur, primo ex D. Th. 3. Metaph. lect. 12, quod ea quæ sunt primo diuersa, non conueniunt simpliciter, & uniuoce; possunt tamen conuenire secundum quid, & analogice. ¶ Secundo respondetur, ex eodem D. Thoma 1. p. q. 90. art. 1. ad 3. & q. 3. art. 8. ad 3. quod in vulgari loquutione ultimæ differentie dicuntur adinuicem differre: quia sunt rationes faciendi differre. In rigore autem logico, & metaphysico, non proprie dicuntur differre, sed diuersa esse. Ex quo solum sequitur, quod non faciant compositionem cum ente, & quod in illo non conueniant simpliciter: non tamen, quod ens differentias non transcendat, & ab illis differat penes conceptus explicitos, & implicitos.

9 Secundo arguitur: id quod metaphysice præscindit ab alio, non transcendit illud: sed ens metaphysice præscindit à differentijs: ergo ens non transcendit ultimas differentias. Probat minor: omne contrahibile metaphysice, præscindit metaphysice à contrahente: sed ens est metaphysice contrahibile per differentias: ergo metaphysice præscindit ab illis. Probat minor: nam ultimæ differentie significant rationem ultimo determinantem; ens autem aliquid determinabile: sed id quod est determinabile, est vere contrahibile, saltem metaphysice: ergo formaliter, metaphysice loquendo, ens est extra conceptum formalem differentiarum.

Respondetur; distinguendo

ultimam probationem minoris: aliquid determinabile, obiectiue, & in re; nego; aliquid determinabile, tantum ex modo significandis concedo: quia per hoc non tollitur entis transcendentia; neque adstruitur entis compositio cum ultimis differentijs; sed solum declaratur, quod res, vel possunt significari nominibus communissimis, & transcendentibus, solum exprimentibus rationes generales; vel possunt significari conceptibus, & vocibus exprimentibus rationes proprias, & peculiare. Quod totum videtur complexus S. Tho. quæstione 1. de Verit. artic. 1. docens, quod secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum expriment modum ipsius entis, quò nomine ipsius, entis non exprimitur.

### §. III.

#### *Vtrum ens sit genus?*

10 **S**ecundo inquitur, vtrum ens possit esse genus.

Dico secundo: ens non potest esse genus. Ita Philosoph. 3. Metaphys. & ibi S. Thom. lectione 8. & lib. 5. lectione 9. littera c, & ambo hanc conclusionem probant ex precedenti, in hac forma: nullum transcendens, in quantum transcendens, potest esse genus: sed ens communissime sumptum, est transcendens: ergo, ens in ista acceptione, non potest esse genus. Tota hæc ratio, proponitur etiam à D. Thoma 1. p. quæst. 2. artic. 5. his verbis: ostendit Philosophus

in 3. Metaphysicæ, quod ens non potest esse genus alicuius: omne enim genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis: nulla autem differentia posset inueniri, quæ esset extra ens: quia non ens non potest esse differentia. Hanc minorem iam ostendimus conclusione prima: maior uero patet ex dictis lib. præcedenti tractando de differentia, ex Philosoph. 4. Topicorum capit. 3. docente, quod differentia continetur in genere in potentia, & non in actu: quia sunt extra essentiam generis: alioquin genus non diceret rationem simpliciter unam, sed simpliciter plures.

Hæc ratio habetur etiam opusculo 48. apud S. Thomam tractatu 1. capit. 5. ubi subdit: assignatur etiam alia ratio, quare ens non sit genus, quia non potest esse uniuocum ad substantiam, & accidens.

11 Sed obijcies: nam genus est, quod prædicatur de pluribus differentiis specie in eo quod quid: sed ens prædicatur de pluribus differentiis specie in eo quod quid: ergo ens est proprie genus. Probat minor: nam ens prædicatur de his, quæ continentur in decem prædicamentis: quæ constat specie differre.

Respondetur, quod, ut notat M. Flandria lib. 3. Metaph. quæst. 6. articulo 3. ad 3. in definitione generis subintelligitur *uniuersale*, quod est genus ad quinque uniuersalia: de ratione autem uniuersalis est, quod habeat unitatem simpliciter, uniuocorum propriam;

ens autem solum habet unitatem secundum quid, propriam transcendentium; & ideo non est genus: quia non est proprie uniuersale sed proprio nomine appellatur prædicatum *transcendens* iuxta Philos. 1. Ethicorum cap. 6. Videatur, quæ diximus lib. 1. q. 16. num. 4.

§. IV.

*Utrum ens sit uniuocum.*

12 **T**ertio inquitur, utrum ens prædicetur uniuoce, vel analogice, de suis inferioribus?

Afirmat Scotus ubi supra, quem sequuntur Gabriel in 1. distin. 2. quæst. 4. & alij Nominales ibidem. Cum quibus ex parte conuenit M. Cabero tract. 4. disp. 3. dub. 3. conclus. 2. asserens, *ens completum* dici uniuoce de Substantia, & Accidente: quia ens completum non transcendit differentias entium particularium; quia istæ non sunt entia completa, sed incompleta: ergo dicit conceptum perfecte præcisum, & abstractum: ergo non dicit aliquid analogum, sed uniuocum: patet consequentia: quia si ens secundum Philos. non est genus, quia non est extra differentias contrahentes: ergo eas completum erit uniuocum, & genus, quia extra differentias est.

Præterea id probat: quia ens completum de Petro, & Paulo dicitur uniuoce: ergo de substantia, & accidente etiam dicitur uniuoce.

13 **D**ico tamen tertio: ens di-

uisum in decem predicamenta, non dicitur de eis uniuoce, sed analogice; non solum loquendo de ente; prout abstrahit à completo, & incompleto; sed etiam loquendo de solo ente completo. Clare sumitur ex Philosopho 4. Metaph. cap. 2. & lib. 7. cap. 1. & 4. & lib. 1. Ethicorum cap. 6. & traditur à D. Tho. 1. p. q. 13. art. 10. ad 4. & in 1. dist. 22. q. 1. art. 3. ad 2. & q. 7. de Potentia artic. 7. & lib. 4. Metaph. lec. 1. & alibi saepe. Et est communis.

Prior pars probatur primo ex dictis: quia si ens esset uniuocum, nihil illi deesset, ut esset genus; sed ostensum est, ens non esse genus: ergo non est uniuocum; & cum non sit æquiuocum; erit analogum. Maior probatur primo: quia conueniret illi definitio generis. *Et vniuersale*, quod in illa sub intelligitur, etiã reperitur in ente, semel concessò, quod in illo est uniuocatio. Secundo probatur maior: quia ibi esset fundamentum, & omnes conditiones exactæ ad fundandam secundam intentionem generis: ergo cum ens non sit genus, non est uniuocum, sed analogum.

14 Dices: enti deesse ad rationem generis, quod sit extra conceptum differentiarum, quia genus de illis non predicatur quidditative: ens autem quidditative predicatur de differentiis.

Sed contra nam hæc solutio vult componere duo contradictoria simul; nempe, quod ens sit extra conceptum differentiarum, ut reliqua genera; & ex alia parte, cum ens sit transcendens, nihil est, quod ens non includat; & ita sequitur, quod ens sit trans-

cendens ultimas differentias; & quod non transcendat illas. Probatur prima pars, de qua sola est difficultas: nam omne proprie uniuocum dicit rationem simpliciter unam, ad differentiam analogorum: ratio autem actu includens diuersitatem simpliciter, non est simpliciter una: eo autem ipso, quod sit transcendens, & ut tale cognoscatur, includit diuersitatem simpliciter: ergo non potest esse transcendens, & ut tale explicari, & habere uniuocationem.

15 Secundo probatur utraque pars, ratione S. Thomæ lib. 1. Perihier. lec. 8. litt. a, ubi ita inquit: *Propter hoc ens non potest esse genus substantiæ; & accidentis; quia in ipsa ratione entis, substantiæ, quæ est ens per se, prioritatem habet respectu accidentis: quod est ens in alio, & per aliud.* Ex quo sic arguitur: analogia logica sunt, quorum nomen est commune; ratio vero diuisa per prius reperitur in vno, quam in alio: sed ratio entis per prius reperitur in substantia, quam in accidente: ergo non dicitur de eis uniuoce, sed analogice. Probatur minor: nam sola substantia est ens simpliciter; accidens vero est ens secundum quid: quia est entis ens; ergo est in ratione inæqualitas tollens uniuocationem, analogiam constituens.

Respondebis; esse in æqualitate physicam, & secundum rationes particulares: non vero in æqualitatem logicam, & secundum rationem communem.

16 Facile ex hoc ipso urgetur argumentum: nam in ipsa ratione entis; sola substantia est simpliciter ens, & accidens tantum secundum quid: ergo, vel nunquam est inæqualitas in ipsa ratio-

ratione diuisa, vel maxime relucet in diuisione entis in substantiam, & accidens. Quæ ratio plane militat etiam de ente completo: nam accidentia completa solum sunt entia secundum quid, & per dependentiam à substantia: vnde, etiam loquendo de accidentibus in sua linea completis, verum habet, quod de omni accidente dixit Philosophus 7. Metaphys. textu 2. quod *entia dicuntur, eo quod vere entis quedam sunt &c. id est, vt ibi explicat S. Thomas lect. 1. littera b. eo quod habent aliquam habitudinem ad substantiam, quæ est perse. ens, quia non significant quidditatem, nisi secundum quid.*

17 Ad primum in contrarium, concedo antecedens, & nego vtramque consequentiam: quia transcendentia in ente abstracte à completo, & incompleto, impedit vniuocationem, & constituit analogiam: sumpto autem ente in particulari, & restricte ad solum ens completum, non est explicita transcendentia: vnde ex hac parte non impediretur vniuocatio, nec constitueretur analogia: constituitur tamen ex inæqualitate, & dependentia in ipsa ratione superiori. In causis autem in æquatis, non bene valet, si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, quamuis bene valeat in causis adæquatis, & precisis, & quæ ad conuertentiam dicuntur.

18 Ad secundum iam diximus in fine questionis tertie, quod analogum, sicut, & æquiuocum, adeo restricte sumi potest, quod

respectu illorum sit vniuocum: quamuis adæquate, & respectu omnium sumptum, sit analogum, vel æquiuocum: vnde licet ens respectu duorum indiuiduorum, quoad rationes completas, non explicet analogiam; quia nec transcendentiam, nec inæqualitatem explicat; tamen respectu substantiæ, & accidentis, ens completum inæqualitatem explicat in ipsa ratione diuisa; & ideo impeditur vniuocatio logica, & constituitur analogia. De quo iterum quæst. 7. disputando, vtrum accidens completum dicatur vniuocè de omnibus accidentibus completis?

## §. V.

*Quæ analogia sit analogum?*

19 Demum est difficultas, quæ analogia ens sit analogum, in quantum est diuisum in decem predicamenta?

Respondetur, esse analogum attributionis: quia accidentia dicuntur talia per ordinem ad substantiam: & ideo Philosophus, & S. Thomas hb. 4. Metaph. lectio. 1, & hb. 6. lect. 1. & hb. 11. lectione 3: hanc entis analogiam explicant exemplo *sani*, quod dicitur de animali, & de vrina, & medicina: constat autem *sani* esse analogum attributionis; quia omnia dicuntur sana per habitudinem ad sanitatem animalis; quam vrina significat, & medicina causat ergo, & ens ita analogia est analogum. Et patet etiam ex definitione istorum ana-

logorum: nam in illis ratio significata est eadem secundum terminum, & diuersa secundum habitudines ad illum: sed ratio estis, primo, & principaliter solum dicitur de substantia, quæ habet esse; & de accidente solum dicitur secundum quid, & per habitudinem ad substantiam; ergo ens dictum de substantia, & accidente est vere, & proprie, & formaliter analogum attributionis.

20. Afferimus deinde, quod ens vere, & proprie est analogum proportionalitatis, non metaphoricæ, sed propriæ: ut sumitur ex D. Th. lib. 1. Ethicor. lect. 7. & lib. 12. Metaph. lect. 4. & in 1. distinct. 19. q. 5. art. 2. ad 1. qua propter hanc assertionem simul cum præcedente, docent Caietanus cap. 2. de Ente, & essentia quæst. 3. conclus. 2. Ferrara lib. 1. contragent. cap. 34. Flandria lib. 4. Metaph. quæst. 2. artic. 4. & Thomistæ communiter. Ratioque est facilis: nam analogia proportionalitatis habent rationem eandem proportionaliter, vel similem secundum proportionem, & ratio significata etiam in secundariis analogatis reperitur intrinsicè: sed accidentia inter se proportionantur in ratione entis; & vere, & proprie sunt entia, quamuis secundum quid; ut præcipue patet in quantitate, & qualitate: ergo ens de eis, & de substantia, dicitur analogice vtraque analogia.

21. Obijcies: nam impossibile est eidem vtramque analogiam simul conuenire: sed ens dictum de substantia, & accidente, est vere ana-

logum attributionis, ut ex Philosopho docuimus: ergo non potest esse analogum proportionalitatis propriæ. Probatur maior: nam in analogis attributionis forma significata per nomen est in vno solo intrinsicè, & in alijs pure extrinsicè; & sic est vna numero. in analogis vero proportionalitatis in omnibus analogatis forma significata est intrinsicè, & non est vna numero, sed solum vna proportionaliter: constat autem istas esse condiciones repugnantibus eidem simul: ergo vel ens non est analogum attributionis, vel non est analogum proportionalitatis propriæ.

22. Dices, cum Caietano opusc. de Nominum analogia capit. 2. §. Sed diligenter, quod hoc non est inconueniens: quia denominationes istæ conueniunt secundum diuersas considerationes: & sic bene possunt in eodem materiali adunari, si condiciones formaliter intelligantur: vnde accidens, quatenus analogum attributionis, solum denominatur extrinsicè ens: quamuis idem, ut analogum proportionalitatis, dicatur ens intrinsicè, & proprie. nam, ut late exponit Araujo lib. 4. Metaph. q. 2. artic. 2. dub. 2. ad 2. entitas intrinsicè, & propria analogorum proportionalitatis, est fundamentum denominationis extrinsicæ, prouenientis a primo analogo attributionis.

Sed contra: nam formam esse vnam numero, vel plurificari numero; formam esse realiter intrinsicè, & realiter extrinsicè, sunt prædicata physice, & realiter conuen-

tia, & inter se realiter repugnantia: ergo, quantumvis considerationes sint diuersæ, & conditiones formaliter intelligantur; non obtinetur intentum, quod vtraque species analogiæ, eidem enti, in eadem diuisione, possit conuenire. Antecedens videtur manifestum: nam plurificatio, vel indiuisio formæ, quid physicum, & reale est: esse indiuisam numero, & numero diuisam, contradictionem inuoluit; & similiter denominari intrinsicè, & denominari pure extrinsicè.

23 Respondetur, quod cum analogia sint æquiuoca à consilio; habent duas significationes, & duas rationes significatas, vnã primario & principaliter; & aliam secundario, & ex consequenti: ratio primario significata, est *vna numero*, vt ait S. Thomas 4. Metaphysicæ lectione 1. & ab ista solum extrinsicè denominantur secundaria analogata; quia intrinsicè residet solum in primario analogato: rationes vero secundario significatæ semper sunt plures, & distinctæ realiter, vel formaliter, à ratione primario significata. Est tamen discrimen, quod quando analogia, est puræ attributionis, fundamentum denominationis extrinsicæ, proueniens à forma, quæ est in primo analogato; nõ est, aliquid eiusdem denominationis, & rationis cum illo, quod est in primo: & ideo pure extrinsicè denominantur; & sic vrina, & medicina, dicuntur extrinsicè sana; quia fundamentum quod habent, vt sana denominentur, non est sanitas formaliter. Quando vero, est simul

cum attributione, analogia proportionalitatis; fundamentum illius denominationis extrinsicæ, proueniens à principali analogato, est aliqua forma intrinsicè eiusdem denominationis; quæ est eadem proportionaliter cum primo analogato: & sic contingere in analogia entis, & veri, & boni, docet S. Thom. 1. p. q. 6. art. 4. & q. 16. ar. 6. & ideo ens dictum de substantia, & accidente formaliter vtraque analogia est analogum.

## QVÆSTIO V.

### De conceptu entis.

#### §. I.

#### Status questionis.

1 **D**VO recolenda sunt, quæ iam sunt explicata libro primo, videlicet, quod conceptus est duplex, nempe *formalis*, & *obiectiuus*, iuxta dicta quæstione 10. n. 2. & quod *precisio* intellectus, alia est *negatiua* & alia *positiua*, vt exposuimus quæstione 13. n. 15. Subdiuidunt vero quidam præcisionem negatiuam intellectus, quod quædam sit *adequata*, seu *mutua*: quia ita potest concipi vnũ, sine expressa cognitione alterius, quod è contra etiam aliud cognosci potest sine isto: alia vero est *inadequata*, eo quod est non mutua.

2 Præterea aduerte, quod Auctores, qui negant præcisiones obiectiuas, cū disputat de conceptu entis, & de eius præcisione ab inferioribus, totã quæstionem reducunt ad

conceptum formalem intellectus: quia cum aliam præcisionem non agnoscant, hac sola exposita, totam questionem decisam arbitrantur. Quia tamen Authores communiter, præcisionibus formalibus docent correspondere præcisiones obiectivas, modo exposito illa questione 17. ideo de conceptu obiectivo præcipuam esse difficultatem merito notant. Imo ex obiectivo conceptu, conceptus formalis adæquatus est explicandus. Ceterum, quia possunt dari conceptus formales imperfecti, eo quod rebus non sunt adæquati; ideo non erit complete decisa questio, nisi explicetur conceptus obiectivus, & formalis; tam adæquatus, & perfectus; quam inadæquatus, & imperfectus.

3 Tertio aduerte, quod distinctio abstractionis; & præcisionis negatiuæ, & positiuæ; adæquate, & inadæquate; completæ, & incompletæ; potissime habet locum in conceptibus formalibus intellectus unitæ in re, præcisione diuidentis. Quod non videtur aduertisse; alioquin subtilis valde, P. Didacus à Iesu disput. 11. quest. 5. conclus. 2. & 3. quia disputans de conceptu obiectivo entis, totus inuertit ad abstractionem negatiuam; inadæquatam, & incompletam: quod solum est explicare conceptum formalem entis inadæquatum, & imperfectum; & parum curare de conceptu obiectivo adæquato; & perfecto; de quo est præcipua difficultas. Omisissis sententiis, quia illas aude, & fideliter retulimus.

1. p. Metaph. Controu. 6. artic. 3. resolutionem huius questionis ibi traditam art. 4. & 5. breuiter perstringemus, non nulla etiam addendo.

## 9. II.

*De conceptu obiectivo entis, quod non sit perfecte præcisus, probatur prima.*

4 **D**ico primo; ens diuisum in decem genera non dicit unum conceptum obiectiuum simpliciter præcisum ab illis. Manifeste colligitur ex Philosopho 8. Metaph. textu 16. & ex S. Thoma ibi lect. 5. litt. f. & lib. 10. textu 8. & S. Thoma ibi lect. 3. infine. & 4. Metaph. lect. 1. & 1. p. quest. 17. art. 5. & quest. 7. de Potentia, artic. 7. & alibi sæpe. Est que fere communis inter Thomistas, & verissimam appellat P. Vazquez 1. p. disp. 114. capit. 2. & multi alij sequuntur.

Probatur primo; quia, ut diximus questione 4. §. 2. ens transcendit, usque ad vltimas differentias; sed ratio obiectiva perfecte transcendens omnia, non potest esse perfecte præcisab illis, quæ transcendit; ergo conceptus obiectivus entis, non est perfecte præcisus ab inferioribus. Probatur minor, tertium horum explanatione; quia præcisio dicit exclusionem, & segregationem ab eo, a quo præscindit, & cum quo facit compositionem; vel unionem; quando non accipiuntur ve-

pre-

præcisa, sed vt adunata, vel composita ad inticem: at vero *transcendentia*, dicit inclusionem, & simplicitatem, & indistinctionem obiectiuam: ergo nullum prædicatum perfecte transcendens, est perfecte præcisum, ab eo quod transcendit.

5 Respondet Mag. Ortiz tractu 4. confert. 4. §. 3. quod ex eo, quod ens sit transcendens, solum infertur, quod intime imbibatur, & includatur in omnibus modis, & differentijs; si non tamen sequitur, quod ipsæ differentiæ, seu modi includantur, & imbibantur intime in ente: quod requirebatur vt essent de conceptu essentiali illius. Quod clarius exprimitur dicendo, quod extrascendentia habetur, quod prædicatum transcendens, *passive* sit inclusum, seu imbibitum, & quod alia quasi active includant, seu imbibant ens: non tamen habetur, quod ipsum prædicatum transcendens *quasi active* claudat alia: sine ista autem inclusione, non habetur, quod modi sint de essentia entis: sed quod ens sit de essentia modorum: illud autem erat necessarium, vt ratio esset efficax.

Idque explicat duplici exemplo: primum, nam genus essentialiter includitur in specie (licet non in differentia) vt *animal* includitur in *homine* essentialiter, vt non possit concipi *homo* essentialiter, quin concipiatur *animal*: & tamen *homo* non est de conceptu *animalis*; cum animal possit concipi essentialiter sine homine: ergo bene compatitur ens per transcendentiam includi in modis, & differentijs; & non includere illos, nec istas.

Aliud exemplum est Theologorum: nam iuxta communem sententiam, essentia diuina intime includitur in relationibus; non tamen ipsæ relationes includuntur in conceptu essentiali essentia: quod videtur expressè docere S. Thomas. 1. p. q. 33. art. 3. ad 1. & explicat P. Grando 1. p. tract. 3. disp. 4. sect. 2. & ex sola inclusione essentia in relationibus impeditur cõpositio: ergo etiã si ens includatur in modis, & differentijs, si non includat actu illos, non faciet compositionem cum illis, neque per illos contrahetur.

6 Sed cõtra: exẽpla retorqueri; & nostra ratio firmari potest: & incipiendo ab ultimo, peritiores Theologi dicunt, quod licet inadæquate, & secundum conceptus imperfectos, essentia diuina sit de conceptu relationum, & relationes non sint de cõceptu essentia; tamen loquendo obiectiue, essentia est de conceptu relationum, & relationes de conceptu essentia. Quod post Caietanũ, M. Bañez, & alios bene explicant PP. Carmelit. de Trinitate disput. 5. dub. 3. & 4. & Mag. Ioannes à S. Thomã ibi disp. 13. art. 2. qui dicit *esse communem Thomistarum* sententiã, quod obiectiue, & transcendentialiter loquendo, essentia est de conceptu relationum, & relationes sunt de conceptu essentia: quod nõ obscure colligitur ex D. Thoma 1. p. q. 13. art. 4. & 3. p. q. 3. art. 3. ergo ex illo exemplo potius firmatur, quam dissoluatur nostra ratio. Sed isto exemplo Theologis omissio.

7 Secundum exemplum clarius con-

confirmat nostram conclusionem: quia species non includit genus, inclusione simplicitatis, quæ est propria transcendentium; sed inclusione compositionis, sicut omne totum suas partes includit, quæ inter se, vel realiter, vel formaliter distinguuntur, & ita cum adunantur, faciunt compositionem, vel physicam, vel metaphysicam: & ita nõ mirum, quod animal præscindat à specie, quæ genus includit, vt partem metaphysicæ compositionis. Sed in præsentī loquimur de ente non faciente, nec metaphysicam compositionem, cum inferioribus: quia in eis includitur, inclusione omnimodæ transcendentia excludente omnem compositionem: ergo ex inclusione, & transcendentia entis, bene deducitur non dicere vnum conceptum obiectiuum, perfecte ab inferioribus præcisum.

8 Demum instauratur, & explicatur vis rationis: nam transcendens, in quantum tale, non præscindit ab eo, quod transcendit, & ideo, vt ipsi fatentur, modi non præscindunt ab ente, quia *passiue* est in illis inclusum: sed ens, obiectiue loquendo quasi *actiue* transcendit, & includit modos; ergo nõ perfecte præscindit ab illis. Probatur minor, primo, nam ideo inferiora entis includunt ens, quia videmus includere passionem entis: & hac ratione (saltem à posteriori) probamus, vltimas differentias includere rationem entis, quia includunt transcendentalem veritatem, vnitatem, & bonitatem: sed ratio æque militat de ente vt sic, nõ solum quoad attributa entis, sed

quoad eius inferiora; & modos: quia obiectiue loquendo, non datur aliqua ratio prior substantia, & accidente, quamuis secundum quid, & per conceptus nostros imperfectos aliquid prius cogitemus: ergo, obiectiue loquendo, ens dicit actu diuersitatem modorum.

9 Secundo probatur minor: quando transcendentia est mutua, totalis, & perfecta, sicut inferiora actu includunt superius, ita proportionaliter superius obiectiue includit inferiora: sed transcendentia entis est mutua, totalis, & perfecta: ergo ens obiectiue non præscindit à modis. Probatur minor: nam transcendentia entis est omnium maxima; quia ens est primum, quod cadit in nostro intellectu, & quod attribuiamus cuiilibet apprehenso, condistincto à chimerico, & ficto: sed maior est transcendentia mutua, quam non mutua, vt patet: ergo transcendentia entis est mutua, obiectiue loquendo, vt nunc loquimur. Tertio probatur minor: quia si transcendentia hæc esset non mutua, ita vt ens essent de essentia inferiorum, non autem modi essent de essentia entis, sequitur quod ens, non solù negatiue, sed positiue possit ab inferioribus præscindi: consequens ipsi non admittunt: ergo nec debent asserere, inclusionem esse non mutua. Probatur sequela, quia quælibet res positiue potest præscindi ab eo, quod non est sibi essentialis; vt inductiue patet: & quia in hoc nulla, est repugnantia: ergo in consequenter, ex vna parte ponunt conceptum obiectiue præcisum; & ex alia

alia solam admittunt præcisionem negatiuam: quæ est solius conceptus formalis.

10 Obijcies: nam id quod est superius, & contrahibile, non potest dicere inclusionem mutuam cū cōtrahente: sed est ens aliquid superius, & contrahibile per differētiās, vel modos substantiæ, & accidentis: ergo non transcēdit, nec mutuo includitur eas in modis substantiæ, & accidentis. Maior patet, quia inclusio mutua est inter æqualia, quæ dicuntur ad conuertētiā, vel ex vno valet ad aliud. Minor vero probatur, quia cum ens diuiditur in prædicamētā, est diuisio superioris in inferiora: vnde hæc prædicatio *substantia est ens*, non est æqualis de æquali: alioquin esset idem, ac dicere *substantia est substantia, & accidens*: quod est aperte falsum: ergo ens est aliquid superius, & cōtrahibile per differētiās substantiæ, & accidentis. Quod totū docuit S. Th. 1. p. q. 5. art. 2. ad 1. dicēs: quod *substantiā, quantitas, & qualitas, & ea quæ sub eis contrahuntur, contrahunt ens, applicando ens ad aliquā quidditatem, seu naturam.*

Responderetur ex dictis q. 4. n. 9. distinguendo maiore, quod est superius, obiectiue, & contrahibile per metaphysicā cōpositionē, cōcedo, quod non dicit omnimodam, & mutuā inclusionē: quod est superius secundū quid, & ex modo significandi, & absq; cōpositione cū cōtrahente, nego, quod non dicat mutuā, & omnimodā inclusionē: ens autē habet superioritatē prædicati transcēditis, quæ est secundū quid superioritas; quia solū est ex modo significandi,

& ex cōceptu cōfuso, cōmunissimo & imperfecto: & ideo est superius secundū quid, & contrahibile solum quoad magis explicitū: & hæc est applicatio, seu explicatio, de qua loquitur S. Th. vt ipse se exponit, q. 1. & 21. de Veritate art. 1.

## §. III.

*Secunda ratio conclusionis ex analogia entis.*

11 **S**ecūda fundamētalis ratio cōclusionis sumitur ex analogia entis, in hac forma: si ens diceret vnā rationē obiectiuā simpliciter præcisam, nihil illi deesset ad vniuocationē logicā: sed ostensum est, ens nō esse vniuocū, sed analogū: ergo non dicit vnā rationē obiectiuā simpliciter præcisam ab inferioribus. Cætera ex dictis patēt. Et probatur maior: nā illi cōueniret definitio data vniuocorū: si quidē, nomen esset commune, & ratio significata esset simpliciter eadē, non solū ratio formalis, sed etiam ratio obiectiua.

Respondet P. Suarez disp. 2. Met. sect. 2. in fin. quod ad vniuocationē non sufficit, quod conceptus in se sit aliquomodo vnus; sed necesse est, vt æquali habitudine, & ordine respiciat multā: quod non habet cōceptus entis: quia per prius descēdit ad substantiam, quam ad accidens.

12 Hæc tamen euasio præcluditur ex doctrina S. Thomæ libro 1. Perihermenias lectione 8. nam illa inæqualitas, vel est propter diuersitatem, quæ in ratione superiori sit actu, & formaliter? Vel propter diuersitatem, quæ in ratione superiori sit solum in potentia;

tia, & radicaliter? Admittendo, quod in æqualitas est ibi actu, & formaliter; verissimum est, quod impeditur vniuocatio, & constituitur analogia: ceterum eadem certitudine tenendum, quod non est ratio vna obiectiue præcisa; quia implicat vnitatem simpliciter, stante ibi actu diuersitate simpliciter. Si vero diuersitas solum est in potentia, & in rationibus particularibus; verum est quod conceptus est præcisus: sed non erit analogus, sed vniuocus. Et ad summum erit analogia physica, quæ compatitur cum vniuocatione logica, vt diximus quæst. 3. num. 4.

13 Occurrit Mag. Ortiz §. 4. ad primum dicens, quod diuersitas actualis entis provenit à modis perse, & in alio; diuersitas vero virtualis, seu radicalis provenit ex propria natura, & proprijs meritis ipsius conceptus obiectiui entis. Et hæc diuersitas virtualis, seu radicalis, est sufficiens fundamentum analogiæ. Ad replicam responderet, quod conceptus generis est radix inæqualitatis, quæ est inter ipsas differentias: non tamen est radix inæqualitatis, quæ sit in ipsa ratione communi. At vero in ipsa ratione formali entis est diuersitas: siquidem in ipsa est dependentia, & transcendentia: & huius diuersitatis est radix ipsa ratio entis, prout præcisa; & illam petit exerceri in inferioribus suis; & ideo est conceptus præcisus, & analogus.

Cæterum hæc solutio (ni fallor) videtur duo contradictoria velle componere: nam ex vna parte no-

biseum fatetur, quod in analogis inæqualitas est in ratione ipsa communi, ad differentiam vniuocorum, in quibus inæqualitas est ex differentijs, & modis particularibus; quod totum verissimum est. Sed cum hac veritate non stat, quod in analogis sit diuersitas virtualis, seu radicalis solum: quia etiam in genere, differentia sunt in potentia, & in radice, & illarum diuersitas; quia continetur in potentia, non impedit vniuocationem. Et rursus, si diuersitas in ente est in ipsa ratione communi, vt concedunt; ergo est diuersitas actualis, & essentialis enti incommuni: ergo in illa communitate impeditur vnitatem simpliciter: cum quo non compatitur præcisus conceptus obiectiui, quem intendunt; sed solum vnus secundum quid, & imperfecte præcisus, vt à nobis adstruitur.

### §. III.

#### *Soluuntur argumenta.*

14 **P**Rimo arguunt autoritate S. Thomæ quæst. 1. de Veritate art. 1. dicens: *illud autem, quod primo intellectus concipit, quasi notissimum, & in quod omnes conceptiones resoluit, est ens, vt Auicenna dicit in principio Metaphysica sua: vnde oportet, quod omnes alia conceptiones intellectus accipiatur ex additione ad ens.* Et cap. 1. de Ente, & essentia ait: *ens autem, & essentia sunt, quæ primo intellectu concipiuntur, vt dicit Auicenna.* Loqui autem S. Thomam de conceptu obiectiui, constat ex Caietano ibi quæst. 2. ergo

ergo ex mente S. Thomæ, ens dicit unum conceptum obiectiuum, perfecte ab inferioribus præcisum.

Respondetur, manifeste constare ex ipso tenore verborum S. Thomæ, quod loquitur de conceptu formali. Et licet isti correspondeat obiectiuus; tamen cum cōceptus formalis sit cōmunissimus, & imperfectus; cōceptus obiectiuus non est perfecte præcisus; sed solū imperfecte, & secundū quid: quia solā dicit unitatē proportionālē. Et hoc est, quod docet Caiet. illa q. 2. concl. 2. in 3. p. illius dicens, quod ens nullū gradū supra naturas genericas, específicas, & indiuiduales exprimit: quod dicit, *asserit ab omnibus Thomistis vnanimiter: & quod aponentibus ens abstrahibile à gradibus genericis, & specificis saluari non potest.* Quod amplius constabit conclusione sequenti. Et pariter respondetur ad authoritatē S. Tho. 1. p. q. 14. art. 6. & alias similes.

15 Secundò arguunt, ratione, quā dicunt à priori: ad perfectū cōceptū alicuius rei, illique adæquatū non requiritur, quod in illo actu includatur, siue actu asseratur ea, quæ non pertinent ad eius essentiā: sed modi, & differentie entis nō pertinet ad illius essentiā: ergo potest dari cōceptus perfectus, & adæquatus entis, nō includens, seu nō asserens actu modos, seu differentias; qui conceptus sine dubio præcisus erit; siquidē ab illo excluditur actualis inclusio modorū. Major est certa, quia tunc perfecte res cōcipitur, quando omnia prædicata essentialia cōcipiuntur. Minor verò probatur, primo:

nā ens fuit impositū ad significandā quidditatē, seu esse incōmuni. & nō ad significandos modos, seu differentias: & audito nomine, *ens*, rationē communē cōcipimus, & nō substantiā, & accidēs: ergo substantia, & accidens nō sunt de essentia significati entis.

Secundo probatur minor: nam id quod est prius ex natura sua, nō potest cōstitui essentialiter, per id quod est posterius ex natura sua: quia pro illo priori debet intelligi suū cōstitutiuū essentialē: sed ens ex natura sua est prius modis, & differentijs: ergo ens nō cōstituitur essentialiter per modos, & differentias. Probatur minor: nā id est prius altero, à quo nō valet subsistere cōsequētia: sed nō valet ab ente ad modos, siue differentias; bene autē ecōtra: nō enim sequitur est ens; ergo est per se; quia potest esse ens, accidens, quod est in alio: sequitur tamē ecōtra, est substantia, vel accidens; ergo est ens: ergo ens est prius suis modis, seu differentijs.

16 Respondetur cōcedendo maiore, & negando minore; quia est cōtra Philos. & S. Th. lib. 7. Metaph. tex. 2. & 3. & ipsum S. Th. lib. 1. cōtragen. cap. 34. docentes, quod substantia in definitione accidentis ponitur in quātū est ens: quod nō diceret, si modi, seu differentie, nō essent de essentia entis; & vicissim ens de essentia modorū: cū definitionē de necessitate solū intrēt prædicata quidditatiua. Ad primā probationē minoris dicitur, quod illa procedit de conceptu formali, ad quē probandū proponitur à M. Soto cap. 4. antepæd. q. 1. concl. 1. nō autē probat de cōceptu obiectiuo perfecto, & ad quæ

to, & simpliciter præciso, ut arguēs  
intēdit, & de quo modo disputam.

Ad secundā probationē, cōcedo  
maiorē, & distinguo minorē; ens est  
prius simpliciter, & obiectiue loquē  
do; nego minorē; est prius secundū  
quid, & quoad cōceptus explicitos,  
& imperfectos, cōcedo minorē, &  
nego consequentiā. Ad probationē  
minoris, cōcedo maiorē, & minorē;  
& distinguo cōsequens; & concedo  
de prioritate secundū rationē im  
perfecte præscindētē; nego verō de  
prioritate simpliciter, & obiectiua,  
vel de prioritate intellectus perfec  
te præscindentis. Quod totū est de  
mente S. Th. & Caiet. 1. p. q. 3. art.  
5. docentiū, quod nihil est prius Deo:  
nec secundū rem, nec secundū intellectu:  
quod falsum esset, si ens esset prius  
Deo, & creaturis, substantia, & ac  
cidente.

### 6. V.

#### *De conceptu formali entis im perfecto.*

17 **D**ico secundō; ens significat  
substantiā, & accidens me  
diante eodē conceptu formali, quā  
uis iste cōceptus sit imperfectus, &  
cōfusus, & nō perfecte præcisus. In  
ista cōclusionē omnes Thomist: cō  
cordant, ut patet eos legenti: unde  
eos nō legerunt, qui oppositū eis tri  
buant. Colligitur hæc parte ex Phil.  
4. Metap. tex. 7. dicente, quod om  
nibus cōmune est ens. Et 7. Metap.  
tex. 3. præfert substantiā accidenti  
in ratione entis: in ista autē ratione  
non possent cōparari, nisi in illa quo  
dāmodo conuenient. Est S. Th.  
q. 1. de Veritate, & q. 21. utrobique

art. 1. & in 1. dist. 25. art. 2. ad 5.

Ratione probatur, primō a Caiet.  
q. 2. de Ente, & essentia, ex D. Th.  
q. 7. de Potētia art. 5. & 6. omnia si  
milia, quacūque similitudine, etiam  
analogā, si sit intrinseca proportio  
nalitatis, secundū id in quo assimi  
lantur, possunt per eandē imaginē  
representari, sed omnia entia habēt  
similitudinē inter se, & cōuenientiā  
in ratione entis, ergo possunt, ut en  
tia, vno cōceptu cognosci. Proba  
tur maior, quia quacūque reali  
tēr assimulantur, & cōueniunt in  
ter se, possunt assimulari, & conueni  
re cum imaginē, seu speciē, & con  
ceptu, qui est in intellectu.

18 Secūdo probatur, ratione A  
uicēne 1. Metap. cap. 5. qua utitur  
Scotus in 1. dist. 3. q. 3. & post eos  
alij: omnis intellectus certus de v  
no cōceptu, & dubius de alijs, ha  
bet conceptu de quo est certus, aliū  
à cōceptu, de quo est dubius sed in  
tellectu potest esse certus de aliquo,  
quod sit ens, & dubius an sit substā  
tia, vel accidens: ergo cōceptus en  
tis est distinctus à conceptu substan  
tiæ, & accidentis. Maior patet ex pe  
riētia: quia dā quis rem videt à  
longe, & aspicit à se moueri, concipit  
animā, & dubitat an, sit equus,  
vel bos: & ideo conceptus animalis  
est aliū à cōceptu equi, & similiū.  
Minor verō probatur: quia certis si  
mus nōs habere quantitātē, & dispu  
tamus an sit substantia, vel accidens  
à substantiā realiter distinctum: & in  
speciebus sacramentalibus, oculis  
videmus accidentia, & dubitamus  
de substantiā, &c.

19 Sed sunt, qui hanc rationē in  
fir-

firmā reputēt, hoc infirmo motiar gumēto: quia sēpe cōtingit, quod viso aliquo homine, cognoscimus certo esse hominē, & dubitamus an sit homo viuus; an homo mortuus? & tamē nullus est, qui dicat, posse præscindi vtrū cōceptū hominis, ab homine viuo, & mortuo: ergo ex eo quod sumus certi de aliquo quod sit ens; & dubitem' an sit sublātio, vel accidēs; nō infertur, quod cōceptus entis præscindat a substantia, & accidente.

Respōdetur negādo minorē: quia id dicit S. Th. qui 1. p. q. 13. art. 10. ad 4. ita scribit: *dicendū quod animal, dictū de animali ve. d. & de picto, nō dicitur pure equivoce: sed Philosophus largo modo accipit equiuoca, scilicet, quod includunt in se analog.: quia & ens, quod analogice dicitur, aliquādo dicitur equivoce predicari de diuersis predicamentis.* Hæc S. Th. iuxta cuius mētē, potest dari vnus cōceptus cōmunis homini viuo, & mortuo: & ratio est, quia externa accidentia, quoad apparentiā, vidētur eadē in homine viuo, & in eius cadauere: ergo possumus vnū conceptum analogum formare, in quo representētur, quoad id in quo cōueniunt: & de isto solemus certi esse, & dubij de cōceptu particulari, an sit homo ille viuus, vel mortuus?

20 Vt probetur secūdo pars, pri' est explicāda, & vidēdū, quid intelligamus cū dicimus entis cōceptū esse imperfectū? an, videlicet, hæc imperfectio cōceptus sit *defectu vnitatis*; an verò *de defectu explicat.oris*, vel ratione cōfusionsis? ¶ Imperfectionē prouenire defectu vnitatis, docet M. Araujo lib. 4. Met. q. 3. art. 4. cōcl.

2. vbiid probat: nā vnitatis cōceptus formalis in esse imaginis representatiuæ, sumitur ex vnitātē sui obiecti, seu cōceptus obiectiuus in ipso relucētis: ergo implicat obiectum habere in se diuersitatem, & cōceptū formalem in sua representatione esse omnino vnum.

Cōfirmatur nā quicquid reperitur realiter in obiecto, reperitur intelligibiliter in cōceptu formali: eo quod quia quidquid est obiecti, relucet, & representatur in cōceptu: sed in entis ratione obiectiua tantū reperitur vnitatis proportionalis, ad mixta diuersitati suorum modorum, vt diximus in prima cōclusionē: ergo eadē vnitatis, & diuersitas debet esse intelligibiliter in cōceptu formali.

21 Quod argumētū, adeo cōuincit P. Rubio tract. de Analogia n. 28. vt ita scribat: *errant* satis aperte illi, qui nō ponentes vnū cōceptū obiectiuū analogatorū, sed plures, admittunt nihilominus vnitātē cōceptus formalis: cōtra quos *chidēter* cōcludit hoc argumētū, quia nullā potest habere vnitātē cōceptus formalis, quā nō accipiat ab obiectiuo. Hæc ille.

## §. VI.

*Est simpliciter vnus.*

22 N Os tamen dicimus tertio; entis datur vnus cōceptus formalis simpliciter vnus, nō solum in esse entis, sed in esse cōceptus representatiui; & ideo imperfectio nō est defectu vnitatis. Ita expresse docent Caiet. q. 2. de Ente, & essentia cōcl. 1. & c. 4. de Nominū analogia & in epist. ad Ferrarā: quæ sequitur

ipse Ferrara lib. 1. contrag. cap. 34. & ante docuerat Capreolus in 1. dist. 2. q. 1. & esse *omniū Thomistarū*, testatur, & sequitur Soto cap. 4. q. 1. concl. 1. subdens: *quod in conceptu formalis entis nihil differt inter Scotum, & S. Thomā*. Et sumitur ex D. Tho. cap. 1. de Ente, & essentia, & 1. p. q. 14. art. 6.

Rationes omnes secundæ conclusionis, & argumenta, quæ solent obijci cōtra primā, hanc tertiam probant, & reliquis nō opponuntur. Et præterea probatur: nā ens, in quantum ens, est obiectū Metaphysicæ, ut ibi late ostendimus 1. p. tota Cōtra. 5. sed hoc esse nō posset, nisi vnicus esset entis cōceptus, ut sumitur ex Philosopho 4. Metap. tex. 1. quia nō posset esse mediū demonstratōnis: ergo cōceptus formalis entis est vnus: quāuis imperfectus, & nō totaliter præscindēs ab inferiorib⁹.

23 Virgentius probatur evertendo rationem contrariā: quæ qui dem esset efficax in conceptu adæquato: quia iste totū quod est in re inesse entis, cōtinet inesse imaginis, quia cum re adæquatur. At verò cōceptus inadæquatus, & imperfectus, nō attingit omnia, sed quasi partem, & vnā solam virtualitatem; & reliqua se habent ibi implicite, & materialiter: ergo si inadæquatus conceptus specificetur ab illo, quod inesse entis est vnitas secundū quid; poterit habere vnitatem simpliciter: quia respectu huius cōceptus, diuersitas nō explicatur, neque attingitur, & ideo est, ac sibi nō esset. ¶ Quod explicatur ex opposito: quia non minus repugnat, quod

de obiecto simplicissimo, formetur absque falsitate plures conceptus, quā quod de rebus diuersis formetur vnus conceptus simplex; si res illæ in aliqua vna ratione proportionali adueniunt: sed non obstāte simplicitate summa Dei, de illo plures cōceptus formamus, ut docent Theologicū D. Th. 1. p. q. 13. art. 12. ergo nō obstāte obiectiua diuersitate entis, possumus de eius vnitate vnū cōceptū formale formare: & illi correspondet cōceptus obiectiuus vnus secundū quid, & imperfecte præcisus; quem non negamus, & quem tantum concesserunt antiqui Thomistæ.

24 Ex his solutū est argumentū & explicata, & ostensa est secundā pars prioris cōclusionis, quia cōceptus inadæquatus obiecto, absq; dubio est imperfectus: similiter est imperfectus cōceptus cōfusus: quia est indeterminatus, & nō explicat omnia, quæ sunt de quidditate rei: vnde inquit S. Th. 1. p. q. 14. art. 6. quod intelligere aliquid incōmuni, & nō in particulari, & in speciali, est imperfecte aliquid cognoscere: & quod si cognitio Dei de rebus alijs à se, esset in vniuersalitatē, & nō in speciali, intelligere Dei nō esset omnibus modis perfectum: quia ut dicit ipse S. Th. 1. p. q. 85. art. 3. *cognoscere aliquid, in quo plura cōtinentur, sine hoc quod habeatur propria notitia vnus cuiusque eorum, quæ cōtinentur in illo, est cognoscere aliquid sub confusione quadam*. Et quanto ratio fuerit vniuersalior, & communior, tanto erit maior potentialitas, & confusio, ut bene exponit Magister Sencianus libro 4. Me-

Metaph. quæ est. 1. cum ergo conceptus entis sit communissimus, erit valde confusus, & imperfectus, & non adæquatus, nec cõplete præcisus: quamuis sit vnus.

25. Sed obiicit Aureolus in 1. dist. 2. quia nec dari, nec intelligi potest in rerum natura, aliquid quod non sit, aut ens absolutum; aut relatiuum; aut abstrahens ab vtroque: sed conceptus entis, non potest esse quid relatiuum: alioquin sub se non contineret absoluta; non potest esse quid absolutum: alioquin relatio non comprehenderetur sub ente: denique, non potest esse aliquid abstrahens ab vtroque: nam omne existens in rerum natura, vel est ad se; & sic est absolutum; vel ad aliud est; & sic est relatio: nec inter hæc dari potest medium in re: ergo non est dabilis vnus entis conceptus.

Respondetur, quod sicut dicitur opusc. 55. apud D. Tho. quod species, quæ est in anima, entitatiue, & subiectiue, est vna numero, & singularis; obiectiue verò, & representatiue, significat naturam, quæ dicitur vniuersalis, quia est vna in multis: ita conceptus entis, qui in essendo est quædam qualitas absoluta, in representando abstrahit ab absoluto, & respectiuo; quia abstrahit à substantia, & accidente. Ex parte autem obiecti illi correspondet vnitas, seu conuenientia proportionalis substantiæ, & accidentis: si autem conceptus esset perfectus, immediate illi corresponderent ipsa inferiora, vt proportionantur; & ita quædam eius partes essent entia absoluta, & quædam relatiua, vt propor-

tionantur inter se, & cum substantia; quia de analogis ait S. Thomas 1. p. q. 13. art. 5. quod significant a veras proportionales ad aliquid vnum.

26. Aduerte etiã, quod hæc præcisio formalis, etiã dicitur imperfecta; quia inadæquata, & nõ mutua: nam quoad conceptus formales explicitos, qui cõcipit explicite quælibet differentiam, non potest nõ ibi cõcipere ens: quia vt ex D. Thoma diximus q. 4. n. 6. conceptus entis includitur in omnibus, quæcumque quis apprehendit: at verò ecõtra, bene potest quis cõcipere ens, quin cõcipiat eius inferiora, quæ ipsum cõtrahunt, & applicant ad hanc, & illam quidditatem nam loquendo de isto conceptu formali, iam admissimus ens esse superius, & prius modis, & quod ab illo non valet argui ad modos: & ita præscindit aliquantulum à modis, nullatenus verò modi præscindunt ab ente.

## QVÆSTIO VI.

*Vtrum diuisio entis in decem predicamenta sit sufficiens?*

§. I.

*Conditiones vt aliquid ponatur in predicamento.*

1. **V**T sufficientiam diuisionis venate possimus, duo præmittenda sunt, videlicet, definitio predicamenti, & cõditiones requisitæ vt aliquid collocetur in predicamento. Definitio iam est tradita in prolo-

go huius secundi libri. Pro eius tamen expositione, notant communiter expositores, quod aliter Metaphysica, aliter Logica tractant de prädicamento: Metaphysica agit de illis, vt sunt quaedam partes entis, quod est eius obiectum; Logica verò vt sunt subiectum, seu materia, secundarum intentionum: quia per se tractat de secundis intentionibus adiunctis primis, vt diximus libro primo quaestione secunda. Vnde id quod est subtractum respectu intentionis logicalis, est quod directe pertinet ad Metaphysicum.

2 Loquendo ergo de prädicamento, vt accipitur à Logica, bene aduertit Capreolus in 1. dist. 8. q. 2. ad 19. quod prädicamentum non est aliquid extra animam, in quantum prädicabile; sed est *coordinatio prädicabilium, secundum sub, & supra, essentialiter coordinatorum, ab indiuiduis vsque ad generalissimum, habentium eandem modum prädicandi.* Quam doctrinam late exponit, & defendit Araujo libro 5. Metaph. q. 1. art. 3. Sed quia secundæ intentiones, ex primis diuersificantur; & cogita subtracta natura, facile coordinationes prädicabilium, & prädicamentorum innotescunt, ideo oportet assignare condiciones requisitas vt aliquid ponatur in prädicamento.

3 Primo exigitur, quod sit ens reale: quod docet S. Thomas q. 7. de Potentia art. 9. dicens: *in nullo prädicamento ponitur aliquid, nisi res extra animam existens: nam ens rationis diuiditur contra ens diuisum per decem prädicamenta, vt patet 5. Metaph. textu 13. & 14. Idem dicit 5. Metaph.*

lect. 9. in principio, & habetur duplici. 42. apud D. Thomam cap. 3. & ratio est, quia iste classes prädicamentorum sunt introductæ, vt entia realia cognoscamus, & definire possimus. Vnde primo diuiditur ens, in ens per se, & ens per accidens, & ens in anima, & ens extra animam; & postea ens per se, quod est in anima, diuiditur in decem prädicamenta.

4 Requiritur secundò, quod sit aliquid creatum, & essentialiter finitum vt ponatur in prädicamento: quia Deus infinitus essentialiter & non constans ex genere, & differentia, non ponitur sub genere, sed est supra omnia genera, vt iterum dicitur q. 11. vnde diuisio entis in decem genera, seu in substantiam, & accidens, proprie loquendo est diuisio solius entis creati, vt docet S. Thomas in 1. dist. 8. quaestione 4. art. 2. ad 1.

5 Exigitur tertio, quod sint vniuoca, & incòplexa, vt patet ex Philosopho, qui hic capite quarto, agens de diuiso in decem genera, ait: *eorum, que secundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodque, aut substantiam significat, aut quantum, &c.* Et ideo ens non constituit prädicamentum, quia non est vniuocum, sed analogum. Et omnia, quæ non ponuntur simpliciter in arbore prädicamentali, non ponuntur directe in prädicamento.

6 Quarto requiritur, quod sit entia còpleta; & propterea partes physice nõ ponuntur directe in prädicamento, vt sumitur ex D. Tho. 1. p. q. 29. art. 1. ad 5. & q. 75. art. 4.

ad 2. ponantur tamē in prædicamēto substantiæ *per reductionem vt principiā substantiæ*, vt notat S. Tho. q. 27. de Verit. 1. ad 8. quia genera, & species, & prædicabilia tantum fundantur in rigore in ente cōpleto: vnde S. Th. q. 3. de Potentia art. 9. ad 10. ait, quod embrio. antequam habeat animam rationalem, non est ens perfectum, sed in via ad perfectionem: vnde non est in genere, vel in specie, nisi per reductionem, sicut incompletum reducitur ad genus, vel speciem completi.

7 De differentijs verò, notatur opusc. 48. apud D. Thomam tractatu 2. cap. 3. quod non proprie dicuntur esse in prædicamento, nisi forte reductiue; & sic in arbore prædicamentali ponuntur ad latus: primo, quia significantur vt partes: secundo, quia ex modo significandi prædicantur *in quale*; & ideo nec continent directe prædicata superiora; nec constituunt rectam lineam prædicamentalem. Sunt qui pro ista cōclusionē, citent S. Thoma 5. Metaphys. lect. 16. Sed non bene: quia ibi solum docet, quod differentia substantialis dicitur *qualitas* prætermissa à Philosopho in prædicamento qualitatis, quia non continetur sub illo: quod verum est: sed posset poni in prædicamēto substantiæ: ad quam reducitur. Et ideo illa auctoritas non est ad intentum.

8 Sed obiicit Ammonius capite de substantia: nam etiam genus est quid simplex, & pars metaphysica speciei, & tamen ponitur directe in prædicamento: ergo quod differentia sit simplex, & quod significetur

vt pars metaphysica nō sufficit vt non ponatur directe in prædicamento.

Respondet P. Rubio hic q. 1. n. 14. & 15. quod differentia formaliter, & per se nō est totū, sed pars: genus vero formaliter, & essentialiter habet rationē totius potentialis, & cōpleti; & ideo per se, & formaliter collocatur in prædicamēto; à quo excluditur differentia, quia incōpleta.

9 Sed cōtra est, primò: nā licet differentia, cōparata ad speciem, solū sit pars; comparata ad individua, est totum vniuersale, & potestatiuum: sed etiam genus cōparatiue ad speciem est pars, & quia continet differentias in potentia, est totum potestatiuum, & ponitur in recta linea: ergo pariter differentia.

Secundò: ex modo significandi; sicut genus est totum, ita, & differentia; ex parte autē rei, quæ prædicatur, sicut differentia est pars, ita genus, & sicut vna prædicatur de specie, ita, & aliud, vt diximus lib. 1. q. 19. num. 17. ergo ex eo quod differentia prædicetur vt pars metaphysica, non sequitur, quod non ponatur in recta linea prædicamentali directe.

10 Propter has replicas posset dici, quod illa prima ratio est inadequata; imò, & inefficax, nisi adiūctā secūda de modo proprio prædicandi differentia, quia prædicatur *in quale*; & *directiue*; & ideo nō explicat coordinationē directā prædicamentale; sicut nec denominatiuæ prædicationes; licet ex parte rei, & materialiter magis accedat ad ea, quæ ponuntur in prædicamēto directe, quā omnia alia.

Addi autem potest, quod cum genus predicetur, in quibus, magis predicatur ut dicens quidditate coordinabile in predicamento, quā differentia: potentialitas autem differentie non est ad inferiora vniuersalia, & ideo non addit directam coordinationem predicabilium; ac per consequens, non ponitur directe in predicamento: & hoc sensu Porphyrius capite de specie in fine dixit; quod *genus est quoddam totum*, videlicet, in predicando, ut ibi exponunt Caietanus, & Soto.

## §. II.

*Primum dubium soluitur.*

11 **D**E indiuiduis solet dubitari, an ponantur directe in predicamento?

Nam Iauellus tractatu 5. cap. 1. docet sola vniuersalia poni in predicamento. Et PP. Carmelitarum capite de Specie n. 5. & disp. 6. q. 3. n. 45. dicunt indiuidua non poni in linea predicamentali ut verā partem illius coordinationis, sed ut fundamentū cui innititur omnia predicata talis predicamenti: quia indiuidua non sunt per se intentata à natura, nec cadāt sub scientia. Quod videtur incedere Porphyrius capite de specie adducēs illud Platonis, quod in scientijs sistendū est in specie infima, nec progrediendum ad indiuidua.

12 Per oppositum Flandria lib. 2. Metaph. q. 7. art. 4. not. 5. vniuersalia, & particularia docet directe collocari in predicamento. Idem sequitur Foscara ibi cap. 7. q. 7. sect. 2.

& q. 8. sect. 3. & Rubio hic q. 1. n. 17. & 18. quia indiuiduum est ens per se, & completū cōtinens omnia predicata recta lineæ, quæ de illo formaliter, & per se predicantur.

13 Censeo quæstiunculam esse de solo modo loquendi, an vasis arboris debeat numerari in ipsa arbore inclusiuè, vel exclusiuè; intrinsece, vel extrinsece? Sed iste secundus modus loquendi est vltimior, & cōgruentior: quia primæ substantiæ, & secundæ, directe sunt in predicamento: & in arbore, quæ habetur depicta opusc. 48. apud D. Thomā tractatu 2. cap. 3. etiam indiuidua ponuntur in recta linea in arboris radice, seu fundamento. Vnde sicut radix, ita est fundamentum, quod est eius pars intrinseca; & fundamentum est pars domus; ita indiuiduū potest esse fundamentum coordinationis predicamentalis; & vera pars intrinseca arboris. Licet autem indiuidua in particulari non definiantur; tamen ipsa communis ratio indiuidui definiri potest, ut ostensum est libro primo quæst. 23. num. 4.

¶ Præter quæ quod, ut notat S. Thomas 3. p. q. 2. art. 3. ad 3. in rebus creatis res aliqua singularis nō ponitur in genere, vel in specie ratione eius, quod pertinet ad eius indiuiduationem; sed ratione naturæ. Natura ergo singularis, & indiuidua ponitur in predicamento; licet genus, & species sit ratione naturæ; & non ratione

singularitatis.

(+1\*)

## §. III.

*An sola abstracta ponantur in predicamento accidentium?*

14 **P**raterea solet hic inquiri, utrum res collocentur in predicamentis in abstracto, vel in concreto?

Respondet S. Thomas cap. 7. de Ente, & essentia 3. p. c. ita scribens: sciendum est, quod in accidentibus, alio modo sumuntur genus, & differentia; & species, quam in substantijs. quia enim in substantijs ex materia, & forma substantiali fit per se vnum; vna quadam natura ex eorum coniunctione resultante, quæ proprie in predicamento substantia collocatur: ideo in substantijs nomina concreta quæ compositum significant, proprie in genere esse dicuntur, sicut genera, vel species, vt homo, vel animal; non autem forma, vel materia est in predicamento hoc modo, nisi per reductionem; sicut principia in genere principiariorum esse dicuntur.

Sed ex accidente, & subiecto non fit vnum per se: vnde non resultat ex eorum coniunctione aliqua natura, cui intentio generis, vel species possit attribui: vnde nomina accidentium, concretive dicta, non ponuntur in predicamento sicut species, vel genera, vt, album, vel musicum, nisi per reductionem, sed solum secundum quod abstracte significantur, vt albedo, & musica.

15 Hæc doctrina S. Thomæ, colligitur ex Phylosopho 3. Topicorum cap. 1. & habetur opusc. 42. apud D. Thomam capite. 19. & acceptatur, non solum à Thomistis; sed etiam à Scoto quæst. 5. vniuers. & quæst. 11. predicamentorum, & frequenter ab alijs Dislecticis. Imo Phylosophus 7. Metaph. lectione 3. apud D. Thomam, docet concreta accidentium non habere vnâ essentiam vnica essentiali definitione explicabilem, sed esse entia per accidens: quia constant rebus diuersorum predicamentorum, ex quibus non fit vnum per se, directe in vno predicamento collocabile.

16 Sed obiicit Toletus quæst. 2. post predicam. & alij ipsum sequuti; nam ex actu, & potentia fit vnum per se, secundum Aristotelem lib. 2. de Anima textu 2. sed subiectum se habet vt potentia, & forma, vt actus: ergo ex tali compositione resultabit vnum per se: quod est concretum: & ita directe ponetur in predicamento: imo Philosopher in presenti, predicamenta inconcreto numerauit. Et 1. Topicorum cap. 7. & libro 4. capite 1.

Respondetur, quod ex potentia, & actu substantiali fit vnum per se, quia resultat vna natura, & communicant in eodem esse; at vero ex potentia, & actu accidentali fit vnum secundum quid; & simpliciter ens per accidens: quia aliud est esse albi, & aliud est esse hominis, cui aduenit albedo, vt ad simile intentum, ait S. Thomas 3. p. quæst. 2. art. 6. ad

2. ad auctoritatem Philosophi dicitur, quod iuxta translationem Argyropili in abstracto, accidentium prædicamenta à Philosopho ponuntur.

17 Secundo obijciunt alij: nam, ut dictum est, numero 6. entia in completa non ponuntur directe in prædicamento: sed abstracta accidentium sunt entia incompleta, physice loquendo: ergo ut sic non ponuntur directe in prædicamento, sicut neque substantiæ in abstracto quia significatur ut partes. Probat minor, quia illud dicitur incompletus, quod petit compleri per aliquid, cum quo efficiatur unum per se: sed accidentia compleri postulant suis in hærentijs, seu in hæssionibus: ergo sine illis non ponuntur in prædicamento directe.

Propter hoc argumentum Magist. Cabero tractatu 4. disputat, 4. dub. 2. docet ad prædicamentum accidentis non expectare concreta, quia sunt entia per accidens; nec abstracta nude sumpta, quia sunt quid incompletum: sed pertinent formæ cum suis in hærentijs consideratæ.

18 Occurrerat iam diu huic difficultati P. Rubio hic capite 4. quæst. 2. à num. 25. & deinceps, distinguens, quod concretum accidentale duobus modis sumi potest: vno modo ut significat compositum ex natura accidentali, & proprio modo accidentalis in hærentiæ: alio modo pro aggregato ex accidenti, & subiecto accidentali. Primo modo per se collocatur in prædicamento: quia

non est ens per accidens, sed est ens completum: secundo modo est ens per accidens, constans ex pluribus entibus in actu; & sic non ponuntur in vno prædicamento. Et sic nunc loquimur, & de abstractis physicis. Quia si iterum ab ipsis formis fiat alia abstractio, ut, ab albedine, *albedinitas*, & à colore, *coloretas*, abstracta ista non ponuntur in prædicamento directe: quia non significant complete ipsam speciem, sed principium speciei. Sed iste modus significandi, & loquendi est parum vsitatus; & ideo non obstat doctrinæ Sancti Thomæ, qui loquitur de concretis, & abstractis vsitatis, & nominatis.

His præmissis, veniamus iam ad decisionem præcipue difficultatis.

### §. IIII.

*Probat, quod prædicamenta sunt decem.*

19 **D**icendum est igitur, prædicamenta esse decem, nempe, substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, ubi, quando, situm, habitum, actionem, & passionem. Ita Philosophus, quem sequuntur posteriores Dialectici, & Philosophi: imo, & Theologorum Principes S. Augustinus libro *Categoriarum* capite 8. & Sanctus Thomas libro 5. *Metaphys.* lectione 9. littera c. & latius libro 3. *Physicorum* lectione 5. littera i. rationem *sub*

sufficientiæ assignans : quæ licet evidens non sit, nec hucusque demonstratio huius sit assignata ab aliquo; tamen à cordatis D. D. reputatur nefas; vel paradoxum ab his recedere: quia ut dixit Anticena lib. 7. Metaphysicæ, referente Scoto in 4. distinct. 13. quæstione 1. artic. 1. *coguntur observare illam divisionem famosam predicamentorum, quæ dicitur esse decem generalissima, propter Philosophorum antiquam auctoritatem, cui non debet facile contradici.*

20 Ratio ergo S. Thomæ sic in forma proponenda est, ex ipso lib. 5. Metaphys. dicta lect. 9. prædicamenta distinguuntur secundum diuersum modum prædicandi: sed tantum sunt decem modi prædicandi: ergo tantum sunt decem prædicamenta. Maior patet, quia modi prædicandi consequuntur diuersum modum essendi: quia quot modis aliquid prædicatur, tot modis significatur aliquid esse: & ideo etiam vocantur prædicamenta, quia distinguuntur secundum diuersum modum prædicandi.

Probatum minor; notando, quod prædicatum ad subiectum tripliciter se potest habere: vno modo cum est id quod est subiectum, ut cum dico, *Socrates est animal*; nam Socrates est, id quod est animal: & hoc prædicatum dicitur significare *substantiam primam*, quæ est substantia particularis, de qua omnia prædicantur. Secundo modo ut prædicatum sumatur, secundum quod in

est subiecto: quod quidem prædicatum, vel inest ei per se, & absolute, ut consequens materiam; & sic est *quantitas*: vel ut consequens formam; & sic est *qualitas*: vel inest ei non absolute, sed in respectu ad aliud; & sic est *ad aliquid*.

21 Tertio modo ut prædicatum sumatur ab eo, quod est extra subiectum: & hoc dupliciter: vno modo ut sit omnino extra subiectum; quod quidem, si non sit mensura subiecti, prædicatur per modum *habitus*, ut cum dicitur, *Socrates est calceatus, vel vestitus*. Si autem sit mensura eius; cum mensura extrinseca sit tempus, vel locus, sumitur prædicamentum, vel ex parte temporis; & sic erit, *quando*: vel ex loco: & sic erit *ubi*; non considerato ordine partium in loco: quo considerato, erit,  *situs*.

Aliomodo ut id à quo sumitur prædicamentum, secundum aliquid sit in subiecto, de quo prædicatur: & si quidem secundum principium; sic prædicatur ut *agere*: nam actionis principium in subiecto est. Si vero secundum terminum; sic prædicabitur ut in *pati*: nam passio in subiectum patiens terminatur: ergo modi prædicandi, & prædicamenta sunt decem.

22 Sed obijciunt aliqui: nã sicut causa efficiens est causa extrinseca à substantia, ita & causa finalis: sed causa efficiens constituit speciale prædicamentum, scilicet, *agere*; ergo, & causa finalis constituet speciale prædicamentum, nempe, *finalizare*.

Huic obiectioni iam responderat S. Thomas lib. 3. Physicorum lect.

lect. 5. littera i. dicens cum autem quatuor sint causarum genera, duo ex his sunt partes essentia, scilicet materia, & forma: unde predicatio, quae possit fieri secundum haec duo, pertinet ad praedicamentum substantiae; utpote si dicamus, quod *homo est rationalis, & homo est corporeus*. Causa autem finalis non causat seorsum aliquid ab agente: in tantum enim finis habet rationem causae, in quantum mouet agentem; remanet igitur sola causa agens, a qua potest denominari aliquid sicut ab exteriori: ac proinde, sola illa inter causas constituit speciale praedicamentum.

23 Non immorabor in soluendis pluribus obiectionibus, quae contra rationem sufficientiae praedictae, videntur pullulare: quia ratio haec, solum ut probabilis coniectura est acceptanda; non ut rigorosa demonstratio examinanda: & in disciplinam ingenij est in omnibus aequalem exigere certitudinem, aut euidenciam postulare.

24 Dubitant hic nonnulli, vtrum gratia, & virtutes, & alia entia, quae à Theologis dicuntur supernaturalia, collocentur directe in praedicamentis entium naturalium?

Non defuerunt Salmanticenses Theologi, qui pro eiusmodi entibus specialia constituerent praedicamenta: eo quod sunt supra totum ordinem entium naturalium, & excedunt rationis naturalis lumen: quod sequitur M. Fr. Petrus Ledesma de esse Dei quaest. 4. art. 6. pag. 285. & alij. At vero Mag. Araujo

lib. 5. Metaphys. quaest. 1. artic. 2. docet ea solum reductiue, non vero uniuoce, & directe in istis praedicamentis collocari. Et cum aliorum sententias late confirmasset, id in quo ipse ab alijs differt, videtur absque probatione supponere.

25 Dicendum tamen, gratiam, & virtutes, & alias qualitates supernaturales directe in praedicamentis istis collocari, cum sunt qualitates completae; in directe vero si sint qualitates incompletae, ut etiam entia incompleta naturalia, solum reductiue sunt in praedicamento. Ita docet S. Thomas 3. p. quaest. 63. artic. 2. ut ibi expendit Magist. Nuño difficult. 2. & ipse S. Thomas 1. 2. quaest. 110. artic. 3. ad 3. ut ibi Conradus. Clarius id exprimit S. Thomas in 1. distinct. 17. quaest. 1. artic. 1. ad 8. & in 2. distinct. 26. quaest. 1. artic. 4. ad 1. & quaest. 27. de Veritate art. 1. ad 8. & 9. ubi & rationem assignat: quia sunt qualitates compositae ex genere, & differentia: ergo non est cur non ponantur in praedicamento: nam excessus in nobilitate, vel in modo essendi, videtur differentia materialis, quoad intentum constituentium praedicamenta. Sed his latius Theologi.



## QVÆSTIO VII.

*Vtrum omnia prædicamenta realiter inter se distinguantur?*

## §. I.

*Opiniones DD.*

**A**ffirmant Paulus Venetus lib. 3. Metaph. cap. 31. & fauet Caietanus 1. p. q. 28. art. 1. Imo citantur plures Thomistæ, quos sequuntur PP. Carmelitani disput. 14. quæst. 5. §. 1. & Ortiz tract. 5. conferentia 1. §. 4. conclus. 3. asserens necessariam esse distinctionem realem entitativam inter omnia prædicamenta.

Secunda opinio adstruit requiri distinctionem realem; non tamen exigi entitativam, sed sufficere realem modalem. Ita post alios, docet Mag. Ioan. à S. Thoma quæst. 14. artic. 5. in fine & q. 17. artic. 4. conclus. 2.

Requirunt alij distinctionem essentialem, quam aliqui vocant realem metaphysicam, alij realem formalem ex natura rei. Ita M. Flandria lib. 5. Metaph. quæst. 17. artic. 2. & Araujo eodem lib. 5. quæst. 1. ar. 4. citans Authores, qui non hanc, sed ultimam opinionem docent: quamvis, quia distinctio formalis, & virtualis, secundum aliquos, solis vocibus differunt; forte inter authores huius, & sequentis sententia, sola sit differentia in modo loquendi, iuxta dicta lib. 1. q. 13. u. 5.

2 Non desunt tamen gravissimi Authores, tam ex Thomistis, quam ex extraneis, qui sentiant solam distinctionem formalem rationis ratiocinatæ, sufficere ad distinguenda prædicamenta. Ita Capreolus in 1. distinct. 8. quæst. 2. ad 18. & 19. & in 2. distinct. 1. quæst. 2. artic. 1. conclus. 2. Soncinas 5. Metaph. quæst. 12. & 28. Iauellus tractatu 5. Logicæ cap. 4. & lib. 5. Metaph. quæst. 16. Silvester in conflato 1. p. quæst. 28. dub. 1. Soto capit. de quantitate. quæst. 1. & capit. de Relatione quæst. 2. Zuzmel 1. p. quæst. 28. art. 2. quæst. 6. Ex extraneis docent Toletus quæst. 5. antepædicament. Rubio ibi q. 3. Didacus à Iesu in fine prædic. Suarez disput. 39. Metaph. sect. 2. & disp. 49. sect. 2. & disp. 47. sect. 3. Vazquez 1. parte. disput. 28. capitulo 5. & disput. 138. capitulo 2. & disput. 173. cap. 2. & fuit sententia plurimum antiquorum, & communis inter Recentiores.

## §. II.

*Mens S. Thomæ.*

**H**æc ultima sententia mihi probabilior videtur; & conformior S. Thomæ doctrinæ. Et ab hoc ultimo incipiendo, id probatur, primo, ex 3. Physicorum lect. 5. lit. 1. ubi ait, *quod motus secundum unam rationem est actio, & secundum aliam rationem est passio, &c.* Et tamen constituent duo prædicamenta: ergo ex mente S. Thomæ, distinctio rationis sufficit ad diversa prædicamen-

ta. Vnde post multa concludit : sic ergo patet , quod licet motus sit unus ; tamen predicamenta , quae sumuntur secundum motum , sunt duo , secundum quod à diuersis rebus ex:eritibus sunt predicamentales denominationes , &c. Idem docet S. Thomas 1. p. quaest. 28. artic. 3. ad 1. & quaest. 7. de Potenti artic. 1. ad 5. & quaest. 8. artic. 2. ad 7. semper citans Philosophum lib. 3. Physic. textu 21.

4. Virgentius probatur ex eodem D. Thomae libro. 11. Metaphys. lectione 9. in fine : ubi sic ait : sed sciendum , quod predicamenta diuersificantur secundum diuersos modos predicandi : vnde idem secundum , quod diuersimode de diuersis predicatur , ad diuersa predicamenta pertinet : locus enim secundum quod predicatur de locante , pertinet ad genus quantitatis ; secundum autem , quod predicatur denominatiue de locato , constituit predicamentum vbi. Similiter motus , secundum quod predicatur de subiecto in quo est , est in predicamento passionis ; secundum autem quod predicatur de eo a quo est , constituit predicamentum actionis. Hec S. Thomas. Quam auctoritatem esse expressam ad intentum conuincendum , post Capreolū vbi supra , notat Ferrara lib. 4. contragentes capite 14. ad 9. §. Quod autem in editione Romana pagina 442. columna 3. nobiscum tenens. Videntur etiam S. Thomas lib. 5. Metaph. lect. 9. littera c.

Non parum etiam fuit Sanctus Thomas in 1. 2. quaest. 49. articulo 2. ad 1. dum eandem quali-

tatem ponit in diuersis speciebus : quod esse non posset , si istae coordinationes predicamentales essent solum ad res realiter distinguendas.

5. Sed obijcies primo : nam S. Thomas quaest. 8. de Potenti artic. 2. ad 1. ait : *nulla substantia , quae est in genere , potest esse relatio : quia est definita ad vnum genus , & per consequens excluditur ab alio genere.* quae ratio efficax non esset , si aliquod ens creatum posset esse in duobus predicamentis.

Respondetur rationem S. Thomae efficacem esse ad suum intentum , & in materia de qua loquitur , nempe , de genere substantiae ; & hoc , vt notat Ferrara vbi supra , realiter conuincitur contra omnia genera accidentium ; & ideo quod est in genere substantiae , non potest esse in aliquo aliorum generum , quia substantia non potest esse idem realiter accidenti. Nunc autem solum intendimus , quod vnum accidens possit esse in diuersis predicamentis accidentium : quod potest esse , etiam si non sit simul in genere substantiae , & accidentis : & hoc etiam modo intelligendus S. Thomas in 1. distinct. 33. quaest. vnica artic. 3. ad 4. cum inquit , *non inuenitur in creaturis , aliqua diuersorum generum in identitatem rei conuenire , sicut relatio , & substantia in diuinis conueniunt , &c.* Hae posteriora verba , explicant priora.

6. Addit Ferrara , quod isto vltimo loco vult docere S. Thomas , quod distinctio rationis sola non sufficit distinguere predicamentum

menta, nisi oriatur ab aliquo reali, vel connotet, aut includat aliquid reale, quod aliud non includit: sicut actio, & passio conueniunt in motu, & connotant relationes diuersas, vt docet S. Thomas locit relatis num. 3.

7 Secundo obijcies: nam primo Posteriorum lect. 26. ex Aristotele ibi textu 21. ait Sanctus Thomas littera f. quod manifestam est ex coordinationibus prædicamentorum diuersorum, quæ non commutantur ad inuicem, quia, scilicet, id quod est in vno prædicamento, non est in altero: ergo idem non potest pertinere ad diuersa prædicamenta.

Respondetur, propositionem illam in sensu formali, esse verissimam: & sic S. Thomas in 4. distinct. 12. questione 1. articulo 1. ad 3. dicit, quod generalissima diuiduntur se ipsæ: & ipse S. Thomas quæst. 2. de Potentia articulo 2. ad 2. dicit, quod ex duobus prædicamentis non potest fieri vnum, nisi per accidens: quia formaliter diuersorum generum, & non substantiarum posteriorum, diuersæ sunt specie differentiæ, iuxta regulam ante prædicamentilem expositam quæst. 2. d. 3. & 4. cum quo tamen stat, quod ideatice, & materialiter, quæ pertineat ad diuersa prædicamenta in eodem ente conueniant, vt docet Phyl.

capite de qualitate in fine.

§. III.

Rationes conclusionis, & solutio argumentorum.

8 **R**ationes omnes videntur indicatæ à D. Thoma. Prima sumitur ex exemplis allatis de actione, & passione: vbi, & quâritate: quia tamen istorum distinctio in libris Physicorum est examinanda, nunc est supersedendum.

Secunda ratio est à priori: quia prædicamenta instituta sunt vt rerum quidditates cognoscamus, ad certas classes reducendo: sed ad hoc potissime requiritur distinctio rationis formalis: quia sic optime rem definimus, & distinctio realis per accidens se solet habere ad definitiones: ergo sola rationis formalis distinctio, vel orta ex virtuali, vel aliquibus connotatis realiter distinctis, sufficet ad distinguenda prædicamenta.

Tertio: cum hæc prædicamentorum distinctio potius auctoritate, quam manifesta ratione probetur: & à plerisque reputentur plura prædicamenta denominationes extrinsecæ; difacile persuadetur, & credetur quod inter omnia, & singula reperitur distinctio, vel realis, vel modalis, aut formalis actualis.

9 Potissime probatur, quia non sunt admittendæ distinctiones sine necessitate: sed ad nihil est necessaria distinctio actualis realis, vel modalis, vel formalis inter omnia prædicamenta; cum sufficiat vir-

ualis: ergo sine fundamento alia maior distinctio ponitur. Probat minor, argumenta soluendo. Sed quia novem proponit Flandria, sufficiet capitalia tangere, quæ sunt tria.

Primum est: illa quæ propriissime differunt, maxime differunt; ut patet ex Porphyrio capite de differentia: sed decem genera propriissime differunt: ergo maxime differunt: ac proinde, differunt realiter: quia munus faciendi differre realis est, metaphysice loquendo, ut diximus libro 2. quæst. 24. Probat minor: nam quæ differunt definitione essentiali, propriissime differunt: sed diuersarum specierum diuersorum prædicamentorum, diuersæ sunt definitiones, ut patet per Philosop. 7. Metaph. textu 42. lect. 12. apud D. Thomam: & patet, quia eo ipso, quod differant genere, habent diuersas differentias; & ita habent diuersas partes definitionis essentialis: ergo differunt definitione, & essentia.

10 Secundo: maior distinctio est in primo diuersis, quam inter res realiter distinctas: siquidem hæc possunt uniuoce conuenire, illis vero nihil est commune, præter nomen: sed prædicamenta sine ordine ad intellectum sunt actu primo diuersa; alias non darentur à parte rei decem suprema genera entium: ergo etiam sunt actu distincta ante operationem intellectus; plusquam cælum, & terra, quæ uniuoce conueniunt.

Tertio arguitur ab inconuenienti; quia si distinctio rationis, & di-

uersus modus prædicandi sufficit variare prædicamenta sine reali distinctione; sequitur, quod quasi infinita erunt prædicamenta; cum quasi infinita sint entia, quæ distinguuntur secundum rationem: & alia erunt prædicamenta pro abstractis, alia pro concretis; alia pro his, quæ prædicantur *in quid*; & alia pro his quæ prædicantur *in quale*: quæ manifeste videntur sequi ex nostra conclusione: & destruunt denarium numerum prædicamentorum.

Reliqua argumenta, istis solutis, parum continent difficultatis: nec quæ posteriores Authores addiderunt, augent vim rationum, sed antiquorum repetitionem; & ideo non oportet ea referre.

11 In primis retorqueri possunt contra eos, qui ex vna parte contendunt non esse entitativam distinctionem, sed solum formalem essentialem actualem, vel modalem: & tamen contendunt esse maiorem distinctionem, quam inter cælum, & terram, ut ait Mag. Flandria: quod non videretur consequenter dictum.

Secundo: contra omnes est instantia manifesta, in ente, & eius proprietatibus, videlicet, vno, vero; & bono: nam differunt definitionibus, seu descriptionibus essentialibus (eo modo quo in transcendentibus communissimis potest esse definitio;) sunt rationes inter se primo diuersæ pertinentes ad diuersas lineas, specificant potentias genere diuersas: & rationes istæ, tam in diuiso, quam in membris diuidentibus vere dantur à parte rei: & ta-

men inter se non distinguuntur, nisi per rationem, quia vnum addit in diuisionem, quæ est negatio; verum & bonum aliquas habitudines sola ratione distinctas ab ente, vt late patuit 1. p. Metaph. Controu. 9. 11. & 14. Ergo pariter in præsentia, dum ponatur prædicamenta esse quid reale; quamuis illorum distinctio non sit realis, nisi in virtute, & actualis formalis fiat per intellectum, omnia possunt componi, & coherere.

12 Respondetur in particulari ad primam, quod differentia præcipuissima, cum adsunt aliæ conditiones, est ratio inducendi diuersitatem formalem, & entitativam: sed quando conueniunt in eodem esse, vel in eodem materiali, solam inducit diuersitatem formalem, vel virtualiter in re; quæ fit actualis per rationem. Vnde distinguitur consequens; maxime differunt, *formaliter*; concedo, quia pertinent ad nouam lineam: maxime differunt *materialiter*, nego: quia duo indiuidua eiusdem speciei, materialiter, & entitativæ, & suppositiualiter, sunt maxime distincta; & tamen formaliter maxime conueniunt; quia sunt vnius speciei: & e contra, motus entitativæ est vnus; & tamē *agere, & pati* formaliter pertinent ad diuersas lineas, quæ dantur in re: quamuis distinctio non sit cõpleta actualiter nisi per rationem.

13 Pariter responderi potest ad secundum, iuxta distinctionem datam. Vel clarius distinguatur maior, maior distinctio *physica*, nego maioré: maior distinctio *logica*, cõcedo: constat enim, quod bonum honestum utile, & delectabile, logice loquendo, ma-

xime differunt in ratione boni: quia *non conueniunt vniuerse, sed analogice*, vt docet S. Th. 1. p. q. 5. art. 6. ad 3. & tamē physice, & realiter, non distinguuntur: quia, vt in solutione uniuersali ad secundum, dixerat S. Th. illa diuisio non est per oppositas res, sed per oppositas rationes. Bene ergo compatitur duo prædicamenta physice non distingui; & tamen logice, & metaphysice, non posse vniuocari, sed solum analogari.

14 Ad tertium respondetur, illud inconueniens æque posse obijci contraponentes necessariam esse distinctionem realem; quia quasi infinita sunt, quæ realiter differunt: sicut ergo ipsi respondent, quod nõ quæuis distinctio facit nouum prædicamentum; sed solum illa, quæ reducibilis non est ad diuersum modum essendi, proportionatim diuerso modo prædicandi: ita pariter nos respondemus, quia lineæ, & classes istæ non sunt introductæ pro agnoscenda diuersitate reali physica, quæ frequenter patet ad sensum; sed præcipue pro agnoscendis gradibus ponibilibus in definitione: & sic inquit Capreolus ad 18. quod omnia, quæ sunt in vno prædicamento, habent eundem modum prædicandi de subiecto primo; ita quod ordo prædicati ad subiectum semper est consimilis: omnia autem, quæ sunt alterius prædicamenti, habent aliū modum prædicandi de primo subiecto. Vnitas igitur modi prædicandi facit unitatem prædicamenti, & diuersitas diuersitatem: & non vnitas, nec diuersitas cõmuniū naturarum. Et post adductum S. Th. 10. Metaph. lect. 13, cõcludit: quod ad unitatem

ratē prædicamēti sufficit vnitas rationis facta per intellectū, & vnitas modi prædicadi facta per intellectū. Hæc ibi. Ex quo roboratur denuo nostra cōclusio: quia cum cōpositio metaph. generis, & differentia, nō sit realis, sed rationis, iuxta dicta lib. 1. q. 13. hæc sufficiet, seruatis seruādis, variare prædicamenta: quāuis non semper conditiones omnes seruentur; & ideo sub vno genere constituantur aliquando.

### QVÆSTIO VIII.

*Vtrum diuisio entis in decem genera sit immediata?*

§. I.

*Probatur diuisionem esse mediata.*

**R**atio dubitandi pro parte negatiua statim occurrit, & si parū ponderetur, non parū videtur vrgeri: nam ens diuiditur immediate in substantiā, & accidens; & accidens in nouē genera accidentium: ergo diuisio entis realis creati in decē genera non est immediata. Probatur antecedens: nam omnia nouem genera conueniunt in ratione accidentis, & distinguuntur à ratione substantia: ergo ratio entis non descendit ad illa immediate sed media ratione accidentis.

Respondetis diuisionē esse immediatam: quia licet omnia accidentia conueniant in hoc, quod est esse in alio, non tamen conueniunt vniuoce, sed analogice, vt docent Caietanus capite 7. de Ente, & essentia, quest. 15, ad vltimum, & Sonci-

nas lib. 4. Metaph. q. 1. ad 1. & lib. 12. quest. 47. ad 1. quia ratio in, est diuersarum rationum in prædicamentis, sicut, & ratio entis: nunc autem loquimur de diuisione entis in ea, quæ vniuoce dicuntur de omnibus sub se contentis: ac per consequens, loquendo de vniuoce conuenientibus, diuisio entis in decem genera est immediata.

Sed contra: nam sunt grauissimi Thomista, qui docēt accidens vniuoce prædicari: specialiter M. Iauellus lib. 7. Metaph. q. 1. §. quantum ad secundum, vers. ad tertiam. Et M. Soto hic cap. 4. q. 2. ad 1. id docet, & probat hoc argumento: nā accidens significat mediante eodē conceptu formali vnā rationem communem, quæ simpliciter est in omnibus: ergo est vniuocū. Probatur antecedens: accidens incōmuni significat accidere substantia, abstrahendo ab hoc, & illo modo inhaerendi: & hoc simpliciter conuenit omnibus (non enim possumus dicere, quod simpliciter conueniat quātitati, aut qualitati, & secundū quā alijs) ergo accidens significat mediante eodē conceptu, & vniuoce. Quod probabilius iudicat M. Zumei 1. p. q. 13. art. 5. disp. 1. ad 7. in primā solutione. Et P. Fr. Didacus à Iesu disp. vndecima q. vltima in fine. Et respectu accidentiū intrinsecorū, idem docet P. Suarez disp. 39. Metaph. sect. 3. n. 15.

2. Qua propter iterum, dices cū istis Authoribus, adhuc diuisionem esse immediatam: quia diuisio entis, de qua modo loquimur, est diuisio illius in decem genera generalis.

## §. 2 Si accidens esset vniuocum, esset genus. 167

ralissima, seu suprema: accidens autem, licet sit vniuocum; non tamen est genus; & ideo semper remanet immediata diuisio.

### §. II.

*Si accidens esset vniuocum, esset genus.*

**F**acilius reijcitur hæc euasio, quam præcedens: quia semel admissio, quod accidens sit vniuocum, non videtur superesse via ad defendendum, quod accidens non sit genus. Quod patet discurrẽtio per omnes rationes, quæ assignari solent. Soto, Iavellus, & Zumel, respondent, accidens non esse vniuocum; quia est transcendens.

Sed contra: nam transcendentia, intantum impedit rationem generis, in quantum adducit aetuale diuersitatem modorum, & tollit unitatem simpliciter; sed hoc immediatius tollit vniuocationem, quam rationem generis: ergo, si non obstante transcendentia, non impeditur vniuocatio, nec impiedietur ratio generis.

Deinde, perfecta transcendentia entis, impediendo vniuocationem, impedit rationẽ generis, & impediẽdo rationẽ generis, constituit analogiam: ergo pariter in accidente hæc duo mutuo se consequuntur.

3 **V**rgentius arguitur: nam accidens completum non transcendit vltimas differentias accidentiũ completorũ: ergo nec est analogũ, sed vniuocum; nec impieditur ratio generis. Antecedens patet: quia diffe-

rentia, quia vt partes, & vt entia in completa significatur, non ponuntur in recta linea predicamentali, nec sunt in predicamento directie; sed solum ad latus, & reuertuntur.

Totius argumẽti vis explicatur à paritate substantiæ completæ: nam quia omnes substantiæ completæ, secundum rationem eadem cõueniunt in eo, quod sit quidditas cui debetur esse per se, substantia cõpleta dicitur vniuoce de omnibus, quæ directe sunt in primo predicamento, & est genus generalissimum: licet substantia, prout abstrahit à cõpleta, & incompleta, analogice dicatur, quia est transcendens, & ideo non est genus. Sed omnia accidentia completa, secundum rationem eandem cõueniunt in eo, quod sunt quidditas, cui debetur esse in alio: ergo non solũ vniuoce cõueniunt; sed accidens est genus illorũ: quamuis accidens abstrahens à cõpleto, & incõpleto, quia transcendit, nec sit genus, nec vniuocum, sed analogum. Fateor me huius disparitatem diu desiderasse agnoscere; & nec audiũ, nec legi, quæ pœnitens intellectum quietet.

4 **A**liam rationem assignat M. Soto, cur accidens non sit genus, quamuis sit vniuocum: eo quod non prædicatur quidditative: quia non formaliter significat quidditates accidentium; sed esse eorum in subiecto, seu inhaerentiam in substantia.

Hæc tamen solutio, in primis non consonat S. Thomæ 3. p. q. 77. art. 1. ad 2. vbi dicit, quod non est definitio accidentis ens in subiecto.

sed quidditati, seu essentia accidentis, cōpetit habere esse in subiecto. Quod, & docerim 4. dist. 12. q. 1. artic. 1. quæst. 1. ad 2. & alibi sæpe: ergo essentiam, seu quidditatem essentialiter significat accidens, & non in hærentiam, nisi aptitudinalē. Præterea, quidditas accidentis aliquo nomine potest exprimi; nõ alio nisi isto: ergo accidens quidditatiue predicatur. Rursus, si non predicaretur quidditatiue, nec uniuoce predicaretur; quia non conueniret illi uniuocorum definitio, ut est exposita in hoc libro quæst. 1.

## §. III.

*Alia due solutiones examinatur.*

5. **C**ommunis solutio est, accidens, nec esse uniuocum, nec esse genus ad nouem genera, iuxta primam solutionem. Sed ut replicæ soluantur, & varia disparitates assignantur: sed quia aliqua sunt tales, quæ vel nullo impugnatē corruēt: ideo probabiliore tantum prosequemur. ¶ P. Rubio tractatu de Analogia, post impugnatas rationes P. Fonseca, & aliorum, ipse respondet à n. 77. vsq; ad 84. quod hic est analogia, quæ vocat D. Th. 1. p. quæst. 13. artic. 5. *multorum ad unum tertium*, quæ est, vel ad tertium significatum eodem nomine, vel diuerso: vnde cum omnia accidentia dicant attributionem ad substantiam, ideo semper accidens uniuoce dicitur.

Sed contra, quia hæc via explicatur, quod analogentur in ra-

tionem entis, non verò in ratione accidentis: quia entia secundum quid, sunt accidentia simpliciter: & analogum respectu omnium, restricte sumptum, non est analogum.

Secundò: sequitur, quod qualitas dicitur analogicè de omnibus qualitatibus completis: quia omnes dicunt ordinem ad substantiam, quia in hærentia aptitudinalis est de essentia accidentis: consequens est absurdum: alioquin in accidentibus nullum daretur genus, in quonon militaret idem argumentum.

6. Aliter respondet M. Ioannes à S. Thoma quæst. 14. artic. 4. conclus. 2. & M. Ortiz tractatu 4. conferentia 5. §. 2. quod accidens completum, non dicit aliquam vnã naturam communem omnibus, sed potius dicit modos ipsos, quibus complentur, & constituuntur ipsa predicamenta: quod constat, à paritate entis completi, quod dicitur tale à modis constituentibus predicamenta: & etiam, quia non est aliud, per quod compleri possit accidens in ratione accidentis, nisi per modos constituentes predicamenta accidentium: ergo cum asserat actu diuersitatem, prouenientem à modis, non potest esse genus, nec uniuocum, sed analogum.

¶ Vnde tamen paritas substantiæ, in qua tota hæc solutio videtur infirmari. Secundò: licet accidentium specialia genera, cōpleantur specialibus modis, vel differentijs: accidens tamen, ut sic, non cōpletur illis: sed physico, cōpletur in hærentia: & metaphy.

raphysice, cōpletur sua ratione quasi differentiali, qua illa quidditas habet, vt fieri debeat non esse in alio. ¶ Et tertio, hoc vrgetur in ipsa ratione constitutiua predicamenti quantitatis, vel qualitatis: nam modi inferiorum non constituunt actu genus generalissimum: quod præter dicent, qui admitterent accidens esse vniuocum, & genus ad omnia prædicamenta.

## §. IV.

*Opinio quod accidens est genus.*

7 **N**on desunt, qui cōcedunt accidens esse genus, vel ad omnia, vel ad tria priora genera accidentium; & sic iuxta istos, diuisio non erit immediata. Ita M. Cabero tractatu 4. disp. 3. dub. 7. P. Albertinus tomo 2. circa prædic. substantiæ q. 7. 11. Quod si illis obijcias; iuxta hoc non datur nisi duo prædicamenta: quod exulit à schola Peripatetica. P. Albertinus videtur in re inconueniens deorare: quia tantum (inquit) propter commoditatē prædicamentum accidentis subdiuisum est in alia, quia multa sub illo continentur. Sed hæc cōmoditas etiã esset vt prædicamentū substantiæ in alia subdiuideretur. Et non videtur superesse ratio cur alia genera subalterna, innumera prædicamenta nō constituent.

At verò M. Cabero respondet dub. 7. n. 19. decem prædicamenta esse suprema genera respectiue: nã in ratione substantiæ, substantia vt sic suamū genus est, quoniam in il-

la ratione non est aliud: relatio etiã dicitur genus generalissimum, quia in ratione relationis non est aliud superius.

8 Hoc tamen bene reijcit M. Ioannes à S. Tho. q. 14. art. 2. quia si genera suprema solum sumerentur respectiue, & non absolute, etiam animal diceretur genus supremū: quia in ratione animalis, non datur aliud superius: & quantitas discreti, vel continua, & omnia alia genera subalterna erunt suprema; quia respectiue in linea propria, omnia sunt suprema; eruntque fere innumera prædicamenta: quo nihil absurdius in via Aristotelis dici potest.

9 Alia apparentior solutio occurrit, qua vt cumque hæc opinio posset palliari, dicendo, quod non minori authoritate stabilitur numerus quinaris prædicabilium, quã denarius prædicamentorum: sed hoc non obstante, diuisio vniuersali in quinque vniuersalia, non est immediata, sed mediata, vt ex communi sententiã diximus lib. 1. q. 17. 3. et go pariter dici posset in præsentī, quod ens immediate diuiditur in substantiã, & accidens: & accidens immediate diuiditur in absolutū, & respectiuum: & absolutum, in quantitatem, & qualitatem: respectiuū in relationem, & in alia sex prædicamenta, quæ vt plurimum sumuntur ab extrinseco. Quod totum videtur indicasse S. Thomas in locis relatis qua st. 6. n. 19. in ratio equa probat sufficientiam prædicamentorum, fere hoc modo diuisionem proponens.

10 Clarius id indicatur opusculo 42. apud D. Thomam cap. 3. ubi dicitur: *ens vno modo dicitur substantia, alio modo accidens: & hac est diuisio entis per decem predicamenta: quasi dicat, diuisio, quae datur per decem predicamenta, posset breuius, & immediatius tradi diuidendo ens in substantiam, & accidens. Ideo autem traditur per decem genera, vt per notiora traditur: sicut diuisio, quae datur animalis in rationale, & irrationale, melius daretur in plures species, si omnes essent notae. In presenti autem, licet genera subalterna sint innumerabilia; sunt tamen ista magis suprema, & notiora, & vtiliora ad artem diuidendi, & definiendi, & ideo tam recepta, & vstita est diuisio entis in decem predicamenta. Et de diuisione entis in substantiam, & accidens, videatur S. Tho. 3. p. q. 11. art. 5. ad 3. & in 1. dist. 8. q. 4. art. 2. ad 1. & q. 21. de Verit. art. 1. & 5.*

## §. V.

*Diuisio est immediata; & accidens non est vniuocum.*

11 **H**is tamen non obstantibus, asserendum est diuisionem entis in decem genera generalissima esse immediatam: & quod accidens completum non est genus, nec vniuoce, sed analogice predicatur de nouem predicamentis. Ita sumitur ex Philosopho, & D. Thoma libro 10. Metaph. tex. 9. lect. 3. littera d. ubi dicunt, quod ens non predicat aliam naturam à decem præ-

dicamentis. Et concludit S. Thomas quod ens, quod diuiditur per decem predicamenta, significat ipsas naturas decem generum: quod falsum esset, si accidens vniuoce diceretur de nouem ipsorum. Clarius id exprimitur lib. 8. textu 16. lect. 5. littera f. ubi dicit, quod ens *statum à principio est, vel substantia, vel quantitas, vel qualitas: ergo immediate in illa diuiditur: vnde S. Thomas lib. 5. Metaph. lect. 9. littera c. ait: & propter hoc est, in qua diuiditur ens primo, dicuntur esse predicamenta: cum igitur non sit hæc prima entis diuisio, vt ex quaestione 6. constat ex eodem D. Thoma, erit prima, id est, immediata ad ista decem genera. Deinde ipse S. Thomas libro 5. Metaph. lect. 12. littera b. ponens exemplum analogorum, quae conueniunt in aliquo vno secundum proportionem, subdit: sicut *quantitas, & qualitas in ente: ens ergo etiam de duobus accidentibus intrinsecis, dicitur analogice, si in predicamento differant.**

Generaliter etiam loquitur S. Thomas in 1. dist. 25. q. 1. art. 2. dicens: *quatenus non conueniunt in vno genere generalissimo, non potest de eis aliquid vniuoce dici.* Idem docet ibi ad Anib. q. vnica art. 2. cum ergo sint decem genera generalissima, ratio accidentis non predicatur de eis vniuoce. Quare hæc est Thomistarum, & aliorum DD. communis sententia.

12 Ratio ponderata §. 2. omnino conuincit intentum, quia si semel admittitur accidens esse vniuocum non potest negari, quod sit genus, iuxta doctrinam S. Thomae lib. 1. contrag. cap. 32. quia si *de pluribus specie differentiis, inquit, & vniuoce predicat*

*dicatur*, definitio, & ratio generis accidenti competit. Semel autē admisso, quod sit genus, non videtur, quod prædicamenta sint tantū duo: quia si daretur per genera subalterna, essent innumerabilia prædicamēta. Et in hoc est manifesta disparitas inter prædicamenta, & prædicabilia: quia istorū genera subalterna, imō & species intimæ, possunt certo numero comprehendi: secus verò genera subalterna prædicamentorum. Et hoc discrimen, ipsi qui diuisiones primitus tradiderunt, notarunt.

13 Et per hoc soluitur replica numero 9. obiecta. Auctoritates adductæ num. 10. potius probant oppositum: quia ideo pro eodē omnino reputantur diuisio entis in substantiam, & accidens, & diuisio in decem prædicamenta, quia accidens non significat vnum aliquid simpliciter ab omnibus abstractum, sed ipsa nouem genera immediate; & ideo idem est dividere in duo, si vnum immediate continet, & significat nouem; ac diuidere immediate in decem: quia illa nouem solum conueniunt secundum quid, & analogice, seu in aliquo vno secundum proportionem.

14 Alia ratio ab inconuenienti, etiam vrget: quia si accidens completum dicitur vniuoce de decem generibus, vel saltim de duobus, vel tribus primis; aperitur via vt defendatur, quod ens cōpletū est vniuoce; & dabitur vnū tantū prædicamētum entis, vt docuit Plato in dialogo de *ente*, & *vro*, qui inscribuntur *Sophista*, & *Parmenides*, quem refert,

& impugnat Philosoph. 3. Metaph. cap. 3. de quo iam diximus q. 4. Sequela probatur: nam vt notat M. Araujo lib. 1. Metaph. q. 3. art. 5. ens completum, & incompletum metaphysice, & logice non differunt nisi ex modo significandi; & ideo, obiectiue loquendo, incōpletio non obstat, quominus entitas completa in ipsius modis imbibatur, propter maximam amplitudinem entis: sed si in accidenti completio, & incompletio logica, vel metaphysica, compereretur cum vniuoocatione, & ratione generis, totum id posset entī applicari, & dici, quod quamuis ens abstrahens à completo, & incōpleto, esset transcendens, & analogū; tamen ens completum esset vniuoicum, & genus: ergo ne in hæc incōuenientia incidamus, negandum est accidens esse genus, & vniuoicum: & loquendo de membris inter se vniuoce cōuenientibus, diuisio erit immediata in decem genera.

## §. VI.

*Ratio conclusionis rotanda, & solutio argumentorum.*

15 **E**X ratione à priori nostræ conclusionis, debemus deducere solutionē argumenti cōtrarii. Ratio sumitur ex D. Tho. q. 12 de Verit. ar. 1. & q. 21. ar. 1. vbi ait; ens cōtrahitur per decē genera, quorum vnum quodque addit aliquid super eis; non aliquid accidens, vel aliquam differentiam, quæ sit extra essentiā entis: sed determinatur modum essendi, qui fundatur

in ipsa essentia rei. Sed expressius lib. 1. sentent. dist. 22. q. vnica art. 3. ad 2. ait, dicendum, quod aliter diuiditur æquiuocum; aliter analogum; & vniuocum: æquiuocum enim diuiditur secundum res significatas: vniuocum verò diuiditur secundum differentias: sed analogum diuiditur secundum diuersos modos. Vnde cum ens prædicetur analogice de decem generibus, diuiditur in ea secundum diuersos modos: vnde unicuique generi debetur diuersus modus prædicandi. Hæc ibi S. Thomas. Idem latius habetur opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 2. cap. 1. circa finem, & opusculo 42. cap. 3.

16 Curus rationis subtilitas & efficacia, sic in forma ponderatur: diuisio entis penes modos diuersos essendi, fundantes primo diuersos modos prædicandi, non potest non esse diuisio entis analogica in genera generalissima: sed diuisio entis in substantiam, & accidentia; vel accidentis in nouem genera, est entis in diuersos modos essendi, fundantes primo diuersos modos prædicandi: ergo hæc diuisio entis creta in prædicamenta, est immediata in genera generalissima, quibus nihil datur commune vniuocum, sed solum commune analogum. Maior patet, ex dictis tota questione sexta, de re quæ sit ad hoc, quod aliquid ponatur in diuerso prædicamento.

17 Minor verò probatur, supponendo ex dictis questione 4. quod ens est concretum, significans, quod est; siue in recto importetur existentia; vt cum ens est participium;

siue in recto importetur essentia, & existentia in obliquo: hæc tamen semper importatur, siue in actu, siue in potentia. Quando ergo ens contrahitur ex parte naturæ potest esse contractio per differentias, quas natura generice, & indeterminate sumpta, in potentia continet: quando autem contractio est per ipsum esse, vel in actu, vel in potentia; est diuisio per inæqualitatem modorum, actu contentorum in ipsa ratione diuisa, quia ipsum esse omnes modos essendi implicite dicit. Sed diuisio entis in decem genera est huiusmodi: quia esse per se, manifeste est tale simpliciter, & primo diuersum ab omnibus alijs: esse quantum, est primo diuersum ab alijs, quia quodammodo per se ipsam quantitas indiuiduatur, iuxta doctrinam S. Thomæ 3. parte questione 77. articulo 2. & opusculo 70 questione 4. articulo 2. ad 3. alibi explicandam; & ideo est subiectum quo accidentium corporalium; qualitas verò formatiua, & ita illius esse est diuersum omnino ab alijs; relatio verò in ordine ad extrinsecum, & eius proprium est ad aliud referre: reliqua verò sex prædicamenta sumuntur vt plurimum ab extrinsecis, quod adiacet: sed omnes isti modi essendi fundant modos prædicandi omnino diuersa rationis: ergo diuisio est analogica in modos diuersos: ac prout accidit sicut in ente, ita in accidente solum analogice conueniunt. Et hæc ratio est explicatio

rationis, qua probatur sufficientia predicamentorum: unde non est iudicanda demonstratio, quamuis pro materiae capacitate, non parum habeat efucata.

18 Instans: nam ex ista ratione videtur inferri, quod omnis diuisio accidentis sit analoga: quia totum esse accidentis est inhaerere in subiecto; & ita omnis diuisio accidentis est per modos inhaerendi actu, vel aptitudine: si igitur diuisio per modos essendi est analoga, omnis accidentis diuisio erit analoga. Sed hoc est falsum: quia videmus sub quolibet genere generalissimo contineri plura accidentia vniuocae conuenientia, & distincta inter se specie, vel genere: ergo fundamentum rationis est nullum.

Respondetur distinguendo maiorem, & concedo eam de diuisione, quae datur ex ipso modo inhaerendi, quia datur sub formalitate entis transcendentis, & analogae; & ita diuisio, ut sic sumpta, est analogae. Si vero sermo sit de diuisione, quae datur ex speciali natura, & applicatione accidentis ad hanc, & illam quidditatem: sic maior est falsa, & sic videmus omnia, quae sunt sub eodem predicamento habere eundem generalem modum inhaerendi, in quo omnia conueniunt, & differentias generum, & specierum non esse per modos essendi diuersos, sed per differentias quibus diuersae species, & naturae constituantur.

19 Ex his iam promptum est respondere ad rationem dubitandi: admittimus enim solutionem Caietani communem Thomistarum, &

aliorum Authorum. Negamus tamen accidens esse vniuocum: quia quamuis significet medio conceptu formali, & obiectiuo vno secundum quid, non tamen vno simpliciter, neque obiectiue praeciso; ut de conceptu entis diximus, quod conceptus imperfectus est vnus, sed in adaequatus; conceptus tamen perfecti, & adaequati sunt plures, & non praecisi simpliciter.

20 Ad replicas relatas numero 3, quatenus contra nos militare possunt, dicimus, quod accidens complete solo modo significandi differt ab accidenti; & accidens sola ex modo significandi ab ente: unde licet sub formalitate completi, non explicet transcendentiam, nec hinc habeat analogiam; habet tamen eam, ex inaequalitate in modo essendi; & ideo accidens, ut diuisum, est analogum, materialiter transcendens, & formaliter analogiae inaequalitatis, ut de ente completo diximus quae 4. §. 4.

21 Ad replicam desumptam a paritate substantiae completae, respondetur ex dictis, quod omnes substantiae creatae complete conueniunt in vno modo esse diuersae, & non in alio: & quamuis sub illa ratione generalissima continerentur genera valde diuersa, tamen eadem diuersitas est ex parte naturarum: & ita est per differentias, & vniuocam admittens conuenientiam in genere. Accidentia autem diuiduntur in haec genera generalissima per modos, & ideo inaequaliter, & analogice unde dicto episculo 48. in hunc caput, primum dicitur: alio

modo adhuc contrahitur ens per duos modos; quarum unus est esse ad se: & iste modus comprehendit tria prædicamenta absoluta, scilicet, substantiam, quantitatem, & qualitatem: secundus est esse ad aliud: & iste modus comprehendit septem prædicamenta respectiua. Et postea concludit, quod diuisio entis in decem prædicamenta, non est diuisio vniuoci, sed analogi. Et si hoc intendunt aliqua solutiones relatæ, eas non repudiamus, sed acceptamus, & iuxta dicta exponimus. De quo iterum quæst. 9. §. 5.

*Summa textus Prædicamentorum  
Aristotelis.*

**Q**uestionibus ante prædicamentalibus absolutis, sequitur ut præmissa breui notitia textus prædicamentorum, supra promissa; quæstiones de ipsis prædicamentis proponamus.

*Summa capituli quinti de substantia.*

**I**n duas partes principales diuiditur hoc caput (ut annotarunt Cajetanus, & Soto) in primo tractat de prima, & secunda substantia; & in posteriori sex proprietates substantiæ constituit, & explicat. In prima igitur parte subinteligit, vel insinuat, diuisionem substantiæ in primam, & secundam, & utramque definit, & comparat. *Substantia, que quidem proprie, in primis, & maxime sic dicitur, est qua*

*neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est: ut, quidam homo, & quidam equus. Secunda vero substantiæ species hæc, in quibus, quas in primis substantias appellabamus, insunt, dicuntur: & hæc quidem, & harum specierum genera: ut, homo, atque animal; subdit, quod vniuersalia substantiæ prædicantur nomine, & ratione de subiecto; accidentia vero de substantia, quædam, nec nomine prædicantur, nec ratione: quædam vero prædicantur nomine, sed non ratione.*

3 Comparando autem ipsas substantias inter se, species est magis substantia, quam genus, quia magis accedit ad primam substantiam, & quia pluribus substat. Ipsarum vero specierum altera magis altera substantia nulla est: similiter dicendum in primis substantijs, quod nulla altera magis altera substantia est.

4 In secunda parte sex assignat substantiæ proprietates. *Prima est: commune omni substantiæ est in subiecto non esse. Secunda: inest substantijs, differentijsque, omnes vniuoce, ut prædicentur. Tertia: omnis substantia hoc aliquid significare videtur; secundæ vero quale quid potius significant. Quarta: substantiæ nihil est contrarium; quod etiam competit quantitati. Quinta: substantia non suscipere gradus videtur, ut sit magis, minusve talis. Vltima: maxime vero substantiæ proprium hoc esse videtur, idem, inquam, vnumque numero permanens, contrariorum esse susceptiuum.*

*Summa capituli sexti, de quantitate.*

5 **C**aput hoc, sicut præcedens; in duas diuidit partes Magist. Soto. In priori Philosophus numerat, & definit species quantitatis: in secunda proponit eius proprietates. De duabus diuisionibus explicitam mentionem facit dicens: quantum autem partim est continuum, partim discretum: & partim ex habentibus positionem in partibus, partim è non habentibus constat. Discretum quidem est, vt numerus, & oratio; continuum autè vt, linea, superficies, & corpus: & insuper, præter hæc, tempus, & locus. De istis autem septem speciebus subdit: quod hæc sola proprie quanta dicuntur, cætera vero vniuersa per accidens quanta dicuntur. Quibus indicatur tertia diuisio, quod alia sunt quanta per se, & alia sunt quanta per accidens.

6 Tres proprietates quantitatis numerat in secunda parte. *Prima*: quantitati nihil est contrarium. *Secunda*: quanto magis, ac minus esse non competit. *Tertia*: proprium quantitatis est maxime, æqualitas, & inæqualitas, vt hoc æquale, vel inæquale, vtrumquodque eorum, quæ rationem quantitatis, subeunt, dicatur.

*Sūma cap. 7. de his quæ ad aliquid.*

7 **D**iuiditur caput hoc in tres partes à Philosopho. In prima refert definitionem Antiquorum: in secunda exponuntur quatuor proprietates: in postrema constituitur exacta definitio eorum, quæ sunt ad aliquid secundum propriam sententiam Aristotelis. Definitio antiquorum erat: *ea dicuntur ad aliquid, quæ id quod sunt aliter esse, aut aliquid ab quo aliamodo dicuntur*: veluti duplum alterius est duplum; & maius alio dicitur maius. Iuxta istam definitionem sunt ad aliquid, habitus, dispositio, scientia, atque positio.

8 In secunda parte quatuor assignantur proprietates: *Prima*: est contrarietas in his, quæ ad aliquid sunt. *Secunda*: relatiua videtur suscipere magis, & minus. Et istæ sunt iuxta Antiquos. *Tertia* vera relatiuorum proprietas est: vniuersa, quæ sunt ad aliquid, ea dicuntur: quæ conuertuntur: sic vertit Argropyllus: Boetius vero transfert: *omnia relatiua ad conuertentia dicuntur*. *Quarta* proprietas: ea quæ sunt ad aliquid simul natura esse videtur: quin, & mutuo hec interimunt se se: nã si duplu non est dimidiã non erit; & si dimidiã non est, duplum non erit.

9 Obijcit in tertia parte quod iuxta relatã definitionẽ, substantia diceretur ad aliquid, caput enim alicuius dicitur caput, & manus alicuius dicitur manus, ergo illa definitio non est sufficiens. Definitio ergo legitima est: *ea sunt ad aliquid, quorũ esse idẽ est ei, quod est ad aliquid*

*aliquomodo se habere: vel iuxta Boetium: sunt ad aliquid, quibus hoc ipsum esse est ad aliud quoddammodo se habere. Quæ definitio solum conuenit his, quæ vere sunt ad aliquid. Ex quo patet, quod si quispiam aliquid eorū, quæ sunt ad aliquid definite scit, simul id quod ad aliud dicitur, definite sciet: quæ est relatiuum vltima proprietas.*

*Summa capitis octaui, de quali,  
& qualitate.*

10 **D** Vas principales partes continet hoc caput: in priori tractat de qualitate in abstracto, & de quali in concreto: in secunda agit de proprietatibus qualitatis, & determinat dubitationem quandam. Describitur ergo qualitas his verbis iuxta Boetij versionem: *qualitatem esse dico, si cum dum quam quales quidem dicimur: vel dicuntur: iuxta nouam translationem. Prima eius species qualitatis, habitus, dispositioque vocetur: vt scientiæ, & virtutes, sanitas, & morbus, caliditas, & frigiditas. Subdit: sunt autem habitus quidem dispositiones; dispositiones vero haud necessario habitus sunt. Aliud qualitatis genus est, ea quæ per potentiam naturalem, impotentiamve dicuntur: vt cum ad luctum aliquos, aut ad cursum, aut ad sanitatem, aut ad morbum aptos esse dicimus. Tertium qualitatis est genus, qualitatis passiue, ac passionis: vt dulcedo, amaritudo. Quartum qualitatis genus est figura, & ea quæ circa vnumquodque est*

*forma: vt rectitudo, & curuitas; triangulum, & quadratum. Subdit autem: qualia vero sunt ea, quæ denominatiua ab ipsis, aut aliquomodo dicuntur.*

11 In secunda parte proponit tres qualitatis proprietates. *Prima: proprium est qualitati habere contrarium: vt albedo opponitur nigredini, & iustitiæ iniustitiæ: non tamen in omnibus hoc esse videtur: flauo enim, aut fasco, aut talibus coloribus, quæ quidem sunt qualia, nihil est contrarium. Secunda proprietas est: qualia ipsa gradus suscipiunt, ac magis talia, minus ve dicuntur: vt, vnum album est magis album alio; & vnus dicitur iustior, & sanior alio: non tamen conuenit omni; quia figuræ non videntur talem conditionem subire. Tertia: proprium qualitatis est, hoc ipso simile, atque dissimile dici.*

12 Sed obijci potest: nam habitus, & dispositio sunt ad aliquid: ergo non qualitates. Responder primo, quod generice, ad aliquid esse dicuntur; sed specificè sunt qualitates. Secundo responder in fine textus: quod *si quid idem, & quale, & ad aliquid sit, in vtrisque his in generibus collocari, enumerarique, haud absurdum erit.* Quibus verbis firmatur Aristotelis authoritate, doctrina à nobis tradita in hoc lib. q. 7. quamuis hic non loquatur de relatione secundum esse, sed secundum dici: quia scientia vere est in predicamento qualitatis, & non in predicamento relationis: licet in communi relatione explicetur.

*Summa capituli noni, de alijs prædicamentis.*

13 **I**N duas partes diuiditur hoc caput. In prima duas numerat proprietates actionis, & passionis: in secunda reliqua prædicamenta breuiter percurrit, quia facilia sunt, & non multum ad vsum necessaria. Proprietates actionis, & passionis sunt, habere contrarium, & suscipere magis, & minus. *Situs* de nominatiue dicitur à positionibus: *habere*, indutum, atque armatum esse significat: *vbi vero in* Licet esse: quando vero esse in tali tempore, vt hæri, superiori anno, iuxta dicta capite quarto. De generibus ergo propositis, ea quæ sunt dicta sufficiunt.

## QVÆSTIO IX.

*Quæ sit propria ratio constitutiuæ substantiæ?*

1 **V**T docet Philosophus 7. Metaph. cap. 1. *substantia, omnium primum est, ratione, uoluntate, & tempore; & est fundamentum reliquorum prædicamentorum, utpote principale analogatum entis; & ideo merito prædicamentales quæstiones à substantia inchoamus.*

2 Recolendum est autem ex dictis quæst. 1. nam. 10. quod *substantia*, aliquando accipitur pro *essentia*; aliquando vero accipitur specialiter, & proprie, vel prout condistinguitur ab accidente, vel pro re pri-

mi prædicamenti: vnde S. Thomas in 3. sentent. dist. 6. quæst. 1. artic. 1. ad 1. *substantia proprie dicta*, dicitur accipi dupliciter, vel prout est genus primum generalissimum; vel prout *substantia diuiditur contra accidens*: & subdit, quod partes integrales hominis sunt substantia hoc secundo modo; non autem in priori acceptione: nunc de proprio constitutiuo: seu de conceptu essentiali quid dicitur substantiæ, in vtraque acceptione propria, quæstionem proponimus. Sed de ista distinctione videatur Opusc. 42. cap. 10.

## §. I.

*Reijciuntur sententiæ Neothericorum.*

3 **S**unt qui opinentur propriam rationem substantiæ constitutiuam esse subijci seu substantiare accidentibus. Ita tribuitur S. Seuerino Boetio, & alijs: quid probant ex vocis Etymologia: nam, vt notat S. Isidorus lib. 2. Originum cap. 17. & lib. 1. similitudinum capite 4. *substantia sic dicitur, quia substantat*: quod videtur de sumptum ex S. Augustino lib. 5. de Trinitate capite 1. & libro 7. capite 4. & approbatur à D. Thomâ in 1. dist. 23. quæst. 1. artic. 1. ad 3. dicente, quod *substantia dicitur, in quantum substans accidenti, vel nature communi*. Quod esse dementè Philosoph. in isto capite 5. notatur opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 2. cap. 3. quia per substantiare accidentibus, vel substantiare rationibus vniuersalibus, substant-

stantiam Philosophus diuisit: quod non faceret, si *substare*, non esset propria ratio substantiae.

4 Hæc tamen sententia communiter deseritur: primo, quia *substare* non est primum, quod in essentiali conceptu substantiae intelligimus: quia prius est in se, & per se, quam alijs intelligatur *substare*: vnde *substare* non est primum, & quidditarius conceptus substantiae, quem inuestigamus.

Secundo, quia S. Isidorus ibi etiã docet substantiam dictam à *subsistendo in se*: ergo ex deriuatione vocabuli non sumitur pro ista opinione argumentum.

Tertio: quia vt notat Sanct. Thom. 1. p. quaest. 13. art. 8. & 2. q. 57. art. 1. ad 1. & q. 92. art. 2. ad 2. non est semper idem, id à quo imponitur nomen ad significandum, & id ad quod significandum nomen imponitur: sicut enim substantiam rei ex proprietatibus, vel operationibus eius cognoscimus; ita substantiam rei denominamus, quandoque ab aliqua eius operatione, vel proprietate; sicut, *lapis*, dicitur à *ledendo pedem*; & tamen nomen, *lapis*, non significat læsionem pedis, sed substantiam lapidis: ergo etiam si *substantia* sic appelletur à *substando*, non sequitur quod *substare* sit eius essentia; sed ad denominationem istam sufficit, quod *substare* sit proprietas substantiae.

5 Alia via propriam rationem substantiae conatur exponere Hurtadus disp. 10. Metaph. sect. 2. dicens, *substantiam esse conceptum quidditatum rei, quo durante res durat;*

*ceteris omnibus mutatis, aut circumscriptis.* Et subdit, quod illa particula, *res*, intelligenda est stricte, de his quæ absolute res dicuntur, nempe id per quod respondemus quaestioni *in quid?* Cum interrogamur: quid est hoc? Quæ explicatione dicit videri sibi rem hanc deductam vsque ad prima principia.

6 Cæterum acriter rejicitur à P. Arriaga disput. 4. Metaph. sect. 3. & communiter ab Authoribus suæ Societatis, quorum Neothoricus quidam dicit, *non ad prima principia, sed ad difficultatis initium per tot implexus circuitus, quaestionem traxisse Hurtadum; neque principium aliquod ex quo substantia naturam cognoscamus, dedisse.* Quod probant, primo: quia quaestioni interroganti, quid sit aliquod ens artificiale? Recte respondemus per proprium nomen: & tamen forma rerum artificialium est accidens.

Secundo: quia nomina sunt ad placitam, & rebus extrinseca: ergo ex solo nomine non valet quidditarius conceptus substantiae inuestigari.

Et tandem, quia adhuc non est explicatum, cur forma equi sit substantia, & quantitas non sit substantia? Nec substantiae quidditarius conceptus, adhuc per hæc omnia est manifestus.

7 Vnico verbo nos possumus expositionem rejicere: quia iuxta eam est expositus vt cumque conceptus substantiae, vt sumitur pro *essentia*, & inuenitur in omnibus generibus; & de qua inquit Philosophus 5. Metaph. textu 15. *lec-*

tione 10. apud D. Thomam littera d, quod quid erat esse, cuius ratio est definitio, & hac substantia videtur uniuscuiusque; & de eadem ait S. Thomas in 1. distinct. 25. quæst. 1. articulo. 1. ad 7. quod substantia idem est, quod essentia: & sic substantia inuenitur in omnibus generibus, sicut, & essentia: & hoc significatur cum queritur, quid est albedo, color? Cæterum iam diximus nos non disputare de substantia in hac acceptione; sed in alijs acceptionibus, ut condistinguitur ab accidente, vel ut sumitur pro genere primo generalissimo: cum igitur rationes istæ peculiæ non sint expositæ, non recte satisfactum est quæsitio per doctrinam relati Authoris.

8 Aliam viam hoc exponendi aggreditur Arriaga disput. 4. sect. 6. dicens, quod conceptus substantiæ est quidquid intrinsicè constituit primam rem. Nomine autem *prima rei* intelligitur id quod primo, & per se intenditur à natura, vel primo, & per se existit, vel quia est prima radix cæterorum. Quam expositionem probat, quia in ea recte explicatur differentia substantiæ ab accidente, sine vlllo circulo, petitione ve principij, & non per solas novas voces. Addunt aliqui testimonium Aristotelis qui 7. Metaph. textu 13. vocat substantiam *primum ens*.

6 Verum tamen nullus in dubium vertit, quod inter entia prædicamentalia substantia est primum ens: per hoc tamen, quæsitio non

est terminata; sed hinc orta: quia desideramus scire rationem formalem, & quidditatum conceptum huius primi entis. Quod autem relata verba id non explicent, patet primo: quia est æque obscura ratio primi entis, ac ratio substantiæ. Secundo, quia sola materia esset substantia; cum formæ materiales ex materiæ potentialitate educantur: & materia sit radix illarum: quamvis non sit materia actiua, ut dicetur libro primo Physicorum, & dictum est 2. p. Metaphys. & substantiam esse operatiuam, est quid posterius, quam conceptus quidditatus substantiæ, quem inquirimus. Et de subsistentia, quæ in ipsorum sententia, non est prima radix, inquiritur quomodo in illa saluetur conceptus essentialis substantiæ; si ille est esse radicem cæterorum? Denique, in ædificio aliquo videmus fundamentum esse primum; & tamen sine causalitate effectiua: ergo ratio primi entis, & ratio primi efficientis, non sunt ex terminis idem.

10 Videntes alij eiusdem Societatis defectum prædictæ expositionis, aliam excogitarunt, dicendo substantiam esse id quod primario, propter se intenditur à natura: id autem propter se, & primario intendi dicitur: quod non intenditur propter aliud adæquate ab ipso distinctum.

Desideratur in hac descriptione claritas: quia definitio debet esse clarior re definita, & descriptio de-

debet esse ex notioribus: magis autem obscurum, & sub opinionibus positum est, quid primo intendatur à natura; quam ratio substantiæ: ergo hac via non exponitur.

Secundo: ut docet S. Thomas locis relatis lib. 1. quæst. 22. num. 13. natura non intendit multitudinem indiuiduorum, nisi propter conseruationem speciei: ergo species primario intenditur: & ita, vel sola erit substantia, vel erit magis substantia, quam substantia prima; contra doctrinam Philosophi in hoc capite.

Tertio: partes substantiæ non primario intenduntur, nec fiunt, sed compositum, ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 45. artic. 4. & 8. ex Philosopho lib. 7. Metaph. lect. 7. & lib. 8. lect. 1. & lib. 1. Physicorum lectione vltima: & tamen vere sunt substantiæ, ut nunc loquimur: quia non sunt accidentia: ergo non est adhuc bene descripta propria ratio substantiæ.

II Nec foelicius laborarunt alij, qui substantiam definiunt per hoc, quod sit *subsistentia radix*.

Qui reniuntur, primo: quia si quid veritatis dicunt, incidunt in sententiam S. Thomæ, quam paulo ante impugnant.

Secundo: quia sæpe dicunt subsistentiam non fuisse ab antiquis Philosophis cognitam: & tamen non tam ignorantes eos iudicabunt, quod non agnouerint proprium conceptum substantiæ: condistinctæ contra accidens: ergo eius propria ratio in hoc non consistit.

Tertio, quia sunt tot sententiæ quot capita circa constitutum subsistentiæ, ut tractabitur 3. p. Metaph. vnde Caietani 3. p. quæst. 2. & 4. artic. 2. septem refert opiniones, & postillas alia quatuor sunt exortæ, de quibus Nazarius 1. p. quæst. 50. art. 2. controu. 3. ergo cognitio rei adeo necessaria, utpote radix notitiæ omnium entium prædicamentalium, non debet his inextricabilibus opinionibus intricari.

## §. II.

### *Vera S. Thomæ sententiæ.*

12 **R**etulimus Recentiorum dissidium, referamus antiquorum, maxime Thomistarum, concordiam: & ideo veritatem attingisse non dubitemus: quia ut ait S. Dionysius cap. 4. de Diuinis nominibus, *veritas à multis opinionibus conuertit, & vno vniuio lumine complet: vbi S. Th. lect. 4. in fin. ait: multipliciter errare à veritate contingit: & ideo illi, qui cognoscens veritatem, conueniunt in vna sententiâ.* Quæ in præsentia est sententiâ Angelici Doctoris.

13 Sit ergo conclusio: substantia, ut distinguitur contra accidens, est quidditas, cui debetur esse per se, & non in alio ut in subiecto: substantia vero ut est genus supremum, est ens per se implicite continens inferiora, ac proinde, est ens completum, & habens alia requisita, ut ponatur in recta linea prædicamentali. Ita docet S. Thomas 1. p. quæst. 3. artic. 5. ad 1. & 3.

p. q. 77. artic. 1. ad 2. & in 4. dist. 12. q. 1. artic. 1. q. 1. ad 2. & 3. & q. 7. de Potentia art. 3. ad 4. & multis alijs locis relatis in tabula aurea, verbo *substantia*, n. 9. & 13. Sed, & ex professo vtraque pars traditur opusc. 42. cap. 20. & opusc. 48. tractatu 2. cap. 2. & videtur desumpta ex S. Damasceno cap. 24. Logicæ dicente: *substantia est res per se existens, non indigens altero ad consistentiam*. Et esse communem, testantur Masius sect. 2. quaest. 5. PP. Carmel. disput. 12. quaest. 1. Sanchez libro 5. quaestione 14. & Iabellus lib. 5. Metaph. quaest. 17.

14 Ratio prioris partis est facilis: quia ens in decem prædicamenta diuiditur, nõ per differentias, sed per speciales modos essendi. quia hoc modo decem genera contrahunt ens, per speciales modos essendi applicando ad speciales naturas: sed accidens constituitur per esse in alio, seu per quidditatem, cui debetur inhaerere: ergo substantia, que illi opponitur, & ab accidente distinguitur, est quidditas habens esse per se independentem à subiecto inhaerentis.

15 Secunda pars probatur: nõ genus generalissimum substantiæ, & dicit aliquid ab accidente distinctum, & addit quod ponatur directe in recta linea, vt cõtinens totã arborẽ in potentia: sed hæc omnia soli conveniunt enti per se, completo quod quidditative predicatur de generibus subalternis, & speciebus infimis, & illa continet implicite, & in potentia: ergo convenienter sic exponitur generalissimũ huius præ-

dicamenti. Hæc ratio manifesta est ex dictis quaest. 6. & ideo non oportet amplius eam ponderare.

16 Sed attende, quo argumento Neoterici, qui se *Politiones* appellant, sententiam S. Thomæ, & omnium Antiquorum, impugnant. Arguunt ergo: quia forma equi est substantia, dependetque à subiecto, & illi inhaeret, sicuti dependet, & inhaeret quantitas: ergo ex hoc capite non possunt differre substantia, & quantitas; siquidem vtrique communis est inhaerendi conceptus. ¶ Imò conantur Arriaga sect. 4. & alij, ad D. Thomam respondere, quod loquatur de substantia totali, quam certum est non posse recipi, aut pendere à subiecto; non verò negat D. Thomas substantiam partialem pendere à subiecto: eũ passim doceat formas substantiales materiales educi ex materia.

17 Mirum tamen est, quod qui S. Thomam non legunt, ipsum velint interpretari: si enim legissent, in ipso suam interpretationem locum non habere comperissent; imò solutionem argumenti didicissent, si attendere voluissent. Loquens ergo S. Thomas de substantia, vt ab accidente distinguitur, ita art. 3. p. q. 77. artic. 1. ad 2. *quidditati: seu essentia substantiæ competit habere esse non in subiecto: quidditati autem, sine essentia accidentis competit habere esse in subiecto*. Et in 4. sent. dist. 12. vbi supra ad 2. dicit: *Diffinitio, vel quasi diffinitio substantiæ est res habens quidditatem, cui acquiritur esse, vel debetur et non in alio: & similiter esse in-*  
X sub-

*subiecto non est d. finis accidentis; sed  
 e contrario res cui debetur esse in alio: &  
 hoc nunquam separatur ab aliquo acciden-  
 te, nec separari potest. Quomodo ergo  
 dubitari potest esse de mente S. Tho-  
 mae, quod conceptus essentialis sub-  
 stantiae, conuulsa ab accidente sit,  
 conceptus independentiae à subiec-  
 to inhesionis? & manifestissime etiã  
 opusculo 42. relato cap. 10. ita di-  
 citur: *est enim per se esse, & non in alio,  
 per quem modum substantia diuiditur cõ-  
 tra accidens: s. d. super hoc ratio generis  
 addit. ord. nem ad contenta sub eo, & c.*  
 quae verba, & sequentia non indi-  
 gent interprete, sed lectore.*

18 Et opusc. 48. illo capite secũ-  
 do, argumentum Recentiorum du-  
 pliciter soluitur, & nostra sententia  
 firmatur, his verbis: alio modo es-  
 se per se diuiditur cõtra esse in alio:  
 & hoc secundo modo solum subst-  
 antiae conuenit esse per se; & iste  
 est modus proprius eius. Vel po-  
 test dici, quo substantia estens per  
 se existens; eo quod sibi proprie cõ-  
 uenit existere: alijs verò acciden-  
 tibus conuenit existere per eam: sicut  
 ignis per se est calidus, quia omnia  
 sunt calida per eum; est enim eius  
 proprietas esse calidum. Sciendum  
 tamen est; quod substantia diuidi-  
 tur in materiam, formam, & com-  
 positum: materia non dicitur pro-  
 prie esse per se; cum non habeat esse  
 nisi per formam: similiter etiam for-  
 ma non dicitur esse per se; cum so-  
 lum habeat esse in materia. Compo-  
 situm autem proprie dicitur esse  
 per se; & dico compositum integra-  
 tum, scilicet, ex suis partibus: licet  
 enim partes integrales sint compo-

sitae; non tamen dicuntur proprie  
 esse per se: compositum enim dire-  
 cte est in predicamento, vt Boetius  
 in Commentario predicamentorũ  
 dicit. *Licet etiam possit dici, quod forma  
 & materia, & partes integrales sint per  
 se, quia non sunt in alio vt accidens in sub-  
 iecto.* Hæc ibi. Videatur S. Tho-  
 mas libro 7. Metaph. lect. 13. lit-  
 tera c. & 1. Posteriorum lect. 10.  
 littera b.

19 Quam doctrinam, vt adfor-  
 mam argumenti applicare possi-  
 mus, notandum, quod cum esse in  
 alio contingat octo modis, recens-  
 tis à Philosopho, & S. Thoma li-  
 bro 4. Physicorum lectione 4. mo-  
 dus ille, quo forma est in materia,  
 vel subiecto, penuria vocabulorum  
 sub vno comprehenditur, siue for-  
 ma sit accidentalis, siue substantia-  
 lis, vt ait S. Thomas. Sed quia so-  
 la materia prima, in rigore loquen-  
 do, est ex qua aliquid fit; & sub-  
 iectum accidentium solum dicitur  
 materia in qua, vt docet S. Thomas  
 8. Metaph. lect. 4. & opusculo 31.  
 Ideo ad significandam diuersum  
 modum, quo forma substantialis  
 est in materia & forma accidenta-  
 lis est in subiecto; oportet vocabu-  
 la adinuenire; & hac de causa esse  
 in alio vt in subiecto, stat duplici-  
 ter: vel vt in subiecto ex quo, &  
 cum quo facit vnum; vel solum vt  
 in quo inhaeret solum, & sustenta-  
 tur: quod clarius dicitur; forma,  
 vel requirit subiectum propter hoc  
 solum vt sustentetur, & inhaeret;  
 & hæc est forma accidentalis: vel  
 requirit, vt cum illo vnum totum  
 per se, & vnam naturam constituat;  
 &

& hæc est forma substantialis. Unde accidentia solum dicuntur *inherere* *strictè loquendo*; quia sola dependent à subiecto sustentationis: quavis *laxe loquendo*, & non faciendo vim in vocabulis, informatio substantialis, formæ dependentis à materia, à qua educitur, etiam dicitur in hærentia à D. Thoma quæst. 3. de Veritate artic. 3. Igitur esse per se, commune omni, quod non est accidens, excludit in hærentia *strictè* in subiecto; sed substantia completa excludit rationem partem, cum sit totum completum.

20 Quod totum iam diu notavit Philosophus capite secundo antepredicamentorum, ubi definit, *esse in subiecto*, seu naturam accidentis, his verbis; *id in subiecto esse dico, quod in aliquo quidem est, & non uti pars, &c.* Vbi M. Soto in terminis argumentum, quo utuntur Recentiores, sibi obijcit; & respondet, quod formæ substantiales non sunt in materia tanquam pars totius: & ideo excluduntur à ratione accidentis per secundam particulam definitionis: quod & notauerant Caietanus, & Iavellus: ut videas quam antiqua sit solutio argumenti, quod ut novum a novioribus proponitur ad deserendum S. Thomam: qui cum toties

difficultatem tetigerit, non  
 alia via ei satisfecit,  
 nisi verbis nostræ  
 conclusio-  
 nis.

§. III.

Primo dubio respondetur.

21 **A**D maiorem tamen expositionem sententiæ D. Thomæ, inquires primo; utrum esse per se, & non in alio, importet aliquid positivum, vel aliquid negativum?

Hoc secundum videntur docuisse Porphyrius in interrogationibus huius capituli, & Sencinas libro 5. Metaph. quæst. 14. qui id probat: quia substantia aliquid addit supra ens: alioquin illud non contraheret, & esset idem dicere *substantia*, & dicere *ens*; quod est aperte falsum: sed non addit aliquid reale: quia in quolibet reali includitur conceptus entis: non addit relationem rationis: quia substantia non significat relationem rationis: nec ens rationis dividit entia realia: ergo addit aliquid negativum.

22 Opposita sententia est communis. Et probatur primo: quia nullum ens reale positivum potest constitui per negationem: alias pura negatio esset natura aliqua: qua ratione ad hoc intentum utitur Sanctus Thomas libro 1. contragent. capit. 21. circa finem dicens: dicitur ens per se, ex hoc, quod non est in alio, quod est negatio pura; quæ non potest naturam, vel rationem generis constituere: quia sic genus non diceret, quid est res; sed quid non est.

Secundo: quia quælibet negatio inicitur alicui affirmationi, &

causatur ab eo: & ideo ille conceptus positivus super quo fundatur negatio, erit constitutum substantiae. ¶ Hanc communem sententiam reputo veram; & quod ab ea non recedit Soneinas. Quod constat, primo: quia in priori solutione expresse concludit, quod *negatio est per quam circumloquimur, id quo substantia distinguitur formaliter ab accidente: ergo non existimat negatione constitui in re substantiam; sed quod quoad nos, negatione explicatur: quod verissimum est.*

Secundo: quia secundam solutionem ex propria S. Thomae sententia proponit, in qua dicit, quod *tam substantia, quam accidens addunt aliquid reale supra ens: quia divisum in decem genera non est ens participialiter, sed ens nominaliter, ut etiam nos diximus quae est. 4. ex D. Thoma Quodlib. 2. artic. 3. & ideo substantia includit in suo conceptu esse, de quo non praedicatur ens divisum in decem genera. ¶ Et haec potest esse prima argumenti solutio, concedendo maiorem, & negando minorem pro priori parte: quia modus substantiae est ens reale ut distinguitur contra nihil; & est actus entis nominaliter sumpti: nec ens contrahitur per differentias, sed per aliquid tolli ratione, imperfecte praescedente, ab ipso distinctum.*

24 Secundo melius respondetur, quod ut ait S. Thomas 1. p. q. 10. artic. 1. ad 1. simpliciter consueverunt per negationem determinari, sicut patet in eo cuius pars non est: quod non ideo est, quod negatio sit

de essentia eorum: sed quia intellectus noster, qui primo apprehendit composita, in cognitione simplicium peruenire non potest, nisi per rationem compositionis. Cum igitur conceptus substantiae, ut distinguitur contra accidens, & ut est genus generalissimum, sit simplex, propter entis transcendentiam; ideo quamvis esse per se sit quid positivum; convenienter explicatur per negationem essendi in alio ut accidens est in subiecto.

## §. I V.

*Aliud dubium soluitur.*

25 **S**ecundo inquires, quid significet *ly esse* in praedicta descriptione substantiae; an significet esse essentiae, seu quidditatis; an vero significet esse existentiae.

Respondet P. Didacus à Iesu disputat. 12. q. 1. quod non significatur aptitudo ad existendum: quia constitutum substantiae sic incommuni convenit Deo: de Deo autem non proprie praedicatur aptitudo ad existendum: quia est *sub esse*; nec potest non esse. Secundo: quia substantia incommuni convenit etiam existens substantialem existentiam autem non est apta ad existendum: neque similiter substantia. Erunt ergo propria ratio modus *essendi per se*: quia hoc convenit omni substantiae: & per hoc differt ab accidenti, quod constituitur per modum essendi in alio. Et quod in descriptione substantiae, *ly ff* sumatur pro existentia, expresse docet M. F. Ioan. à S. Th. q. 15. art. 1. concl. vlt.

26 Dicendum tamen est, quod *ly, per se*, non significat existentiam in actu, sed eius radicem, seu quidditatem: quod manifeste probatur: quia propria ratio constitutiva substantiæ, debet esse de essentia omnium substantiarum: sicut ratio communis, & genus est de essentia eorum, quæ sub ipso continentur, de quibus quidditate prædicatur: sed existere per se non est de essentia creaturæ: quia contingenter illi conuenit: ergo existere per se non est propria ratio constitutiva substantiæ.

Secundò: nam inhærentia actualis non est de essentia accidentis: quia quod est essenziale, semper conuenit: & tamen in Eucharistia accidentia actu non inhærent. ergo nec actu per se existere, est propria ratio constitutiva substantiæ. ¶ Quod docuit Auicena libro 3. Metaph. capit. 8. quem refert, & sequitur S. Thomas quæst. 7. de Potentia artic. 3. ad 4. & Quodlib. 9. artic. 5. ad 2. ubi habentur ambæ rationes nostræ: & additur tertia ratio radicalis, cur existentia non possit esse genus, vel species: quia cõrèta, subgenere, vel specie, non conueniunt in existentia, sed in quidditate: & ideo est illorum vna natura, non tamen vna existentia. Quapropter, nostram sententiam esse Logicorum communem, notant PP. Carmelitani ubi supra num. 15. & forte Mag. Ioan. à S. Thoma loquitur de existentia in aptitudine.

27 Argumenta contraria potius probant oppositum: quia S.

Thomas illo primo argumento probat 1. p. quæst. 3. art. 5. ad 1. & 1. contragen. capit. 25. in fine, quod Deus non est in genere substantiæ, quia esse non est genus. & essentia Dei est suum esse: & supra diximus quæst. 6. num. 4. quod diuisum in decem genera est ens creatum.

Ad secundum respondetur, quod vt ait S. Thomas libro 2. contragen. capite 54. *ipsum esse est, quo substantia denominatur ens*: quia ens in rigore, & participialiter sump-tum, est quodam compositum ex essentia, & existentia, vt ex *quod est, & quo est*, vt ait ibi S. Thomas: vnde existentia est actualitas substantiæ, vel substantia, vt *quo*, non vt *quod*; & ideo existentia per propria principia essentiæ constituitur, vt ait S. Thomas 2. Metaph. lect. 2. de quo videantur, quæ diximus 1. parte Metaph. Contiou. 7. num. 107.

## §. V.

*Alterius difficultatis solutio.*

28 **C**ontra secundam partem tertiæ conclusionis propositæ num. 13. est argumentum, seu tertia difficultas: nam genus est extra essentiam differentiarum: quia illas non continet in actu, sed in potentia; & ideo prædicatum transcendens, in quantum tale, non potest esse genus: sed quidditas exigens per se existere, transcendit vltimas differentias substantiales: ergo non potest esse hæc ratio constitutiva generis substantiæ.

Probatur minor : primo à paritate : quia sicut substantia est quidditas , cui debetur esse per se ; ita accidens est quidditas , cui debetur esse in alio : sed hæc ratio in accidente transcendit ultimas differentias ; & ideo est analogum transcendentia : quia de essentia cuiuslibet differentia est inhaerentia apertitudinalis in subiecto : quia esse accidentis est inesse : ergo pariter in substantia esse radicem existentia , seu eam exigere , est aliquid transcendens. Secundò probatur illa minor : quia quilibet entitas , est quidditas cui debetur aliquod esse ; sed ultimæ differentia substantia , non debetur esse in alio : alioquin erit accidens : ergo debetur esse per se : ergo hæc ratio transcendit ultimas differentias : ac proinde , hæc ratio non constituit genus generalissimum substantia.

29 Respondetur concedendo maiorem , & negando minorem. Ad primam probationem , quidam Modernus negat consequentiam : nam ( inquit ) ratio disparitatis est clara : quia de ratione formali cuiuslibet differentia accidentis realis est tribuere aliquem effectum formalem subiecto : cum autem non tribuat subiecto talem effectum , nisi per inhaerentiam , necessarium est , quod de ratione formali illius sit petere inhaerentiam : ac per consequens , hæc exigentia transcendet differentias accidentis. At verò differentia substantia , qualis est *rationalis* , sufficienter constituitur in esse talis per exigentiam *rationationis* , quin villo modo

concipiatur expresse existentia , aut subsistentia : ergo non est cur exigentia existentia per se , dicatur transcendere differentias. Et quidem sicut hoc quod est exigere quantitatem , tribuitur prædicato corporis ; & exigere sensationem prædicato animalis , &c. quin vnum dicatur in alio imbibit ; non est cur exigentia existentia per se non debeat tribui alteri prædicato ab alijs distincto.

30 Caterum non solum non videtur mihi clara disparitas , sed nec apparens ( vel ego eam non percipio ) quod probatur primo : quia ex eo quod in re omnis effectus differentia accidentalis exercetur inhaerendo , solutio docet , quod exigentia inhaerentia transcendit differentias : sed in re nulla differentia substantialis exercetur nisi existendo per se , & subsistendo : ergo hæc exigentia transcendit ultimas differentias.

Secundò , in differentia substantiali , non solum debet concipi , id quod conuenit in quantum differentia talis , sed in quantum substantialis : sicut necesse est concipi differentiam accidentalem in quantum tale accidens ; & ideo est transcendentia : sed eo ipso quod concipiatur substantia , & hæc substantia , concipitur exigentia existentia per se , & subsistentia , & est repugnantia ut inhaereat in subiecto ut accidens : ergo hæc ratio transcendit ultimas differentias.

Tertiò , hic clare apparet , quod exempla solutionis non sunt ad rem , quia sunt de prædicatis spe-

tialibus; & argumentum procedebat de ratione communissima, & transcendentem: quia nulla quidditas est, cui non debeat esse in subiecto, vel non esse in subiecto; esse per se, vel esse in alio: ergo tantam transcendentiam dicit exigentia inherendi, ac exigentia per se essendi, & e contra.

31 Aliter (& ni fallor,) facillime respondetur, quod si loquamur de substantia ut distinguitur contra accidens, sic non est genus, sed aliquid analogum, & transcendens; & ideo predicatur de omni, quod non est accidens, de differentia, & alijs partibus; unde S. Thomas in 3. dist. 6. quæst. 1. artic. 1. ad 1. ait, quod substantia, secundum quod est genus, non proprie predicatur de parte: manus enim, si esset substantia, cum sit animata; esset animal: nihil enim est in genere quasi directe contentum sub ipso, nisi quod habet naturam aliquam complete: *tamen dicitur manus esse substantia, secundum quod substantia diuiditur contra accidens.* Sicut ergo accidens in communi est transcendens omne quod est distinctum à substantia, & est ens reale; ita substantia est transcendens omne quod non est accidens: & sic exigentia existentie per se, & non in alio, etiam transcendit ultimas differentias. Caterum substantia completa non transcendit ultimas differentias: quia illæ sunt entia incompleta, & solum reductiue sunt in genere; & quoad hoc, eadem est ratio de accidente completo: quia ut sic non transcendit

ultimas differentias: nam illæ etiam sunt metaphysice quid incompletum; & solum reductiue sunt in genere. Nec accidens completum est analogum titulo transcendentie; sed propter diuersitatem modorum essendi, ut questione precedenti dictum est. Accidens verò communissime sumptum, quod diuiditur contra substantiam, & comprehendit accidentia incompleta, & modalia, & ea quæ pertinent reductiue ad prædicamenta, & post prædicamenta, non solum est analogum, sed etiam transcendens.

32 Per quæ cessat secunda probatio minoris: quia illa probatur, quod substantia, ut distinguitur contra accidens, non sit genus, nec uniuoce dicatur, sed analogice; & quod transcendat ultimas differentias: quod totum concedimus in prima parte conclusionis. Sed in secunda parte assertionis (contra quam debebat argumentum procedere) non loquimur de substantia in illa communitate, & transcendentia; sed restricte, ut est quidditas completa, habens omnia requisita ut sit uniuersale, & genus, quod quidditatiue predicatur de suis inferioribus.



## QVÆSTIO X.

*De diuisione substantiæ in primã,  
& secundam.*

## §. I.

*Status questionis.*

**T**Ria principaliter de ista diuisione sunt exponenda. Primum, qualiter accipiantur, tam diuisum, quã membra diuidentia; an primo, an secundo intentionaliter; an pro aliquo conceptu essentiali substantiæ? an verò solum pro aliquibus modis, vel proprietatibus accidentalibus? Secundo consequenter tractandum est, de diuisionis huius qualitate, vtrum, videlicet, sit vniuoca, an vero analogã? vel solum subiecti in accidentia? Tandem oportet exponere vtriusque substantiæ definitiones, & ipsarum definitum.

2 Et quia subtilius, quam vtilius, multa hic dicuntur non necessaria; ideo eis omisissis; pro claritate primi puncti (ex quo reliquorũ resolutio pendet) notandam, quod vltra diuersas acceptiones substantiæ, de quibus dictum est questione nona, adhuc tripliciter potest accipi: primo pro ipsa quidditate, seu *natura directe ponibili in predicamento*, siue ponitur vt genus supremum, siue vt species infima, siue vt indiuiduũ, nihil horum determinando; sed solum vt significet naturam directe ponibilem in primo predicamento.

Secundo accipitur pro actu substantiali illius, nempe, pro *existentia per se*, seu subsistentia (in presenti non disputamus de horum distinctione: quia idè abunde præstabimus 3. p. Metaph. vbi est genuinus locus istius disputationis) ratione cuius fundat non esse in alio, & potius habet esse fundamentum omnium, & primum entium. Tertio accipitur pro reali quadam proprietate huius primi entis, nempe, quod *supponatur alijs*, & illò sustentet; & ideo est proprium substantiæ esse subiectum quod accidentium.

3 Præterea notandum, quod super hæc tria, quæ sunt aliquid reale, & pertinent ad logicum vt materia, seu vt prima intentio, super quam fundantur secundæ, solent fundari aliqua secundæ intentiones, nempe, intentio vniuersalium, generum, & specierum; & intentio *indiuiduali*, & *singularis*, quæ nomina in rigore esse secundæ intentionis, notat S. Thomas in 1. dist. 23. q. 1. artic. 3. quamuis nonnunquam pro eodem accipiantur, ac nomina primæ intentionis, quæ sunt, *res & materia, hypostasis, & persona*: de quo S. Thomas 1. p. q. 29. artic. 1. & videantur quæ diximus libro 1. initio quæstione 23. Solent etiam, & possunt fundari secundæ intentiones subiecti, & prædicati: quia secundæ substantiæ prædicantur de primis, & accidentia prædicantur de prima substantia. Ex quibus iam liquent combinationes possibiles, secundum quas accipi possunt tam diuisum, quam membra diuidentia.

§. II.

*Diuisionis sensus.*

4 **D**ico primo, diuisum huius diuisionis est aliquid vtri que membro commune, scilicet, substantia vt præuenit modos, & significat aliquid directe ponibile in prædicamento; non vero determinate genus generalissimum; nec in communi substantiam abstrahentem à completa, & incompleta. Prima pars est expressa S. Thomæ 1. p. quæst. 30. artic. 1. ad 2. & quæst. 9. de Potentia art. 2. ad 7. & 8. & lib. 1. sentent. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 7. & ibi ad Anib. solut. ad 3. Nec video qualiter negari possit, admittendo hanc esse vere, & proprie diuisionem: quia in omni bona diuisione diuisum est præter membra diuidentia, & aliquid ab illis abstrahens, & illis commune: ergo substantia est quid commune primæ; & secundæ neutram determinate dicens.

5 Secundam partem docet Caiet. initio huius capituli, dicens hic sumi substantiam pro re directe existente in linea recta prædicamenti substantiæ, non vt generis, aut speciei, aut individui rationem habet; sed absolute vt hæc omnia præuenit, & est res per se completa, & finita constans genere, & differentia, vel est genus: quia ad hæc omnia extenditur.

Quod autem non sit determinate genus generalissimum, patet: quia illud est vnum ex membris di-

uidentibus, nempe secunda substantia: diuisum autem est commune, quod participatur ab vtroque membro diuidente: ergo diuisum non est determinate substantia, vt est genus generalissimum.

Vltima pars manifesta est: quia tam substantia prima, quam secunda sunt substantiæ completæ, & directe ponuntur in prædicamento: ergo diuisum non est substantia in illa communitate, & transcendentia prædicamentalis.

6 Dico secundo: duobus modis potest explicari hæc diuisio, vel ita vt detur de ipso actu subsistendi, & proprietate substandi; ita vt faciat hunc sensum; substantia, quæ per se subsistit; alia primo substat accidentibus, id est, substantia individua, & singularis, quæ dicitur prima substantia; alia secundo substat, id est, substantia vniuersalis.

Ita colligitur ex Philosopho, qui in hoc capite comparisonem, & differentiam inter primam, & secundam substantiam, totam videtur ponere in hoc quod est primo, vel secundo substare. Et S. Thom. lib. 1. sententiarum distinct. 23. q. 1. art. 1. expresse docet, quod *substantia est, cuius actus est substare*. Et circa finem corporis artic. ait: *Et substantia secundum quod substat accidentibus, per prius conuenit individualis, quam generibus*. Et ad 3. ait, *dicens quod substantia dicitur in quantum substat accidenti, vel nature communi*. Et ipse S. Thomas 1. p. quæst. 29. art. 2. docet, quod *suppositum subsistens, secundum quod supponitur accidentibus, dicitur hypostasis, vel substantia*.

Latius idem prosequitur: S. Thomas quæst. 9. de Potentia articulo 1. ubi concludit: sic ergo substantia, quæ est subiectum, in quantum subsistit, dicitur oustiosis, vel subsistentia: in quantum vero substatur, dicitur hypostasis secundum Græcos, vel substantia prima secundum Latinos. Cum ergo vocabulorum usus, & diuisio nunc sensus, potissimum debeat accipi ex usu sapientium; præcipue eorum, qui primo diuisiones tradiderunt, & sic appellarunt; cum Philosophus, & Angelicus Doctor, sic diuisionem usurpent, non potest non sic accipi. Et ideo ibi in solutione ad 4. concludit; quod si aliqua substantia esset, quæ per se existeret; non tamen esset alicuius accidentis subiectum, possêt proprie dici subsistentia, non tamen substantia. Et author opusculi. 48. apud D. Thomam capitulo 3. sic explicuit hanc diuisionem.

7 Sed obijcies: cum aliqua diuisio dari potest per rationem essentialem, & primam, inconuenienter datur per proprietatem accidentalem, & secundariam; si primaria est cognita: sed in substantia prius est ratio quidditatiua cui debetur per se existere, & non in alio, quam accidentibus substare, ut ipse S. Thomas docet quæstione 9. de Potentia, & alijs locis relatis: ergo inconuenienter explicuit per proprietatem primo, vel secundo substandi.

Responderetur, quod ut notat S. Thomas Quodlibeto 1. articulo 4. ad 1. nihil prohibet aliquid esse

prius simpliciter; quod non est prius quantum ad hoc, seu in aliquo exercitio, seu munere: sicut corpus est simpliciter prius superficie, sed non quantum ad hoc quod est colorari: quia substantia non est capax coloris nisi media superficie. Ita quamuis in substantia simpliciter sit prius subsistere, quam substare; tamen quia coordinatio prædicamentorum est ad cognoscendum modos diuersos; quibus accidentia prædicantur de prima substantia; ideo formaliter, quoad usum prædicamentorum, diuisio est data de substantia, quoad munus substandi; quod in exercitio primo conuenit speciebus, & generibus.

8 Potest secundo explicari diuisio, ut diuisum sit ipsa quidditas substantiæ, in duos modos, vel proprietates, vel accidentia subsistendi particulariter, & vniuersaliter: & primus est modus, vel quid reale, quod suppositum addit supra naturam; alter vero sit status secundæ intentionis, cum natura dicitur vniuersalis, nempe, genus, & species. Hoc probat argumentum modo obiectum. Et vterque modus exponendi est satis clarus.

Et hic vltterius probatur: quia si commode fieri potest, diuisum debet esse aliquid per se pertinens ad prædicamentum substantiæ, & collocatum in recta linea: sed ut ostensum est in prima conclusione, hæc est ipsa essentia substantiæ; ergo hæc est diuisum in modos

des, seu proprietates substanci.  
Quod sumitur ex S. Boetio lib.  
de duabus naturis post initium, &  
ex D. Thom. quæst. 9. de Potentia,  
vt postea referendo eius verba  
constabit; & ex Beato Alberto trac-  
tatu 2. cap. 2. & est communis inter  
Thomistas, & alios Authores.

## §. III.

*Diuisionis qualitas.*

**D**ico tertio: diuisionis hæc, vel  
est subiecti in proprietates,  
seu accidentia; vel est analogi  
in diuersos modos. Ita Sanctus  
Thomas quæst. 9. de Potentia  
artic. 2. ad 6. vbi ait: cum diuidi-  
tur substantia in primam, & secun-  
dam, non est diuisionis generis in spe-  
cies; cum nihil contineatur sub se-  
cunda substantia, quod non sit in  
prima. Sed est diuisionis generis secun-  
dam diuersos modos essendi: nam  
secunda substantia significat natu-  
ram generis secundum se absolu-  
tam; prima vero substantia signi-  
ficat eam, vt indiuidualiter subsis-  
tentem. Vnde magis est diuisionis  
analogi, quam generis. Hæc ibi S.  
Thomas.

Vtraque pars satis patet ex dic-  
tis: quia iuxta priorem diuisionis  
explicationem, simpliciter esset pro-  
nunciata diuisionis analogi: quia est  
per modos diuersos essendi eidem  
essentiæ conuenientes, & sunt qua-  
si diuersi status eiusdem rei: & de  
istis proprietatibus, & modis sub-  
stantia dicitur analogice.

10 Sequendo vero secundam ex-  
positionem, quamuis videatur diuisionis

subiecti in sua accidentia: quia tamē  
accidentia ista sunt adeo diuersa,  
quod vnū est reale, aliud rationis,  
& potius sunt modi afficientes, id  
quod ponitur in recta linea primi  
prædicamenti: ideo cautissime lo-  
quutus est S. Thomas, ex vna parte  
non pronuncians simpliciter esse a-  
nalogam; & ex alia ita excludens  
esse diuisionem generis in species,  
quod potius, & magis dicenda sit  
diuisionis analogi.

11 Sed obijcies: quia quocum-  
que modo explicetur, non videtur  
hæc diuisionis esse exacta, & conue-  
niens: quia in omni bona diuisionis  
membra diuidentia debent esse op-  
posita, & vnum non potest de alio  
prædicari, vt patet: sed substantiæ  
secundæ vere prædicantur de pri-  
mis: ergo diuisionis non est recte asig-  
nata. Probat minor: nam hæc est  
essentialis, & formalis prædicatio:  
*Petrus est homo*: sed, *Petrus*, est prima  
substantia, & *homo*, est secunda sub-  
stantia: ergo secundæ substantiæ ve-  
re prædicantur de primis.

Dices: maiorem esse veram de  
oppositione in rationibus formali-  
bus, vt diximus lib. 2. Dialect. cap.  
4. n. 3. falsam tamen de oppositione  
& distinctione reali: quia non sem-  
per diuisionis datur per oppositas res:  
sed solum per oppositas rationes, vt  
docet S. Th. 1. p. q. 5. art. 6. ad 2. Li-  
cet autem materialiter res, quæ est  
substantia secunda, prædicetur de  
substantia prima; non tamen forma-  
liter verificatur, quod *substantia prima*  
*est substantia secunda*: vnde vnum mē-  
brum diuidens, formaliter vt tale,  
non prædicatur de alio.

12 Sed contra hoc est, primo; quod Philosophus in hoc capite docet secundam substantiam prædicari de prima nomine, & ratione; quod est prædicari uniuoce, quidditative, & formaliter.

Secundo: licet accidentia, & conditiones ut aliquid sit prima, & secunda substantia, ad inuicem non prædicentur; ipsa tamen res est eadem formaliter substantia prima, & secunda, loquendo prime intentionaliter: quia indiuiduum à specie, & genere non differt ante operationem intellectus: sed à nobis hæc diuisio exponitur primo intentionaliter: ergo non datur per rationes oppositas primo intentionaliter; quod exigebatur ut diuisio esset exacta.

13 Isto, & similibus argumentis quidam permoti, dixerunt hanc non esse proprie diuisionem, sed solum dicere ordinem partium ipsius substantiæ; sicut si quis numeraret discumbentes in conuiuio, quod vnus sit primus alius secundus. Ita tribuitur Ammonio, & Villalpando hic. Et ex parte id approbat Didacus à Iesu disp. 12. quæst. 4. dicens, hanc non esse diuisionem rigorosam, & propriam: quia est per participationem vnus membri diuidentis ab alio; & sicut distinctio includentis, & inclusi: prima enim substantia includit secundam, & aliquid aliud, nempe subsistere primario, & imparticipabiliter à secunda, secunda vero subsistere per participationem.

14 Hanc tamen euasione præclusimus autoritatibus, & ratio-

ne primæ conclusionis; & ideo aliter respondetur, quod ponendo esse diuisionem subiecti in accidentia, debet subiectum esse commune, & sola oppositio debet esse inter ipsa accidentia: cum autem subiectum sit ipsa quidditas substantiæ, hæc non debet partiri, nec opponi: sed modi ipsi subsistendi primo, vel secundo satis inter se opponuntur, siue sint accidentia realia, siue rationis, siue vnum reale, & alterum rationis. Tenendo autem diuisionem esse analogam bene potest diuisum esse vnum, & propter diuersos modos illius dari illius diuisionem: sicut bonum diuiditur in honestum, vtile, & delectabile, quæ coincidunt in eodem ente. Vnde potest ipsa res, quæ est secunda substantia, quidditative prædicari de substantia prima; & tamen diuisio est exacta; sed analogica: quia datur per modos diuersos, quamuis essentia sit eadem.

15 Sed instabis: nam iuxta istam solutionem, & primam conclusionem, diuisum est; aliquid commune secundæ substantiæ, & primæ: ergo est aliqua substantia, non singularis, sed vniuersalis: ergo est secunda substantia: nam secunda substantia est genus: ergo diuisum coincidit cum vno membrorum diuidentium. Quod videtur docuisse S. Thomas verbis relatis in tertia conclusione dicens, quod est *diuisio generis in modos*: & ita diuisum est substantia secunda, quæ est genus; contra id quod diximus in prima conclusione.

Propter hoc argumentum M  
Soc

Soto quaest. 1. ad 1. concedit, quod prima, & secunda substantia non habent aliquam rationem, & intentionem communem; & ideo Aristoteles non expressit diuisum huius diuisionis, sed solum expressit membra diuidentia.

Quia tamen hoc non consonat D. Thomæ locis relatis in prima conclusione: nec videtur verum, quia eo ipso quod sunt membra diuidentia, est aliqua ratio communis: alioquin nihil diuidunt, sed solum sunt duo entia ad inuicem opposita sub nullo diuidente contenta, & facientia vnum per accidens.

16 Id circo aliter dicitur, quod id quod est commune per modum subiecti, vel communitate analogiæ, non est commune vt verum genus: quia diuisio generis cõdistinguitur a diuisione analogi, cū genus sit vniuocum; & a diuisione subiecti in accidentia; cū genus quidditatiue prædicetur; & ideo illa vniuersalis substantiæ, quæ est communis primæ, & secundæ, & præuenit vtramque; non sufficit ad rationem generis, nec ad constituendam secundam substantiam: & ideo non appellatur a D. Thoma simpliciter genus, sed accipit *genus* pro subiecto; & expresse dicit; quod *magis est diuisio analogi, quam generis.*

17 Demum aduerte, quod non attendendo ad authoritatem eorum, qui primitus diuisionem tradiderunt, etiam posset exponi diuisio secundo intentionaliter in subiectum, & prædicatum, vt exposuit Mag. Soto ad 1. & Mag. Araujo lib. 5. Metaph. quaest. 2. art. 2. con-

clus. 3. vel in subiectum singulare & vniuersale, aut in ponibile in prædicamento vt genus, vel vt speciem, & indiuiduum, vt late, & subtiliter P. Didacus à Iesu dicta q. 4. conclus. 3. & 4. Quia tamen nihil horum est de mente Philosophi, & S. Thomæ, & suo modo habet locum in alijs nouem generibus; ideo in hoc non oportet immorari. Sed veniamus iam ad tertium, quod explicandum promissimus.

## §. III.

*De definito, & definitionibus primæ, & secundæ substantiæ,*

18 **C**irca definitam Mag. Soto quaest. 1. ad 2. opinatur definiiri hic secundam intentionem; quamuis supponat *substantia* pro natura; sicut *genus* significat secundam intentionem, & supponit pro natura; iuxta dicta lib. 1. quaest. 18. Eandem sententiam sequitur Didacus à Iesu disp. 12. quaest. 5. & Sanchez lib. 5. quaest. 8. conclus. 4. Meruero hic quaest. 3. Probat Soto, quia definiuntur hic substantia ea ratione, quæ substat in prædicatione vniuersis prædicationis cuiuscumque prædicamenti: & quemadmodum, *dicit de subiecto*, connotat secundam intentionem; ita & esse subiectum. Deinde: quia prima substantia conuidentur contra secundam substantiam: sed secunda substantia dicitur secundam intentionem: ergo, & prima substantia.

Alii arguunt: nam illa particula, *neque de subiecto aliquo dicitur*, cū sit negatiua, explicat oppositum formæ, quam negat: quod constat esse quid rationis: quia secunda intentioni opponitur aliquid rationis: cum opposita sint eiusdem generis: ergo, & definitur secunda intentio.

19 Dicendum tamen est, hic directe definiiri aliquid reale, seu primam intentionem; licet ex consequenti, quia in illa potest fundari secunda intentio, ista per suum fundamentum innotescat. Ita docet Caietanus dubio 3. Rubio quæst. 5. & M. Ioan. à S. Thoma q. 15. artic. 3. & aperte colligitur ex D. Thoma 1. p. q. 29. art. 1. in cor. & ad 1. & 3. & art. 2. & q. 9. de Potentia art. 1. & in 1. dist. 23. art. 1. & 3. vbi duæ rationes indicantur.

Sit prima: definitum est significatum de *ly substantia*: sed substantia est terminus primæ intentionis, vt ex Patribus, Theologis, & Philosophis patet: ergo definitur prima intentio.

Secundo probatur: illud quod in toto genere substantiæ significant, *res natura, subsistentia, & ly ostensiu*, significat *ly persona* in genere rationalium substantiarum, vt docet S. Th. locis relatis, & ex vsu vocabulorū constat: sed cum S. Boetius definit personam, quod est *rationalis natura indiuidua substantiæ*; vel secundum Ricardum, *incommunicabilis existentia*: definitur aliquid reale: ergo pariter in definitione primæ, & secunde substantiæ directe definitur aliquid reale.

20 Tertio probatur: communiter Logici reputant in libro prædicamentorum tractari directe de primis intentionibus, quæ sunt materia secundarum, & de naturis ponibilibus directe in linea recta prædicamentali: sed iam diximus q. 6. n. 3. quod in prædicamento non ponuntur nisi entia realia: ergo aliquid reale directe hic definitur.

Et per hoc patet, quod est dispar ratio de definitione generis: nam hoc formaliter significat secundam intentionem, quæ est forma Logica; substantia vero directe significat primam intentionem, quæ solū est pars materialis, seu subiectum secundarum intentionum. Et hæc ratione tractatur hic de subiecto prædicatorum. ¶ Et pariter dicitur de secundis substantiis: nam prout hic de illis tractatur, sunt species, & genera primo intentionaliter: quia sic quidditative prædicantur de primis: cum secundo intentionaliter falsum sit, quod indiuidua sunt genera, & species, iuxta dicta lib. 1. q. 15. n. 4. per quæ responsum est duobus primis argumentis.

21 Ad vltimum dici potest, quod in ente reali potest esse negatio entis rationis: & hæc negatio ibi inclusa, directe opponetur cum ente rationis. ¶ Præterquam quod, dici potest, isto, & alijs argumentis solum probari secundam partem nostræ conclusionis. Quæ traditur à D. Thoma lib. 7. Metaph. lect. 13. littera c. dicente, quod Logici *considerat substantias prout secundum acceptionem intellectus sub sunt intentioni vniuersalitatis.*

Tertio dici potest ex D. Thoma 2. 2. quæst. 29. artic. 1. ad 3. quod quia substantiales differentiae non sunt nobis nota, vel etiam nominata non sunt; oportet interdum vti differentiis accidentalibus, loco substantialium: & similiter nomina intentionum possunt accipi ad definiendam res, secundum quod accipiuntur pro aliquibus nominibus rerum, quæ non sunt posita: & sic negationes, & secundæ intentiones possunt intrare definitionem primæ, & secundæ substantiæ; sicut *individuum* (quod est nomen intentionis) ponitur in definitione personæ.

22 Circa definitiones aduerte, quod Mag. Iauellus hic arbitratur quod verba Philosophi duas continent definitiones primæ substantiæ, quarum prima clauditur illis ad verbis: *quæ proprie primo, & maxime dicitur*; & alia continetur in subsequentibus. Melius tamen reliqui expositores dicunt, illa verba non continere definitionem, sed esse encomia declarantia dignitatem primæ substantiæ. Ex quibus etiam liquet, quod loquimur de substantia realiter vt supra diximus.

23 Secundo aduerte cum Caietano, quod doctrina, quæ libro 1. q. 18. data est de modo definiendi accidentia in concreto, hic est proportionaliter applicanda: quia substantia est subtractum, de quo ex modo significandi verificatur definitio vt *quod*; & modus, seu forma, cui conuenit vt *quæ*: quam duæ acceptiones substantiæ, habemus in D. Thoma in 1. dist. 23. artic. 1. 1. & dist. 25. art. 1. ad 3.

Qualiter autem substantia particularis possit defini? Explicemus lib. 1. quæst. 23.

Reliqua, quæ hic desiderari possunt, videantur apud Sanchez lib. 5. quæstione. 7. & 10. & apud alios.

## QVÆSTIO XI.

*Quæ substantiæ in hoc predicamento collocentur?*

1 **R**emitter ab hac quæstione nos expediemus, quia quæ ad Logicos attinent, ex quæst. 6. satis patent; & quæ super sunt dubia, Theologica sunt, vel Metaphysica; & ideo breuiter hic resoluenda.

### §. I.

*Inquiritur, ergo primo, Vtrum Deus ponatur in predicamento?*

2 **A**ffirmant Gregorius, & Gabriel in 1. distinct. 8. & ibi alij Nominales: quia hoc nomen *substantiæ* vniuoce, & quidditative predicatur de illo, & de nobis: ergo Deus ponitur in predicamento, tanquam *individuum* predicamenti substantiæ. Sequuntur idem Hieronimus disp. 9. Metaph. sect. 4. & Anselmus disp. 3. sect. 2. & alij, moti argumentis parui momenti.

3 Dicendum tamen est, Deum non poni in predicamento, neque vt specie, neque vt *individuum*. Est communis consensus SS. PP. quorum

verba refert Didacus à Iesu disput. 12. q. 2. vbi & ex Iustiniانو refert: *angusta est domus pradicamenti, quae tantum hospitem capiat.* Communis fuit antiquorum Philosophorum, vt cantant P. Rubio hic q. 2. & videantur PP. Conimb. hic quaest. 1. Magno consensu idem approbant Theologicum Magistro in 1. distinct. 8. vbi Beatus Albertus, S. Bonaventura, Scotus, Durandus, & alij. Docet ex professo S. Thomas. 1. p. q. 3. artic. 5. vbi communiter Expositores.

4 Sed respondent P. Arriaga, & alij Recentiores, quaestionem hanc esse de modo loquendi; & ideo parum referre, sic vel aliter opinari; & ideo potius standum rationi, quam authoritati.

Ego vero contrarium ex dicta praemissa inferem: quia de Deo magno vincente nostrae rationis caliginem, potius loquerer, vt loquuti sunt Sancti eius amici, vt creditur, ab ipso illuminati; & tantis PP. de fertis, vnum, vel alterum Nominalium ab Scholis exulantem, non auderem sine rubore in eas inducere: ne mihi obijceretur illud Sancti Patiani Epistola 1. *Et nostram patius authoritatem Patres sequentur? Et emendanda Sanctorum cetera antiquitas?*

Deinde, omnes quaestiones de isto, & reliquis praedicamenti possumus facere de voce, & sic septimam Nominalium sectam iterum extumulare; quia non est ratio maior huius, quam aliarum quaestionum.

S. Augustinus alibi saepe, sed praecipue tomo 9. lib. *de cognitione veteris*, capite 3. ita ait: *nomine, & vere*

*bo cuncta exprimentur, quae sub decem praedicamenti humano corde concipiuntur. Sed quod ex his nullum proprie Deo conueniat, manifeste ratio comprobat.* E diametro ergo opponitur Arriaga Diuo Augustino, quia ille pronunciat, *nullam adduci rationem, quae excludatur Deus à praedicamento, & per oppositum S. Augustinus dicit, quod manifeste ratio comprobat.* Videatur 7. de Trinitate cap. 5. & 8. de Ciuitate Dei cap. 11. & S. Anselmus in Monologio cap. 26.

Rationibus quatuor S. Thomas lib. 1. contrag. cap. 25. suam conclusionem stabilivit, quibus Recentiores non responderunt: & pro se fere nihil recitatione dignum attulerunt: vnde non est cur tantum sibi plaudant, quod authoritatem contempnunt, ne rationem paruipendant.

5 Pro capiti Logicorum sufficit ratio S. Th. q. 3. 1. p. ad 1. substantia praedicamentalis est quidditas, cui debetur esse per se: sed Deus non est quidditas cui debeat esse per se: ergo non conuenit vniocum substantia praedicamentali: ergo non continetur sub genere. Probat minor: Deus est ipsum esse per se subsistens, & esse est de eius essentia: ergo non est quidditas cui debeat esse per se.

6 Secundo probatur: omne quod est in genere, vt species, vel indiuiduum; componitur est genere, & differentia: quia est sub genere, & per differentiam specialem, & indiuidualem, contrahitur ad speciem, & indiuiduum: sed Deus non componitur ex genere, & differentia:

ergo non ponitur Deus in prædicamento. Probatum minor quia quod aliquid est magis simplex, minus admittit compositionis: ergo quod est omnino simplex, nullam admittit compositionem. Sed Deus est *omnino simplex*, ut definitur in capite *secundæ*, de Summa Trinitate, & fide catholica: ergo non componitur ex genere, & differentia. Videatur S. Thomas q. 7. de Potentia artic. 3.

7 Sed obijcit P. Vazquez 1. p. disp. 22. cap. 3. n. 4. nam compositio metaphysica generis, & differentie est solum per rationem nostram: ergo talis compositio non repugnat diuine simplicitati. Antecedens esse verum, & de mente S. Thomæ, diximus libro 1. quest. 13. §. 5. Consequentia verò probatur: quia non obstante diuina simplicitate distinguimus diuina attributa ratione nostra, quæ in re non sunt distincta: ergo pariter, licet in re Deus sit simplex, potest ratione nostra cogitari ut compositus ex genere, & differentia.

Respondebis, compositionem metaphysicam esse per rationem nostram; sed cum fundamento in re: hoc autem fundamentum non reperitur in Deo: quia tantum in illo differunt penes implicitum, & explicitum; non verò quia vnum prædicatum sit in potentia ad aliud per quod contrahitur; sicut genus contrahitur per differentias.

8 Sed contra hoc est primo: nã communiter Theologi cum D. Thoma 1. p. quest. 28, art. 2. & in

1. dist. 33. quest. 1. art. 1. ad 5. docent attributa, & relationes distinguui à diuina essentia ratione ratiocinata, & cum fundamento in re: ergo pariter in Deo potest esse compositio rationis cum fundamento in re: quia qualiter distinguuntur, taliter possunt adunari, & componere

Secundò: non potest melius fundamentum ad compositionem metaphysicam excogitari, quàm id quod sufficit ad obiectiuam præcisionem, ut patuit libro 1. quest. 13. §. 6. sed in Deo dantur obiectiuæ præcisiones inter aliqua prædicata, ut ex mente S. Thomæ, & plurimum Thomistarum, docuimus 1. p. Merap. Controu. 10. art. 7. conclus. 2. ergo in Deo est fundamentum compositionis metaphysicæ.

9 Respondetur, quod compositio metaphysica proxime fit à ratione, sed pro fundamento exigit, vel realem distinctionem radicis, à qua sumitur, ut docet S. Thomas quest. 3. de Veritate artic. 2. ad 3. quia genus sumitur à materia, & differentia à formâ in corporalibus; & in Angelis ab illo, quod se habet ut potentiale, & determinabile sumitur genus, & differentia ab illo, quod se habet ut actus determinans: quod repugnat Deo, qui est purissimus actus.

Vnde ad primam replicam dicitur, quod distinctio rationis ratiocinate, est duplex; vna ortâ ex potentialitate, vel distinctione connotata; & hæc sufficit ad metaphysicam compositionem: sed Deo repugnat, qui est purus actus. Alia est

est distinctio rationis ratiocinatæ orta ex eminentia vnitatis : & hæc non sufficit ad compositionem metaphysicam, sed potius maxime commendat diuinam simplicitatem, vt docet S. Thomas 1. p. q. 13. artic. 4. ad 3. & in 1. dist. 2. quæst. 1. artic. 2. ad 1.

10 Ad secundam replicam dicitur, quod præcisio obiectiua, est duplex : alia perfecta, & respectu illius qui cognoscit in obiecto potentialitatem, & quod vnus gradus est in potentia ad alium : & hæc est in ratione generica respectu differentiarum : alia est obiectiua præcisio imperfecta, nempe, rei, quæ obiectiue transcendit omnia : & sic est obiectiua præcisio, quæ est in Deo ; qui obiectiue est vnius rationis formalis : & ideo non admittit, nec metaphysicam compositionem.

## §. II.

### *Duo alia dubia solvuntur.*

11 **S**ecundò dubitatur, vtrum Christus ponatur in prædicamento?

Respondetur affirmatiue, quia in Christo Domino, & est natura humana, & est persona verbi; hæc non est in prædicamento; secus verò humana natura: quæ est eiusdem speciei cum nostra; & hoc sufficit vt absolute dicatur esse in prædicamento: quia vt ait S. Thomas 3. parte quæst. 2. artic. 3. ad 3. res ponuntur in genere, vel specie ratione naturæ, quæ secundum formam determinatur, De quo S.

Thomas libro 4. contragen. capit. 37. & lib. 3. sent. distinct. 7. quæst. 1. artic. 1. & sic imperfectio, & compositio est in natura humana, non in persona Verbi.

12 Sed obiicies primo: nam Christus est verus Deus: ergo si Christus ponitur in prædicamento, sequitur quod Deus ponatur in prædicamento.

Respondetur negando consequentiam, quia variatur appellatio: nam poni in prædicamento conuenit ratione naturæ; & ideo totum quod est compositionis, est in natura humana, & non in persona Verbi, simpliciter loquendo: quamuis secundum quid non inconueniat, quod ratione humanæ naturæ, Verbum Dei sit in prædicamento. Vnde S. Thomas in 3. dist. 6. quæst. 1. artic. 1. ad 2. ait: quod hypostasis Verbi, quamuis non sit in genere substantiæ simpliciter, in quantum est hypostasis Verbi; tamen in quantum est hypostasis humanæ naturæ, est in genere substantiæ, sicut in specie hominis: non enim hypostasis ordinatur ad genus, vel speciem, nisi per naturam, quam habet. De quo late M. Araujo lib. 5. Metaph. quæst. 2. artic. 4. & PP. Carmel. disp. 12. q. 4.

13 Hinc nascitur tertium dubium; vtrum Deus sit in aliquo prædicamento, saltem reductiue?

Ratio dubitandi est duplex. Prima ex D. Thoma, qui quæst. 9. de Potentia artic. 3. ad 2. ait, quod licet Deus non sit in genere substantiæ in quâ species pertinet tamen ad genus substantiæ sicut generis principium. Et expres-

se quæst. 7. de Potentia artic. 3. ad 7. dicit: *potest tamen dici, quod sit in genere substantia per reductionem, sicut principium, & sicut punctum est in genere quantitatis continua, & unus in genere numeri.* Ergo ex mente S. Thomæ, Deus est in prædicamento substantiæ reductiue.

Secunda ratio dubitandi est, quia conuincitur Fonseca, apud Rubio hic quæst. 2. quia saltim videtur, quod Deus possit reductiue collocari in prædicamento, quæ extrinsecam denominationem continent: vt in prædicamento, vbi; quia Deus est vbiq; & in prædicamento actionis; quia omnia causat; & sic de alijs.

14 Responderetur, quod proprie loquendo, Deus non est in genere reductiue, vt expresse docet S. Thomas 1. p. quæst. 3. artic. 5. & multis alijs locis relatis à Bergomeni dubio 464. quia hoc imperfectionem sonat. Large tamen loquendo & minus proprie; quia de Deo loquimur vocibus ex creaturis acceptis, Deus dicitur substantia, & aqualiter ad eam reduci. Vel melius dicitur cum D. Thoma in 1. dist. 8. quæst. 4. artic. 2. ad 3. quod *non oportet, quod Deus sit in genere substantiæ, sicut contentum; sed solum sicut principium habens in se omnem perfectionem generis.* Et hac via auctoritates concordant Caietanus 1. p. quæstione 3. artic. 5. & frequenter Thomista.

15 Ad secundum videndus omnino S. Thomas dist. 8. vbi supra toto artic. 3. vbi disputat, qualiter alia prædicamenta de Deo dicantur?

nunc sufficiant verba D. Augustini libro 5. de Trinitate cap. 1. circa finem, quæ partim adducuntur à D. Thoma q. 7. de Potentia art. 4. ad 2. *intelligamus. Deum. (si possumus) quantum possumus, sine qualitate, bonum; sine quantitate, te, magnum; sine indigentia, creator; sine situ, presentem; sine habitu, omnia continentem; sine loto, vbiq; totum; sine tempore, sempiternum; sine vlla sui mutatione, mutabilia facientem; nihilque patientem.* Hæc ibi. Illæ ergo denominationes prædicamentales analogice dicuntur de Deo, & creaturis. Et pariter, quamuis in Deo sit proprie substantia, & relatio; tamen est supra omnem substantiam, & relationem creatam; & ideo non est in eodem genere cum illis.

16 De Angelis verò, certum est collocari directe in hoc prædicamento: quia sunt compositi ex genere, & differentia, vt docet S. Thomas 1. parte quæstione 50. artic. 2. ad 1. & licet in eis non sit compositio formæ, & materiæ; est compositio ex actu, & potentia; non solum physica, quia componuntur *ex quo est, & quod est*, vt ibi ait ad 2. sed metaphysice, propter indeterminationem generis, & potentialitatem; & determinationem differentia. ¶ De corporibus verò Cælestibus perspicuum est in hoc prædicamento constitui: quia non solum sunt composita ex genere, & differentia; sed ex materia, & forma.

17 Sed obijcies Philosophum 10. Metaph. textu 26. dicentem, quod *neceffe est corruptibile, & incorruptibile genere esse diuersa, &* quod

quod *æquiuoce* conueniunt: ergo nõ sunt in eodem predicamento cœlestia incorruptibilia, ac terrestria corruptibilia.

Respondetur, ex D. Thoma 10. Metaph. lect. 12. in fine, quod Philosophus loquitur de genere physico: nam corruptibile, & incorruptibile non potest esse materia vna: genus autem, physice loquendo, à materia sumitur: vnde ea, quæ non communicant in materia, sunt genere diuersa. Logice autem loquendo, nihil prohibet, quod conueniant in genere, in quantum conueniant in vna communi ratione, vel substantiæ, vel qualitatis, vel alicuius huiusmodi. Idem docet S. Thomas in 2. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. ad 2. & habetur opusc. 42. apud D. Thomam cap. 6. recollantur supra dicta quæst. 3. num. 4.

### §. III.

*Arbor prædicamenti substantiæ.*

18 **E**X dictis potest deduci arbor, seu coordinatio prædicamenti substantiæ. In qua supremum genus est substantia, finita, & completa; quia substantia infinita est supra genera, & substantia incompleta, non ponitur directe in genere: vnde ait S. Thomas in 2. dist. 37. quæst. 1. artic. 1. cor. quod tantum compositum est in genere substantiæ: quia materia, & forma solum suat in genere reductiue, vt principia, vt ait S. Thomas in 2. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. ad 1. & nihil est directe in genere substantiæ, nisi

habens complete aliquam naturam; vt dicit S. Thomas in 2. dist. 6. q. 1. artic. 1. q. 1. ad 1. & habetur opusc. 42. cap. 4.

19 Diuiditur substantia in spirituales, & corporales. Spirituales diuiditur in varias species Angelorum. Substantia corporea diuiditur incorruptibilem, & in corruptibilem, siue Cœlestem, & sublunarem; quia corpus aliud est alterabile, aliud inalterabile: de qua diuisione videatur opusc. 42. apud D. Thomam cap. 14. Corpus incorruptibile diuiditur in varias species Cœlorum, & Planetarum. Corpus generabile diuiditur per compositum, & simplex. Mixtum diuiditur in animatum, & inanimatum. Diuiditur viuens per sensibile, & insensibile; & animal, quod est viuens sensibile, diuiditur in rationale, & irrationale, vt ibi explicatur c. 18. Irrationale diuiditur in varias species brutorum; & animal rationale, quod est homo, multiplicatur in indiuidua.

## QVÆSTIO XII.

*De proprietatibus substantiæ assignatis à Philosopho.*

1 **I**N Compendio textus reuelamus sex proprietates substantiæ ex Aristote. Quia tamen duæ priores satis sunt expositiuæ quæst. 1. & 2. huius libri, circa reliquas oportet aliquid, vel breuiter dicere.

§. I.

*Exponuntur tertia, & quarta proprietates.*

2 **C**irca tertiam est difficultas: nam secundæ substantiæ significant substantialia, & quidditatiua prædicata, & nomine substantiuo: ergo omnino prædicantur *in quid*. Deinde: secundæ substantiæ sunt genera, & species, vt ait Aristoteles: sed genera, & species prædicantur *in quid*, secundum Porphyrium: ergo falsum est, quod secundæ substantiæ significant *quale quid*.

3 Respondetur, quod vt docet S. Thomas 1. p. q. 13. artic. 12. *prædicata tenentur formaliter, & subiecta materialiter*: quod explicat 3. p. q. 16. artis. 7. ad 4. quia terminus in subiecto positus tenetur materialiter, id est, *pro supposito*; positus vero in prædicato, tenetur formaliter, id est, *pro natura significata*. Cum igitur prime substantiæ sint supposita, & hypotases, & significetur vt subiecta; & secundæ substantiæ significetur vt prædicata, quia prædicatur de primis; ideo habent significari vt qualificatiua primarum; non qualitate accidentali, sed qualitate substantiali, vt docet S. Thomas libro 7. Metaph. lect. 13. littera e. & ipse S. Thomas lib. 1. Physicorū lect. 11. littera b. notat, ibi Philosophū vt prædicato pro accidente, quia prædicatum designat formā subiecti, & ab antiquis non agnoscebantur aliæ formæ, quam accidentales. Et ideo alio modo accipitur hic prædicari

*in quale, ac accipiatur in prædicabilibus.*

Alia solutio elicitur ex Authore opusc. 42. apud D. Thomam cap. 7. & 9. quam sequitur Caietanus; qui late exponit aliam solutionem B. Alberti tract. 7. Prædicamentorum cap. 8. quam uis eam non approbet: sed in neutra possunt detineri. Qui uoluerit, potest aliam solutione legere apud Rubio q. 5. dub. 2. quam examinare non vacat.

4 Circa quartam, nempe, quod *substantia nihil est contrarium*, etiā est difficultas: quia ignis manifeste apparet contrarius aquæ. Et deinde; quia Philosophus in 1. de Cælo probat, quod Cælum non est corruptibile, quia non habet contrarium: ergo alia corpora, quæ sunt corruptibilia, contrarium habent.

Respondet S. Thomas lib. 11. Metaphysicæ lectione 12. littera b. quod forma substantialis, secundū quod in se consideratur, constituit speciem in genere substantiæ: secundum autem, quod vna forma habet sibi intellectam priuationem alterius formæ; sic diuersæ formæ sunt contrariarum differentiarum principia: nam priuatio quodammodo contrarium est: & per hunc modum opponuntur animatum, & inanimatum; rationale, & irrationale, & huiusmodi.

5 Sed quia ex ista doctrina videtur augeri proposita difficultas; ideo vt penitus dissoluatur, addendum ex eodem D. Thoma libro 5. Physicorum lectione 3. littera b. quod contrarietas dupliciter sumitur, vno modo, *secundum propriam*

rationem, quæ definietur in post prædicamentis, ubi dicitur, quod contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt: alio modo accipitur contrarietas communiter, pro oppositione secundum excellentiam, & defectum. Et ista vocatur à Caietano in expositione huius capituli, *contrarietas metaphysica*, alia verò *contrarietas physica*. Loquendo ergo de contrarietate communiter, in substantijs est contrarietas: quia ut dicitur in 10. Metaph. textu 23. omne genus diuiditur per contrarias differentias: quia differentiam vna est ut abundans, & alia ut deficiens respectu alterius; & ideo 8. Metaph. ait Philosophus, quod definitiones rerum sunt sicuti numeri, quorum species variantur per additionem, & subtractionem unitatis. Sed Philosophus hic loquitur de contrarietate strictè sumpta: & sic absque dubio proprietas verificatur: quia commune est omni substantiæ in subiecto non esse. Et sic cessant argumenta: quia differentie sunt contrariæ metaphysice; & physice non sunt in subiecto; nec forma, & priuatio sunt in eodem genere.

## §. II.

*Declaratur quinta, & sexta.*

*proprietas.*

**V**T quæ obijciuntur contra quintam proprietatem diluantur, notandum (id quod indicat Philosophus) quod non est idem quod vna substantia sit perfectior alia; ac

quod suscipiat magis, & minus: ad primum enim sufficit, quod eadem indiuisibilis essentia habeat esse perfectius in vno, quam in alio, vel inæqualiter participetur: at verò ut suscipiat magis, & minus, aut dicatur intendi, & remitti, necessarium est, quod in ipsa essentia sit latitudo gradualis, ratione cuius possit intendi, vel minui. Cuius causæ assignantur à D. Thoma 1. 2. quæst. 52. artic. 1. & habentur opulc. 48. tractatu 2. capit. 4. per totum: quod quia pertinet ad libros de Generatione; ideo nunc per transeundum. Quod igitur substantia non suscipiat magis, & minus, manifestum est: quia substantia non perficitur secundum essentiam; quamuis vna substantia sit perfectior alia.

7 Circa vltimam proprietatem notant Caietanus in fine capituli, & Soto quæst. 2. ad vltimum, quod suscipere contraria, stat dupliciter: vno modo tanquam subiectum quod: & hoc conuenit quantitati: nam illa mediante, alia accidentia corporalia recipiuntur in subiecto: alio modo tanquam subiectum quod: & hoc est proprium substantiæ. Quam doctrinam late declarant PP. Carmelitani hic disp. 12. q. 5. 2. num. 41. vsque 46. sed quia est metaphysica, vide quæ scripti 2. p. Controu. 3. art. 4.

8 Solum est difficultas, an conueniat hæc proprietas secundis substantijs?

Respondet Rubio quæst. 5. dub. 4. num. 62. quod in eo sensu, in quo loquitur est Philosophus, solis primis sub-

substantijs conuenit hæc proprie-  
tas; secūdis verò nullo modo: quia  
loquitur de substantia, quæ est vna  
numero. quod non conuenit secun-  
dis substantijs. Nec habent rationē  
generum, & specierum, prout sunt  
vnum numero. Absolute tamē pos-  
set esse proprietates omnibus conue-  
niens; licet per se primo, & ratione  
sui, conueniat primis substantijs,  
& alijs non nisi ratione primarum.

9 Adhuc tamen de mente Phi-  
losophi B. Albertus, Simplicius, &  
Caietanus, & frequenter exposito-  
res, de omni substantia propieta-  
tem intelligunt: quia non dixit Phi-  
losophus proprium esse illius sub-  
stantiæ, quæ est vna numero, prout  
est vna numero, &c. sed quod *pro-  
prium est substantiæ, quod cum vnani-  
mero sit, sit susceptiua contrariorum,*  
hoc est, seruata vnitatis numerica:  
ad quod sufficit identificatio secun-  
dæ substantiæ cum prima. Et aptitu-  
do ad recipienda contraria, est pro-  
prietates substantiæ; licet exercitium  
recipiendi sit accidens commune.

10 Circa omnes istas propieta-  
tes incommuni, inquit Sanchez  
lib. 5. quæst. 12. quomodo à substan-  
tia distinguantur?

Et respondet, quod non distin-  
guuntur ab illa, nisi ex modo signi-  
ficandi, sicut passionēs entis ab en-  
te differunt: quia substantia eo ipso  
quod est per se, est susceptiua con-  
trariorum sine alia formalitate su-  
peraddita. ¶ Quod expresse habe-  
tur opusculo 48. apud D. Thomam  
tractatu 2. cap. 1. nam dicitur: sub-  
stantia, secundum quod est subjectū  
accidentium, significatur per mo-

dum substantiæ, quia substantia di-  
citur à substando: secundum autem  
quod à nullo priori dependet, cui  
innititur, significatur vt ens per se:  
& isti modi sunt id ipsam, quod sub-  
stantia, differentes solatatione ani-  
mæ concipientis ipsam secundum  
diuersas habitudines: quæ ratio nō  
est ficta, sed accipitur à re; ita enim  
in re est: nam & substantia substat  
accidentibus, & nulli innititur. Ta-  
men istæ nō sunt duæ res distinctæ;  
sed distinctio inter ista solum est ex  
ratione: vnde tales modi sunt ens  
reale, scilicet substantia, quæ, & sub-  
stat accidentibus, & nulli innititur:  
distinctio tamen eorum est à ratio-  
ne. Hæc ibi. Quæ si notentur, plu-  
ra præoccupantur, quæ possent ob-  
ijci argumenta.

### QVÆSTIO XIII.

*Vtrum substantia corporea antese-  
denter ad quantitatem ha-  
beat partes substantia-  
liter diuisibiles?*

1 **T**Am in libro Prædicamento-  
rum, quam lib. 5. Metaph. le-  
ctione 15. Philosophus quantitati  
dedit primū locū, post substantiam:  
quia vt ait S. Th. 3. p. q. 77. artic. 2.  
*Prima dispositio materie est quantitas  
dimensiuæ: vnde, & Philosophus posuit pri-  
mas differentias materie magnam, &  
parvam, vt refert Philosophus 1.  
Metaphys. textu 6. & 7. & ideo  
inter accidentia omnia primo tra-  
ctamus de quantitate: nam quan-  
titas propinqua est substantiæ, vt di-*

cit S. Thomas 1. 2. q. 52. artic. 1. In confinio autem substantiæ, & quantitatis hanc proponimus questionem, vt melius innotescat, quid habet substantia in suo genere, & linea, & quid accipit à quantitate?

## §. I.

*Opiniones Doctorem.*

**E**st autem questio celebris propter rei difficultatem, & opinionum varietatem: quia tamen illarum notitia conducit ad dicendorum claritatem; illas oportet fideliter referre, vt de eis possimus iudicium facere.

2 Prima ergo opinio considerat duplicem extensionem inter partes materiæ, quæ quantitati subsunt: aliam entitatiuam, seu in ordine ad se; alteram situalem, seu in ordine ad locum. De ista secunda dubium non est, quin à quantitate radicaliter proueniat; de entitatiua vero iudicant impossibile, quod extensio, & diuisibilitas partium substantiæ proueniat à quantitate. Ita Ocham capite de quantitate. Suarez disput. 40. Metaph. sect. 4. à num. 7. vsque ad 30. idem tenent PP. Contimb. Rubio, Hurtado, & alij Recentiores Societatis. Item M. Cabero tractatu 5. disp. 2. dub. 2. P. Didacus à Mesa disput. 13. q. 2. vbi plures refert, & inter eos Scotum in 2. dist. 12. quaest. 2. quem misit in 2. dist. 2. quaest. 4. sub dubio reliquerit.

3 Secunda sententia docet, quod substantia corporea habet partes

substantiales substantialiter distinctas, ante quantitatem actualem; non autem ante ordinem, seu respectum ad quantitatem. Ita videtur colligi ex Caietano 1. p. quaest. 29. artic. 1. & capite 2. de Ente, & essentia quaest. 5. Iabello, Bañez, Gonzalez, & alijs relatis à PP. Carmelitanis tomo 1. in 1. p. tractatu 1. disput. 1. dub. 3. cum quibus ipsi docent, quod quantitas actualis non concurrat intrinsece ad distinguendum vnum individuum ab alio; ac per consequens, nec intrinsece exigitur ad distinguendum vnum individuum in partes integrantes substantialiter: quia vtriusque eadem videtur ratio. Sed expresse hanc sententiã nouissime docent M. Ortiz tract. 5. confer. 2. §. 3. M. Lerma lib. 7. Logica quaest. 8. & alij Thomistæ Recentiores.

4 Tertix sententiæ Authores admittunt in substantia partes substantiales, sed non extensas entitatiue actualiter, sed solū radicaliter; & ideo dicunt substantiã sine quantitate esse inextensam, & confusam, & indiuisibilem actu, & formaliter; & solū diuisibile, & extensam radicaliter, & quod quoad hoc, partes non sunt formaliter, sed radicaliter. Ita colligitur aperte ex M. Soto q. 2. de Quantitate solut. ad 1. M. Flanckia libro 5. Metaph. quæst. 14. artic. 4. ad 3. secundi ordinis. Et docent M. Araujo libro 5. Metaph. q. 2. artic. 1. dub. appendice. Et M. Iohnes à S. Thoma quaest. 16. artic. 1. & meo videri docuit idem Capredus in 2. dist. 13. quaest. vnica articulo 3. ad 1. in editione Veneta

Pagina 158. & in 2. dist. 18. q. 1. artic. 1. ad 1. Aureoli p. 379. & forte hoc solum intendunt plures antiqui pro vltima sententia citandi.

5 Vltima sententia tenet substantiam corpoream de se, antecedenter ad quantitatem non habere partes integrantes, nec vllam extensionem, aut diuisibilitatem, etiã entitatiuam. Ita B. Albertus Magnus lib. 1. Physicorum tractatu 2. cap. 4. quem citat, & sequitur Ferrara 1. Physicorum quæst. 4. vbi, & Aquarius in notationibus ad Ferraram. Soncinas libro. 5. Metaph. q. 19. præcipue ad 6. & quæst. 22. per totam, & quæst. 21. ad 2. Fauet Ca preolus in 2. distinct. 13. quæst. 1. art. 13. ad 14. Scoti pagina 138. & distinct. 18. quæst. 1. art. 3. ad 2. p. 376. licet in istis locis videatur exponendus per alios iam relatõs: sicut, & Caiet. 1. p. quæst. 52. art. 1. intelligendus veniat, per ea, quæ dixerat 1. p. quæst. 29. art. 1. Expressius id docet Sanchez lib. 5. Logica quæst. 15. conol. 7. & erudite PP. Carmelitani in Logica disp. 13. q. 3. & in lib. de Generat. disput. 5. per quinque quæstiones; vbi, & alios referunt. Extra Scholam Thomisticam, idem docuit Durandus in 1. distinct. 34. quæst. 1. num. 28. Tolletus 1. Physicorum quæst. 7. acriter Vazquez 1. p. disput. 176. cap. 3. & tomò 3. in 3. p. disput. 190. cap. 3. num. 24. & deinceps.

Addunt PP. Carmel. illa disp. 5. à num. 57. & deinceps, quod substantia corporea, adhuc vt est affecta quantitate intra proprium genus substantiæ, conseruat indiuisi-

ibilitatem; & ita, secundum substantialia præcisse, est tota sub tota quantitate, & tota sub parte illius. Et n. 57. referunt plures Doctores, qui ab ipsis de hoc puncto consulti, vel eorum sententiam approbarunt, vel saltem probabilem iudicarunt, & conformen Sancti Thomæ doctrinæ.

6 Negare nemo potest, quod saltem autoritate DD. hic dicendi modus est probabilis; ad hoc enim sufficeret PP. Carmelitanorù autoritas maxima, omnibus iam perspicua, & in suis eruditissimis scriptis manifesta. Sed quia in quæstionibus artium, præcipue ratione est dimicandum; videamus quid rationes sententiarum relatarù probent: & simul mentem D. Thomæ inuestigabimus, quem à veritate deuiasse non suscipiamur.

## §. II.

*Substantia habet partes substantialiter distinctas.*

7 **P**ro resolutione notandum valde, quod ab aliquibus in præsentis pro eodem sumuntur duæ vel tres quæstiones, quæ inter se valde discrepant. Prima est vtum eadentitas, & distinctio substantialis partium substantiæ proueniat illis à quantitate; an vero habeatur intra lineam substantiæ? Secunda an exte- aliqua entitatiua, aut diuisibilitas partium substantiæ proueniat à quantitate, an vero illam præueniat, & habeatur in ipso genere substantiæ? Quas quæstiones esse distinctas

tas, ex eo constat, quia bene comparatur, quod entitas partium, & distinctio essentialis earum sit substantialis: quia pars est in eodem genere, ac id cuius est pars, & distinctio opponitur unitati, & sicut unitas est de transcendentibus, ita & distinctio: tamen extensio partium in ordine ad se, & diuisibilitas eius in ordine ad se, quæ antecedit situationem, & correspondentiam ad locum, possunt esse de genere accidentis, & prouenire formaliter à quantitate. Hoc autem non distinguere fuit aliquibus occasio in extrema declinandi: cum tamen, in hac parte, veritas media gradiatur via: pro qua tenenda.

8 Dico primo; substantia non accipit à quantitate, vt à ratione formali, nec entitatem, nec distinctionem essentialem partium; sed illam habet intra lineam substantiæ. Hac reuera est communiter recepta conclusio: quia tenent eam omnes relati pro tribus prioribus sententijs: licet quidam relati n. 4. pro tertia sententia, in modo loquendi non videantur conuenire: sed hoc parum refert, dum dere constat: & fere nullus antiquorum, qui referuntur pro vltima, hanc conclusionem negat; quamuis doceant secundam conclusionem postea subiiciendam.

9 Ille de mente S. Thomæ constat, primo ex 1. 2. quæst. 17. art. 4. in cor. vbi ait: *totum in genere substantia compositum ex suis partibus, vel integralibus, vel essentialibus, est vnum simpliciter &c.* Vbi eodem modo in ipsa substantia (vt est v.

num simpliciter præsticiens accidentia) admittit S. Thomas compositionem ex partibus integralibus, ac ex partibus essentialibus: sed compositio ex partibus essentialibus, est in linea substantiæ formaliter: ergo pariter compositio ex partibus integralibus. Dicere autem, quod S. Thomas loquatur ex aliena sententia; est mere gratis assertum: & ideo qua facilitate dicitur, reijcitur: quia hac via nihil probari posset ex mente D. Thomæ.

Secundo, hoc indicat in 2. dist. 30. quæst. 2. artic. 1. ad 1. vbi distinguit totum integrale substantiale à quantitatio.

Tertio: nam in 3. p. quæst. 76. art. 4. docet S. Thomas, quod in Eucharistia *ex vi sacramenti non est quantitas dimensua corporis Christi, sed ex vi sacramenti est corpus Christi cum suis partibus substantialiter integrantibus; vt docet idem S. Thomas ibi artic. 1. ad 2.* ergo ex eius mente, in linea substantiæ dantur partes integrantes essentialiter distinctæ. ¶ Et de his manifeste loquitur S. Thomas libro. 5. Metaphys. lect. 15. littera d. in fine, cum ait: *secundum autem est, quod quantitas inter alia accidentia propria quior est substantia &c.* Nam sola quantitas habet diuisionem in partes proprias post substantiam. Quæ comparatio esset impropria, & ratio ineficax, si in linea substantiæ, non essent partes substantialiter integrantes.

Quoniam rationes omnes sunt ex D. Thoma desumendæ, non oportet nunc immorari in alijs au-

thoritatibus congerendis, & ponderandis. Alijs omisis, tres rationes sunt præcipuæ.

10 Prima à priori; dantur aliqua substantiæ compositæ ex partibus integrantibus eas in linea substantiæ: sed entitas, & distinctio huiusmodi partium non potest formaliter provenire à quantitate, vel ab aliquo alio accidente, vt à ratione formali ( de conditione, vel dispositione requisita, postea dicitur): ergo substantia non accipit à quantitate, nec entitatem, nec distinctionem essentialem partium. Consequentia probatione non eget. Et minor est per se nota: quia partes sunt de essentia totius; quia, vt dicit S. Thomas 3. p. quæst. 90. artic. 1. *sunt in quas materialiter dividitur totum*: ynde si totum est substantia, partes sunt substantiales: quia reducuntur ad idem genus, vt eius intrinseca principia: & formæ accidentalis non potest effectus primarius esse substantialis; maior vero probatur: quia nulla est ratio, cur talis substantia naturaliter non sit dabilis. Imo substantiæ omnes corporeæ, eo ipso quod sunt omnium infimæ, debent esse compositæ ex partibus integrantibus; & ideo S. Thomas 1. p. quæst. 3. art. 1. & 7. probat, quod Deus non est corpus: quia est simplex, & purus actus ( & loquitur de corpore in genere substantiæ: ) ergo substantiæ compositæ substantialiter ex partibus integrantibus defacto dantur, & sunt omnes substantiæ corporeæ,

nempe, materia, & formæ corporum inferiorum; quidquid sit de alijs, de quibus postea.

11 Sed obijcit Magist. Ferraræ ex B. Alberto: nam materia prima est pura potentia: ergo non est composita, ex potentia, & actu: ergo materia ex se est simplex. Probatur consequentia, quia omnis compositio, aut est substantialis, aut accidentalis; sicut omne ens, aut est substantia, aut accidens: sed materia secundum se non est composita ex accidente, vt patet: omnis autem compositio substantialis, est ex actu, & potentia: ergo cum materia sit pura potentia, ex se erit simplex, & solum in potentia, & radicaliter composita.

Respondetur concedendo primam consequentiã; & negando secundam. Ad probationem nego ultimã minorẽ: quia sicut ipsæ partes quantitatis faciunt compositionem, & vna non est actus alterius; sed ambæ se habent in potentia ad formam, & esse illarum; ita in genere substantiæ potest esse compositio in ipsa materia, quamuis ambæ partes sint potentia; & potest esse compositio in ipsa forma, quamuis ambæ partes sint actus: quia ad compositionem sufficit, quod sint in potentia ad esse totius compositi. Quod mire explicuit S. Thomas 1. p. quæst. 3. articulo. 7. *nam cum* dicitur, quod in *omni composito oportet esse potentiam, & actum*; post pauca, id exponit dicens: *quia*

quia vel vna partium est actus respectu alterius; vel saltem omnes partes sunt sicut in potentia respectu totius: & loquitur de composito substantiali; quia de accidentali egeratiam articulo antecedenti: ergo non semper vna pars debet esse actus alterius; sed sufficit, quod omnes se habeant in potentia ad esse totius. Et cum nunquam detur materia sine forma, nec possit dari; sufficit, quod ea mediante, hoc esse, & hanc distinctionem recipiat materia prima.

12 Secundo obijcies, ex PP. Carmel. disput. 5. de Nutritione, à num. 41. vsque 47. nam si substantia haberet partes substantiales integrantes, & haberet partes essentialis physicas, nempe, materiam, & formam; sequitur, quod ex eis non fieret vnum per se: quia ex duobus totis realiter distinctis non fit vnum per se. Quod autem ista tota realiter distinguantur, patet: quia illa tota realiter distinguuntur, quorum singulae partes sunt realiter diuersae: partes autem physicae essentialiter, & realiter differunt à quavis parte totius integralis. Nec se habent vt entia incompleta: si quidem sunt tota in linea essentialis: & naturaliter loquendo, non possunt plura entia totalia vnica existentia, aut subsistentia esse, aut subsistere. Admissis partibus integrantes in linea substantiae, sequitur absurdum, quod faciant vnum per accidens.

Respondetur, quod id quod est incompletum in vna linea, potest esse incompletum respectu alterius lineae: sicut compositum ex corpore,

& anima, est incompletum respectu existentiae, vel subsistentiae; & tamen in suo esse quidditativo est completum: ita, quae sunt quali completa integraliter, sunt incompleta essentialiter: & ita haec tota se habent vt includens, & inclusum, & secundum distinctas habitudines; & quia ex compositis potest vltior esse compositio, & existentia est actus vltimus, in quo haec omnia adunantur; ideo non mirum, quod quae communicant in vno esse substantiali, faciant vnum ens per se, tam quidditativae, quam physice.

### §. III.

#### *Aliae rationes conclusionis.*

13 **S** Ecunda principalis ratio conclusionis: est nam substantia affecta quantitate habet entitatem, & distinctionem essentialem, intra lineam partium substantiae: sed hoc non accipit primario, & in genere causa formalis à quantitate: ergo id habet per id quod est in genere substantiae. Maior probatur, primo: quia eiusdem generis est distinctio, ac entitas, quae essentialiter distinguitur: nam, vt ait S. Thomas 1. p. quaest. 30. art. 3 & quaest. 9. de Potentia art. 7. *omnis pluralitas consequitur aliquam diuisionem*: & pluralitas essentialis, quae non est diuisio quantitatiua, est praedicatum transcendens secundum quod ens diuiditur per vnum, & multa, & supra ens, solum addit diuisionem; sicut vnum addit indiuisiōem: sed entitas est in linea substantiae: ergo, & eius

portiones, seu partes, etiam sunt in linea substantiæ.

14 Secundo probatur: nam datur aliqua substantiæ, media quantitate, diuisibiles, non solum in portiones quantitatis, sed etiam in partes substantiæ: quod continua experientia est manifestum; & docet S. Thomas lib. 7. Metaph. lect. 16. littera a. dicens: *non solum partes corporis sunt in potentia propinqua actui, sed etiam partes animæ; & ideo quædam animalia post diuisionem viuunt; sicut animalia annulosa: quod ex hoc contingit, quia in toto animali erat vna anima actu, plures autem in potentia.* Idem docet S. Thomas de Spiritualibus creat. art. 4. cor. & ad 19. & quæst. vnica de Anima art. 10. cor. & ad 15. & in 1. distinct. 8. quæst. 5. art. 3. ad 2. & ibi ad Anib. quæst. 2. art. 3. & etiam patet, cum diuidimus lignum in duas partes, quod non solum diuiditur quantitas à quantitate, sed separatur substantia à substantia, quia naturaliter quantitas non est sine substantia, nec substantia sine quantitate: ergo substantiæ aliquæ substantialiter distinguuntur media quantitate.

15 Posset idem probari: nam in nutritione, acquiritur aliquid substantiale de nouo, quod antea non erat: & in infertione ex duabus partibus fit vna substantia: & cum consecratur medietas panis, alia medietate non consecrata, in istis, & similibus euentibus, quamuis media quantitate vt dispositione substantiæ, tamen in ipsa substantia, vere addantur, vel tolluntur partes substantiales integrantes: ergo istæ

dantur in linea substantiæ.

Respondent PP. Carmel. illa disp. 5. num. 72. quod vltra distinctionem realem actualem, debet admitti distinctio realis potentialis; eorum, quæ licet quoad substantialia sint idem; nihilominus sint realiter potentialiter distincta: & hæc via in nutritione, ea quæ antea erant substantialiter distincta, possunt postea, quoad substantialia præcisse, identificari. Vnde num. 77. & deinceps, concedunt in materia esse partes entitatis substantiales virtualiter, & æquiualester tales: non tamen formaliter tales, nec actualiter substantialiter distinctas.

16 Sed contra primo: nam iuxta hanc solutionem, posset defendi partes quantitatis non solum vni, sed realiter identificari: & ita in quantitate non darentur indiuisibilia continuatua: contra ea quæ ipsi, cum communi Doctorum, docentur. 6. Physicorum disp. 25. q. 1. patet sequela; quia eadem distinctione, authores illi argumenta omnia euadere conantur.

Præterea, iuxta hanc doctrinam, videtur in qualibet nutritione, vel in infertione, interuenire, quædam, quasi transsubstantiatio, vel conuersio vnius in aliud: quod tamen fieri non potest, nisi virtute agentis infiniti, vt docet S. Thomas 3. p. quæst. 75. artic. 4. ad 3. quia ea, quæ sunt secundum se diuersa, nunquam vnum eorum fit alterum; licet possit in alio vni.

17 Tertio aperitur solutionis æquiuocatio: nam bene possunt quæ realiter sunt distincta, ita vni.

ri, vt solum potentialiter diuidantur: eo quod vno, facit vt actu sint vnum, & solum in potentia sint plura: vnde S. Thomas libro, 2. de Anima, textu 20. lect. 4. cum Philosopho ait: *quod in vna quaque planta anima est vna in actu, & multiplex in potentia*: nam realiter possunt separari, & actu non sunt separata, sed vnitata. Ceterum, quæ semel substantialiter distinguuntur, semper manent quidditative distincta; naturaliter loquendo: nam indivisio non differt ab ipso ente: & sicut hoc ens non conuertitur in illud, ita si semel ab illo distinguebatur, semper distinguitur: quamuis quando communicant in eodem esse, sint vnitata; & quando non communicant, sint ab inuicem separata: de quo iterum num. 31.

18 Id quod ultimo additur in solutione, iam est rejectam: quia si entitas est formaliter in linea substantiæ; & distinctio illarum non est accidentaliter formaliter; erit formaliter substantialiter: quia diuisio, quæ est de transcendentibus, non addit aliquid supra entiam, sicut nec indivisio distinguitur ab ente vno.

Deinde, illa æquivalentia, & virtualitas partium, etiam potest esse, seu præstari ab anima rationali: quia, vt inquit S. Thomas de Spiritualibus creat. art. 3. ad 16. *licet anima non habeat corporeitatem in actu; habet tamen virtute, sicut Sol calorem*: & tamen peculiari modo anima rationalis est tota in toto, & tota in qualibet parte, quo non sunt animæ plantarum, & viuientium imperfectorum, vt patet ex Philosopho, &

D. Thomas 2. de Anima vbi supra; & 5. Metaph. lect. 16. & 1. p. q. 76. art. 8. ergo materia prima, & formæ imperfectæ corporales, non solum habent partes æquivalenter; sed formaliter in linea substantiæ. Sed quoniam ista philosophica sunt non possumus in eis explicandis amplius immorari.

19 Eadem ratione non detinebor in ponderanda tertia ratione principali conclusionis, quæ talis est: eadem proportionaliter est ratio formalis diuidendi materiam duorum indiuiduorum, ac diuidendi substantialiter portiones eiusdem indiuidui: nam vtraque est diuisio intra idem genus, & est integralis respectu totius materiæ sublunaris. sed quantitas non est ratio formalis diuidendi intra genus substantiæ: quia vt dicit S. Thom. 1. p. quæst. 29. artic. 1. *substantia indiuiduatur per se ipsam*: ergo nec quantitas est ratio formalis diuidendi portiones substantiæ, quoad distinctionem essentialem substantialem. Cetera patent: & minor, in qua est difacultas, admittitur ab ipsis, cum quibus disputamus, & à nobis ostenderetur 3. p. Metaph. & in libris de Generatione, Deo dante, aliquid tangemus.

### §. III.

*Omnis extensio, & diuisibilitas conuenit ratione solius quantitatis.*

20 **N**ihilominus, dico secundo; in substantia antecedenter

ad quantitatem formaliter, & in actu, nulla datur extensio, aut diuisibilitas; sed extensio partium in toto, & earum diuisibilitas est effectus formalis quantitatis actu informantis. Dux partes conclusionis sunt adeo expressæ S. Th. vt mirum sit, quod ab aliquo Thomista possint negari, aut ab alijs de mente S. Thomæ dubitari: nam 1. p. q. 50. art. 2. dicit: *materia autem diuisa in partes non conuenit, nisi secundum quod intelligitur sub quantitate; qua remota, remanet substantia indiuisibilis, vt dicitur 1. Physicorum textu 18.* Idem repetit Quodlib. 9. art. 6. qui est primus q. 4. vbi ait: *diuersitas partium non potest intelligi in materia non intellecta diuisione, nec diuisio non intellecta dimensione: quia subtracta quantitate, substantia remanet indiuisibilis vt dicitur 1. Physicorum.* Habetur idem 4. contrag. cap. 65. & opusc. 70. q. 5. art. 3. ad 3. & sæpius alibi. Idem sumitur ex Philosopho 5. Metaph. textu 18. Conueniuntque in ea auctores tertie, & quartæ sententiæ. Insuper Scotus hic quæst. 17. & 5. Metaph. quæst. 9. & ibi eius discipuli.

Sed respondent auctores primæ sententiæ, Philosophum, & Sanct. Thomam loquutos fuisse de extensione, & diuisibilitate quantitativa, quæ per antonomasiam diuisibilitas dicitur: quia est capacitas vt diuidatur in partes impenetrabiles; non tamen negant formalem entitatiuam extensionem, & diuisibilitatem substantialem.

21 Facile hæc euasio præcluditur: quia ibi S. Thomas intendit probare, esse impossibile, quod vna sit ma-

teria corporaliu, & spiritualium: quia in spiritualibus non est quantitas, quæ est in corporea substantia, media qua diuiditur, & extenditur; sed hæc ratio nullius esset roboris, si loqueretur de sola extensione, & diuisibilitate accidentali, vt patet: ergo omnem actualem extensionem, & diuisibilitatem, negat in materia sine quantitate.

Secundo reijcitur euasio: quia S. Thomas 3. p. quæst. 76. art. 1. ad 3. ex eo quod Corpus Christi est in Eucharistia per modum substantiæ, infert, quod continetur indifferenter sub parua, vel magna quantitate: quæ illatio nulla esset, si in linea substantiæ esset extensio, & diuisibilitas.

Tertio, condistinguendo ordinem partium in ordine ad locum, ab ordine partium in ordine ad se; docet S. Thomas istum esse de ratione quantitatis, vt patet opusc. 70. vbi supra, & in 4. distinct. 10. q. 1. art. 3. quæst. 3. ad 2.

22 Secundo respondent Ortiz, & Lerma, quod S. Thomas loquitur de quantitate pro radice; non vero de quantitate actuali: quia cum ibi loquatur de distinctione numerica indiuiduorum per principia indiuidualia: & in istis iuxta communem Thomistarum sententiam, non intret quantitas actu inherens; sed materia vt præbens quantitatis naturam, vt ait Caietanus, & quantitas solum intret extrinsece, & in obliquo; ideo in genere substantiæ est extensio, & diuisibilitas partium entitativa, per hoc quod materia præhabet quantitatem.

Hanc tamen responsionem verba

ba textus, sincere lecta, non admittunt: quia materia secundum quod intelligitur sub quantitate, est materia actu habens quantitatem: sicut, homo ut subest albedini, est actu albus. Secundo: nam dimensiones quantitativa sunt accidentia consequentia corporeitati, ut ait S. Thomas 1. p. quaest. 76. art. 6. ad 2. Loquitur autem S. Thomas de actuali dimensione: ergo, & de actuali quantitate. Quod patet in illo Quodlib. & lib. 4. contrag. cap. illo 65. circa finem.

23 Præterea: retorquetur doctrina solutionis: nam S. Thomas 3. p. quaest. 77. artic. 2. & in 4. distinctione 12. quaest. 1. art. 1. q. 3. ad 3. & cum ipso Ferrara lib. 1. contragent. cap. 21. & multi alij ex Thomistis, quos referemus 3. p. Metaphys. tenent quantitatem actualem pertinere intrinsece ad individuationem, vel secundario, vel ut conditio sine qua non, vel ut prima dispositio materiae: quia incommunicabilitas est à materia, & divisio est à quantitate: ex quo potius firmatur nostra conclusio, ex doctrina vera de principio individuationis: quam tamen non possumus nunc latius confirmare: quia metaphysica, vel Philosophica est. Vno verbo nunc probatur: quia effectus formalis formae, non præstatur à forma prout in potentia subiecti; sed prout illud informat: & cum materia sit pura potentia, non potest se sola esse distincta, & diuisa: quia *actus est qui distinguit*, ut dicitur 7. Metaph. textu 49. redeamus ad conclusionem, quæ.

24 Ratione probatur primo: nullus effectus formalis formae accidentalis, est actu in substantia, ut præuenit ipsam: sed extensio partium in toto, & earum diuisibilitas est effectus formalis quantitatis: ergo nec extensio, nec diuisibilitas, conuenit substantiæ antecedenter ad quantitatem. Minorem quaestione sequenti ostendemus. Maior uero ex terminis est nota: quia si effectus formalis est actu ante formam, superfluit ipsa: & deinde, quia effectus est post formam communicatam, vel ipsa forma communicata.

Dices: quod extensio quantitativa, & diuisibilitas quantitativa sunt effectus quantitatis; quorum ut substantia sit capax, debet habere extensionem, & diuisibilitatem entitativam.

25 Sed contra primo: nam, ut notat Durandus illo num. 28. quantitas non præexigit in materia illud quod ipsa facit, aut quod ad ipsam consequitur: cum autem accidentia sint in substantiam; munus extendendi, & diuidendi, quod est munus quantitatis, non est ut præferretur ipsi quantitati, sed substantiæ, cuius est quantitas.

Secundo: in qualitate, & alijs prædicamentis, ad illa recipiendum, non præcedit in substantia, qualitas entitativa in actu, & relatio substantialis, & sic de alijs; sed præcedit solum potentia susceptiua, seu capacitas ad illa recipiendum: ergo, ut recipiatur quantitas, non præcedit extensio entitativa, aut diuisibilitas; sed corporeitas substantialis, quæ est capacitas, ex qua

bitur dimensio, & quantitas. Videatur PP. Carmel, num. 28. & 29.

Tertio: quia sequitur nullum esse quantum per accidens; sed omne erit quantum per se: quia semper subiectum est extensum entitatiue, vt recipit extensum quantitatiue. Consequens autem est absurdum, vt patebit numerando species quantitatis, & ibi id expressit Philosophus.

26 Secundò principaliter probatur: nam omnis extensio, & diuisibilitas sunt prædicata accidentalia substantiæ: ergo illi non conueniunt ex se, sed media forma accidentali. Probatur antecedens, primo: quia his vocibus non respondemus ad quæstionem de quidditate substantiæ: quia cum quæritur, quid est hoc? nõ dicemus est extensum, aut diuisibile: sed hoc responsum damus cum de eius equalitate, vel magnitudine interrogamur. Secundò vrgentius probatur: nam possumus concipere omnia essentialia substantiæ corporeæ, quin intelligamus vllã extensionem actualẽ, aut diuisibilitatem: ergo illa sunt prædicata accidentalia. Aliæ rationes videri possunt in M. Soncinate lib. 5. Metaph. q. 22.

## §. V.

*Soluuntur argumenta.*

27 **P**rimo arguitur: quia secunda conclusio videtur cõtra dictoria prime. Quod sic probatur: nam idem est substantiam habere distinctionem substantialem partiũ, ac habere diuisibilitatem, & exten-

sionem entitatiuam: ergo, si prima conclusione admitterimus substantiã in propria linea habere entitatẽ, & distinctionem substantialem partium; non est cur in secunda negemus habere extensionem, & diuisibilitatem entitatiuam. Probatur antecedens: non possunt partes esse distinctæ, nisi verificetur, quod vna earum non sit altera: sed eo ipso quod vna earum non est alia, vna est extra aliam; ergo vna est diuisa ab alia, & totum est extensum in illas. Quæ omnia, ex sola explicatione terminorum, videtur manifesta.

Dices primò: partes substantiæ non esse actu distinctas sine quantitate vt dispositione, vel conditione sine qua non; quamuis media ista conditione, etiam distinguantur in linea substantiæ: quia certum est substantiam ab accidentibus dependere, vt à dispositionibus, sine quibus naturaliter esse non potest.

Sed contra: omnis effectus formalis substantialis debet habere causam, quæ sit substantia: sed distinctio illa est substantialis: ergo eius causa formalis est substantia: ergo licet dependeat à quantitate, vt simul exerceatur distinctio quantitativa cum distinctione substantiali; non tamen inde inferitur, quod distinctio substantialis, & diuisibilitas non conueniat substantiæ sine quantitate.

28 Secundò respondebis, quod sine quantitate est distinctio *transcendentalis*, quæ sufficit vt designatiue dicatur, quod hæc pars non est illa,

illa; non tamē est distinctio *integralis* tollens confusionem, & ordinans partes, & faciens eas capaces diuisionis in linea substantiæ à quātitate.

Sed contra primo: nam hec integritas; vel est accidētalis; vel substantialis? Si primū; fatemur, quod non conuenit substantiæ sine quantitate: sed hoc parum refert ad intētum: quia sine integritate accidentalī possunt partes substantiæ esse entitatiue extensæ; & diuisibiles entitatiue; licet non quantitatiue. Si verò distinctio integralis est substantialis; non potest esse à quantitate; quæ est accidens substantiā constitutam, & distinctam supponens.

Secundò: vel illa distinctio transcendent: lis est solum formalis per affirmationem, & negationem; vel est realis entitatiua? Primum non sufficit ad saluandam primam conclusionem; in qua partia substantiæ realis distinctio est probata. Secundum verò destruit secundam conclusionē: quia realis distinctio partium, est earum realis entitatiua diuisio: ergo nō possunt prædictæ conclusiones esse simul veræ.

29 Facile tamen respondetur. si pranotetur ex D. Tho. 1. p. q. 30. artic. 3. & latius quæ st. 9. de l'cten tia artic. 7. quod. *non d. nisi m. l. it u- dinem car. set, indiuisio verò unitatem; o- porte s. cundum rationem diuisionis; de vno, & multo indiuim fiti.* Est autem quedam diuisio transcendentalis, quæ addit supra res, quæ dicuntur multe, quod vnaquæque earum sit *vn.*, & quod vna est in non sit altera, in quo consistit ratio distinctiōis, vt ibi ait S. Thomas: & ex inde infert, quod

hæc distinctio, & multitudo est in Angelis, & in ipso Deo: quia in eo sunt tres persone realiter distincte. Est autem alia diuisio eorum, quæ positionem, & situm, & mensuram quantitatiuam includunt, quæ non solum dicit distinctionē; sed ordinē situalem partium in toto, & possibilitatem diuisionis earum ad inuicē: & hæc per se conuenit quantitati, & per accidens, seu secundario substantiæ quantæ. Et hoc modo multitudo consequens hanc diuisionem, & vnitas eam priuans, sunt in genere quātitatis, vt illo art. 7. dicit S. Th. de quo infra q. 16.

30 Hinc clarescunt ambæ conclusiones, quia in prima solum admittimus, quod distinctio transcendentalis non est à quantitate formaliter: quia tamē in corporalibus nō est diuisio transcendentalis portio- num materie, nisi media extensione & diuisibilitate, quæ formaliter præstantur à quantitate; ideo quod est conditio sine qua non, ad distinctionem transcendentem; est ratio formalis extensionis, & diuisibilitatis. Et aduertendi in, quod extensio, & diuisibilitas solum est substantialis, ex parte rei, quæ extenditur, & diuiditur; non tamen quia extensio, & diuisibilitas sit aliud quam accidētalis status materie, & substantiæ, quæ extensioni, & diuisioni in partes subicitur. Et sic per tet ad replicam contra primam solutionem.

Ad primā replicā contra secundā solutionē dicitur, quod integritas substantialis exerceri requirit sine accidentalī: quia materia diuidi nō potest, nisi sit extensa; & extensa esse

non potest sine quantitate; quæ ideo à D. Thoma dicitur *prima dispositio materie*, vt retulimus num. 1.

31 Ad secundam dicitur, quod sicut *ens* accipitur dupliciter; & *proprie*, pro ente participialiter ( vnde ait S. Thomas 1. p. q. 5. art. 1. ad 1. cum *ens* dicat *aliquid proprie esse in actu*) & *communiter*, pro ente nominaliter, vt iam diximus q. 4. cum vnum conuertatur cum ente; & distinctio opponatur vnitati; iuxta has duas acceptiones entis, est duplex distinctio entitatiua: alia rerum, quæ separatas habent existentias: alia eorum, quæ communicant in eodem esse; sed quia essentialiter, vel partialiter vnum non est aliud, dicuntur realiter differre; cuius signum est, quia possunt adinuicem separari. Partes ergo substantiæ, ante diuisionem dicuntur differre realiter hoc secundo modo; sed post diuisionem, dicuntur differre entitatiue primo modo. Et sic melius percipiuntur, quæ dicta sunt num. 17.

32 Secundo arguitur: nam extensio, & ordo partium in toto supra distinctionem earum, solum addit, quod vniantur secundum extremitates, & ratione huius vnionis tollitur partium confusio: sed totum hoc habet substantia antecederet ad quantitatem: ergo ante quantitatem habet substantialem extensionem, & diuisibilitatem. Maior patet, quia non est assignabile, quid aliud addat extensio supra partes distinctas. Minor verò probatur: nam partes illæ distinctæ substantialiter; vel sunt vnitæ substantialiter; vel sine vnione? hoc secundum, nullus

dicet: quia non facient vnum per se, quia erunt sicut acerbus lapidum. Primum verò, vel fit per hoc, quod vna pars se habeat vt actus, & alia vt potentia? & hoc non: quia ambæ partes materie se habent vt pura potentia; & partes formæ se habent vt actus: & rursus, non differret compositio partium integralium, à compositioe partium essentialium compositioe physice materie, & formæ: quod est aperte falsum: ergo vt ex partibus istis resultet totum substantiale, vniumur aliquo indiuisibili substantiali: nam si esset diuisibile, haberet partes vnitas; & sic procederetur in infinitum: & hac ratione in 6. Physicorum probatur indigentia indiuisibilium quantitatis. Admissis autem indiuisibilibus substantiæ, correspondentibus indiuisibilibus quantitatis, non est cur non admittatur extensio substantialis: quia vniant extrema secundum extremitates, & non se totis.

33 Ad hoc argumentum P. Rubio lib. 6. Physicorum q. 1. dub. 4. & M. Lerma dicta q. 8. n. 19. asserunt, quod iuxta opinionem admittentem in substantia distinctionem partium; negari non possunt indiuisibilia substantiæ ad copulationem partium, & vt fit subiectum proportionatum indiuisibilium quantitatis.

Verum iuxta hanc sententiam, Rubio consequenter admittit extensionem, & diuisibilitatem entitatiuam, vt docuerat Suarez illa sect. 4. n. 13. ¶ Qua autem consequentia, ab alijs admittentibus indiuisibilia substantiæ; extensio, & diuisibilitas substantiæ negatur; non facile percipitur.

34 Respondet M. Ortiz conference 3. solut. ad vltimum, quod in diuisibilia sunt in substantia modo confuso, sicut sunt ipsæ partes; & ideo indiuisibilia ista vniunt partes se totis: quia sunt *negatiue* indiuisibilia, & partes *negatiue* diuisibiles: quia *positiua* diuisibilitas, & indiuisibilitas est de linea quantitatis; & ideo indiuisibilia quantitatis vniunt secundum extremitates, & non se totis: quia cum sint *positiue* indiuisibilia, non possunt quasi tangere secundum totum, quod diuisibile est.

Sed contra: nam, in eius sententia, partes in linea substantiæ sunt *positiue*, & *formaliter*: ergo si admittitur indiuisibile eiusdem lineæ, erit indiuisibile *formaliter*. Admissis autem indiuisibilibus vnitius partium sunt partes extra partes, & est *formalis* extensio, & nulla partium confusio: ergo erit extensio, & diuisibilitas in substantia sine quantitate.

35 Quapropter M. Soto q. 2. de quantitate in tertia ratione primæ conclusionis, & ad 4. & latius M. Soncinas libro 5. Metaph. quæst. 19. & 20. & M. Ioannes à S. Thoma, tam in Logica quæst. 16. artic. 1. quam in Physica quæst. 20. art. 2. *vt omnino certum* statuunt non dari indiuisibilia substantiæ: quia illis *admissis*, destruitur tota necessitas ponendi quantitatem; quia iam daretur extensio, & impenetrabilitas sine quantitate. Quod *minime verissimum* videtur, vt alibi latius. ¶ Sed tunc restat argumenti difficultas: quia sine vnione, partes sunt ens per accidens; & vnio accidentalis, nõ

est proportionata substantialiter toto.

Respondet M. Ioannes à S. Thoma solut. ad confir. 2. arg. quod illa vnio non potest fieri independenter à quantitate, tanquã à conditione requisita ad ordinationem, & designationem, partium; qua designatione supposita, etiam ipsa substantia artium vnitur; sicut indiuiduatione pendet à quantitate vt à conditione.

36 Hæc solutio veram continet doctrinam; sed maiorem videtur exigere explanationem: quia multis medijs impugnatur à M. Ortiz; sed præcipua sunt duo. Primũ, quia ipse M. quæst. 9. de Generat. artic. 4. docet quantitatem actu informãtem non requiri intrinsece ad indiuiduationem; & hic ait, proportionaliter loquendum de distinctione partium eiusdem indiuidui: ergo quantitas ad distinguendis partes non intrat intrinsece, sed solum vt cõnotata, & præhabita in substantia.

Secundò: quia partes non solum vniuntur substantialiter; sed etiam accidentaliter: ergo sicut vnionis accidentalis, & continuationis, assignatur causa formalis, ita, & vnionis substantialis actualis partium debet assignari causa formalis intrinseca: alioquin essent ens per accidens: ergo debet admitti indiuisibilia substantiæ, vel substantia nõ habebit partes substantiales.

37 Respondetur, quod vt ait M. Soto q. 2. de Quantitate ad confir. primi, partes substantiæ substantialiter vniuntur per se ipsas, quia si per quantitatem vniuntur formaliter, sequeretur, quod nec supernaturaliter possent vniiri  
*sine*

sine illa: quia licet Deus possit sup-  
plere causam efficientē; non tamen  
causam formelē: & etiā, quia totū  
substantialē, non fit tale formiter  
medio accidente. Ad hoc autē non  
exigitur, quod vna pars sit potentia,  
& alia actus, sed facit, quod am-  
be partes se habeāt in potentia adfor-  
mum, & vtrūque actuetur per exis-  
tentiā; quæ est vltima actualitas: nā  
omnia, quæ trahuntur vt cōmuni-  
cent in eadē existentia, faciunt vnū  
simpliciter: vnde S. Thomas 3. p. q.  
2. art. 6. ad 2. ait, *quod in resurrectione  
corpus adueniet animæ præexistenti, non  
tamen accidentaliter, quia ad idem esse  
assumetur: sic ergo partes substantiæ,  
quandiu retinent indiuisiōē in eo-  
dem esse, sunt vnū simpliciter: quia  
sunt vna in toto: & vt ait S. Tho.  
1. 2. q. 17. art. 4. totum est ens, & sub-  
stantia simpliciter; partes verò sunt en-  
tia, & substantia in toto.*

38. Vnde ad formam argumen-  
ti, concessa maiori, negatur minor.  
Ad probationē dicitur, quod partes  
illæ substantialiter vniuntur se ipsis,  
& faciunt vnum per se, in quantum  
constituendo vnā naturam com-  
pletam, actuantur, & terminantur  
vnica subsistentia, & existentia: &  
sic differunt ab vnione accidentali,  
quia quodlibet accidens affert exis-  
tentiā distinctā ab existentia subie-  
cti, vt loco citato 3. p. notat S. Th.  
Quia tamen iste partes non sunt ex-  
tensæ, nec diuisibiles, nisi in radice;  
ideo indigent quantitate, & indiui-  
silibus eius, quæ in isto genere  
sunt causæ formales, & condi-  
tiones respectu substan-  
tialis effectus.

## §. VI.

*Duobus alijs argumentis satisficit.*

39. **T**ertio obijcitur: nā potest  
separare Deus substantiā  
corporeā à quantitate, sicut ecētra-  
rio in Eucharistia separat quantita-  
tem à substantia panis: sed illa sub-  
stantia sic separata haberet formelē  
entitatiuam extensionem, & diuisi-  
bilitatem: ergo ista conuenit sub-  
stantiæ antecedenter ad quantitatem.  
Probetur minor, quis supponamus  
quod illa substantia esset homo sine  
quantitate: ergo haberet cor, ca-  
put, ossa, pectus, & alia huiusmodi,  
sine quibus non potest esse corpus  
hominis: sed istæ sunt partes ex-  
tensæ, & diuisibiles: ergo haberet  
formalem extensionem, & diuisibi-  
litate sine quantitate. Secundo  
probatu minor: quia illam sub-  
stantiam sine quantitate posset Deus  
in partes diuidere: ergo substantia  
sine quantitate est entitatie diui-  
sibilis.

Retorqueri potest argumētū:  
nam illo posset probari, quod sub-  
stantia sine quantitate esset impene-  
trabilis, & esset in loco, & haberet  
omnia, que habet medijs acciden-  
tibus: quia de substantia sine quan-  
titate, etiam inquiratur vbi esset?  
& an posset moueri? & alia huius-  
modi: sicut ergo non debent in sub-  
stantia sine accidentibus, poni esse-  
ctus formales aliorum accidentiū,  
quibus caret; ita nec in illa, si ponat-  
ur sine quantitate, erit formalis  
effectus quantitatis.

40 Dicitur ergo primo, quod de possibilitate illius casus, multi antiqui dubitabant, ut refert Capreolus in 2. dist. 18. art. 3. ad 4. pagina 376. & expresse Boncinas libro 5. Metaph. quaest. 22. dicit, quod individuum materiale non est individuum, nisi per quantitatem; & ideo repugnat materiam esse sine quantitate. Et M. Soto quaest. 2. de Quantitate ad 1. ait, quod tenendo opinionem (quae tunc erat communis contra Nominales) quod, videlicet, partes substantiae formaliter ununtur per quantitatem, tunc forte negandus esset casus argumenti, quod Deus posset conseruare substantiam sine quantitate; sicut negatur, quod Deus posset separare omnia puncta a linea: quia sequeretur lineam esse diuisam in omnem suam partem; quod implicat contradictionem: & idem sequeretur de substantia: quia effectum causae formalis Deus non potest supplere.

41 Sed quia in illa separata conseruatione, nulla cernitur clara implicatio; ideo Capreolus, Soto, & Caietanus, & omnes alij Thomistae illum casum admittunt, cum communi sententia; in illo autem euentu, inquit Caietanus 1. p. q. 52. artic. 1. circa medium, si poneretur a Sorte remoueri quantitatem; tunc non haberet partes integrales (integritate accidentalis extensionis, & diuisibilitatis, ratione quarum sunt partes aetherogenae, vel homogenae) scilicet, cor, hepatis, caput, &c. quia remaneret substantia indiuisibilis: & tamen imaginamur, quod remaneret Sortes: unde illis imaginationi-

bus non est credendum: huc usque Caietanus. Erit ergo illa substantia ut pars vniuersi, sed non ut in loco; nec extensa, nec diuisibilis, nec capax figurae, nec alicuius accidentis corporalis: quia haec omnia conueniunt substantiae ratione quantitatis. Et sic respondetur ad primam probationem minoris.

42 Ad secundam dicitur, quod si Deus daret aliud accidens, vel modum, vel ordinem ad corpus, quo illae partes individualiter distinguerentur indiuiduatione materiali; non esset repugnantia, quod ratione illius *vis* quantitatis fieret, quod modo fit per quantitatem: quia solum eam exigit ut dispositionem, non ut principale indiuiduationis principium: si autem partes substantiae ponerentur abstractae ab omni ordine ad quantitatem, iam non essent cum indiuiduatione eiusdem rationis cum corporalibus; sed solum differrent sicut formae spirituales: unde S. Th. Quodlib. 7. art. 9. ait, quod posset fieri miraculo, ut natura albedinis subsisteret absque omni quantitate, tamen illa albedo non esset, sicut haec albedo sensibilis, &c. Idemque indicat 2. p. q. 75. artic. 6. in fine cor. Quod pariter procedit de substantia ablata quantitate. Sed de his alibi oportemus.

43 Ultimo arguitur: si substantia, ut prauehit quantitatem, non esset extensa, & diuisibilis entitatiue, non posset a quantitate accipere extensionem, & diuisibilitatem quantitatiuam: sed hoc est aperte falsum: ergo substantia antecedens ad quantitatem habet extensionem, & diuisibilitatem aliquam. Probatur

maior: quod est inextensum, repugnat quod extendatur, & quod est indiuisibile, impossibile est quod diuidatur, & ideo nec punctum à quantitate extenditur; nec anima rationalis potest diuidi: quia anima est spiritualis, & indiuisibilis, & punctum est incapax extensionis.

Dices: substantiam de se esse extensam, & diuisibilem in potentia, & radicaliter; & ideo adueniente quantitate, posse extendi, & diuidi formaliter.

Sed contra; loquamur de substantia actu existente in rerum natura; illa, vt præuenit quantitatem, est ens actu substantialiter: ergo vel actu diuisibilis; vel indiuisibilis? si primum, haberetur intentum. Si secundum, sequitur, quod per aduentum quantitatis non possit diuidi: quia repugnat, quod indiuisibile diuidatur. Dicere autem, quod secundum se, præscindat ab extensione, vel negatione extensionis, implicat: quia in re inter ista nõ datur mediũ.

44 Posset argumentum instari, & retorqueri ex dictis num. 24. & 25. quia ad receptionem formæ, nõ requiritur, quod præcedat similis forma entitatiua; sed capacitas passiva illius receptiua sufficit, & requiritur: vt inductiue patet in omni forma substantiali, & accidẽtali.

Nunc addimus, quod substantiæ spirituales sunt inextensæ, & indiuisibiles contrarie, vel contradictorie: quia sibi repugnat diuisio per se, & per accidens; at verò substantiæ materiales, & corporeæ, de se sunt negatiue extensæ, & indiuisibiles in actu; & capaces, & in potẽ

tia vt adueniente quantitate diuidantur. Vnde S. Th. in 2. dist. 30. q. 2. art. 1. impugnat eos, qui imaginantur indiuisibilitatem materie admodum puncti. Quod non esse verum, probat dicens: materia enim dicitur indiuisibilis per negationem totius generis quantitatis: punctus autem est indiuisibilis; sicut quantitatatis principium, situm determinatum habens: vnde ex materia res quantæ efficitur, nõ per extensionem (loquẽdo de materia prima) cum extensio non sit, nisi eius, quod alicuius quantitatis erat: sed per quantitatis susceptionẽ. Materia ergo quæ sine quantitate est indiuisibilis negatiue, est in potentia vt per susceptionẽ quantitatis possit diuidi, sicut per albedinem coloratur; & per, vbi, est in loco, & sic de alijs: quia substantia secundum se, nullũ accidens positiue dicit; illud tamen prout sic, positiue non excludit; nisi repugnet eius prædicatis: vt accidẽtia spiritualia repugnant corpori, & corporalia spiritui.

## QVÆSTIO XIV.

Quæ sit ratio formalis quantitatis?

### §. I.

Varij modij explicandi rationem propriã quantitatis.

I CVM quidditatiui conceptus sint, vt plurimum, occulti, & nõ per se noti; ideo valde diducuntur authores in cõceptu essentiali quantitatis explicãdo. ¶ Non desunt, qui desperauerint illius posse haberi notitiã, & vt omnino ignotã dicunt non

esse à nobis assignabilem essentiam quantitatis. Refertur Antonius Andreas 5. Metaph. q. 10. & Iustinianus hic cap. 13.

2 Alij arbitrantur facile explicari quantitatis essentiam, dicendo, consistere in extensione locali aptitudinali. Ita P. Suarez disp. 40. Metaph. sect. 4. num. 15. Didacus à Iesu disp. 13. quaest. 1.

Opinantur alij consistere essentiam quantitatis in impenetrabilitate. Sic Hurtado disp. 13. Metaph. sect. 4. num. 39. Arriaga disp. 5. sect. 1. sub. sect. 2. & alij Recentiores Societatis. Subscripsit eidem opinioni. M. Cabero tr. ctatu 5. disp. 2. dub. 1. existimans, quod solis verbis differat ab opinione P. Suarez. quod tamen Neoterici non admittunt, qui contendunt punctum esse speciem quantitatis, eo quod continuum componitur ex indivisibilibus; & ita exigentia extensionis, secundum istos, est quid superius ad impenetrabilitatem. Et similiter Arriaga impugnat sententiam Suarez, & hanc sequitur: ac prout, supponit esse distinctas.

3 Placuit M. Flandria libro 5. Metaph. quaest. 14. artic. 5. quod ratio mentura est prima, & propria ratio quantitatis: quia opusculo 52. apud D. Thomam, dicitur: *propria ratio quantitatis, quæ competit quantitati, quatenus quæ unitas est, est ratio uersura*. Et 1. p. quaest. 28. artic. 2. describens S. Thomam quantitatem, ait: *nam quæ unitas dicitur mensura substantiæ*. Quod, & alibi saepe confirmat.

4 Prævaluit apud antiquorum multos sententia, quæ constituit es-

sentia quantitatis in diuisibilitate. Ita ex Thomistis Capreolus in 2. dist. 3. q. 7. art. 3. ad 11. Scoti & dist. 19 ad secundum contra primam. Sopcinus lib. 5. Metaph. tota q. 21. Iauellus ibi q. 20. & alij. Item Scotus ibi q. 9. & hic q. 17. & ibidem eius discipuli. Fuit huius opinionis occasio, definitio Quantia Philosopho 5. Met. tex. 18. assignata, quæ traditur per diuisibilitatem. Quod videtur ibi approbare S. Th. lect. 15. lit. e. & in 1. dist. 19. q. 1. artic. 1. ad 1. ubi dicit: *aequalitas consequitur rationem quantitatis, quæ consistit in quadam diuisibilitate*.

5 Iure potest vocari communis opinio illa, quæ asserit, essentiam quantitatis consistere in extensione partium, seu situatione earum in se. Ita B. Albertus Magnus in presenti, quem citat, & sequitur Caietan. cap. 2. de Ente, & essentia quaest. 5. in fine. Ferrara 4. contragen. cap. 87. Soto hic q. 2. ad 1. post quos nullum Thomistarum vidi, qui ab eis dissentiat. Cum quibus, quoad hoc, cōsentiunt Durandus Toletus, & Vazquez q. præced. relati. Et Fôseca lib. 5. Metaph. cap. 13. q. 1. sect. 3. & Paulus Venetus lib. 5. Metaph. cap. 12. à quibus solis vocibus differre Thomistas pro alijs sententijs relatos, dicenda monstrabunt.

## §. II.

*Termini exponantur, & status controuersia.*

6 **D**ico primò; realiter loquendo, extensio partium in se, situs, indivisibilitas radicalis, & ratio mensura,

suræ, de quibus relatæ sententiæ lo-  
quuntur, sunt omnino idem. Ita a-  
perte colligitur ex locis relatis S.  
Thomæ, & alijs referendis. quia si  
idem non existimaret per istas vo-  
ces significari, non ita varie loque-  
retur de ratione propria quantita-  
tis. Vnde opusc. 48. apud D. Tho-  
mam tractatu de Quantitate cap.  
5. dicitur: *sciendum est, quod cum quan-  
titas sit mensura, siue extensio substantiæ,  
vt supra dictum est: realiter ergo idem  
putat his vocibus exprimi. Quod  
autem idem sit extensio, & ordo  
partium, ac situs, de quo in præsen-  
ti, patet ibi cap. 4. & de prædicamen-  
to Situs cap. 1. & lib. 4. Physicorū  
lect. 7. Hoc autem nō differre ab in-  
diuisibilitate, manifeste patet ex eo-  
dem D. Thoma opusc. 70. quæst. 5.  
art. 3. vbi dicit, quod facere diuisibi-  
litatem cum quantitati competit, in quantum  
in sua ratione scilicet quasi differentiā  
constitutiuam habet, quod vbi latius est,  
quam ordo partium.* Idem videri po-  
test in 4. distinct. 44. quæst. 2. art. 2.  
quæst. 2.

7 Quoniam huius conclusionis  
probatio, est terminorum expli-  
catio iuxta mentem antiquorum;  
ideo notandum, quod vt dicit Phi-  
losophus 10. Metaph. textu 2. lect.  
2. in principio, *mensura est id, quo quan-  
titas rei cognoscitur.* Vt autem aduer-  
tit S. Thomas in 1. distinct. 8. q. 4.  
artic. 2. ad 3. illud quo innotescit  
quantitas rei, *debet esse minimum in  
genere quantitatis, vt sit fixum, & mē-  
sura aliorum; & ita debet esse indi-  
uisibile: vel simpliciter, vt in nume-  
ris, quæ mensurantur unitate, quæ  
est minimum simpliciter: aut mini-*

num secundum positionem nos-  
tram: sicut in continuis, in quibus  
non est minimum simpliciter; vnde  
ponimus palmam loco minimi ad  
mensurandum pannos; vel stadium  
ad mensurandum viam. De quo vi-  
deatur S. Thomas lib. 5. Metaph.  
lect. 8. & lib. 1. Post lect. 26. in fi-  
ne, & quæ dicentur infra quæst. 16.  
§. 1.

8 Notandum secundo, ex D.  
Thoma in 2. distinct. 2. q. 1. artic.  
2. ad 1. & quæst. 1. de Veritate ar-  
tic. 5. quod *mensura* est duplex: quæ-  
dam *intrinseca*, quæ est in mensura-  
to sicut accidens in subiecto: & hoc  
multiplicatur ad multiplicationem  
mensurati; sicut plures lineæ sunt,  
quæ mensurant longitudinem plu-  
rium corporum æqualium. Est e-  
tiam quædam mensura *extrinseca*: &  
hanc non est necesse multiplicari  
ad multiplicationem mensurato-  
rum sed est in vno sicut in subiec-  
to, ad quod multa mensurantur; si-  
cut multi panni mensurantur ad  
longitudinem vnius vlineæ: & hoc  
modo multi motus mensurantur  
ad numerum vnius primi motus.

9 Tertio aduertendum, quod  
vt habetur opusc. 48. apud D. Tho-  
mam tractatu de Quantitate cap.  
1. *mensurari* potest sumi dupliciter:  
vno modo vt idem sit, quod certifi-  
cari apud intellectum, quot sunt  
aliquæ res; in quantum aliquis per  
vnum aliquoties replicatum, certi-  
ficatur de numero illorum, quæ  
numerat: & isto modo sumpta nō en-  
sura, est proprietas accidentalis ip-  
sius numeri, & conuenit etiam vni,  
quod conuertitur cum ente. Alio  
mo-

modo sumitur mensurare, pro eo quod est facere tot res formaliter, sicut albedo formaliter facit albū: & talis mensura est de ratione vini, vel numeri: de quo iterum q. 16. num. 17.

10 Quod autem mensura, in isto sensu, sit de ratione quantitatis, constat ex eo, quod illa extendit partes; ac proinde, dat illis magnitudinem, & mensurat intrinsicè: quia substantia habet quod sit tanta, à quantitate. Quam rationem prosequuntur Sanchez libro 5. Logicae quaest. 15. & PP. Carmel. disput. 13. quaest. 2. qui num. 12. bene addunt, quod quaecumque quantitas simul est mensura, & mensurata: eo quod proprium subiectum mensurat intrinsicè; & constituit aptum ut passivè mensuretur per aliam mensuram extrinsecam, & quod si fuerit in aliquo sensu minima, assumatur ut aliorum mensura.

11 Totum hoc videtur indicasse Philosophus in hoc capite, cum dixit esse maxime propriū quantitatis ut ratione illius res dicantur aequales, vel inaequales: nam ut dicit 10. Metaph. textu 15: *aequale dicitur quasi per negationem maioris, & minoris*: est autem duplex maioritas; alia in perfectione: & haec est magnitudo spiritualis, propria quantitatis virtutis, quae est quantitas metaphorice: alia est magnitudo molis, quae in solis rebus corporalibus est, & dicitur *quantitas dimensiva, & molis*, ut patet in D. Thoma 1. p. quaest. 42. art. 1. ad 1. ubi assertit illud Augusti, 6. de Trinitate, quod in his, quae non

*mole magna sunt, hoc est malus esse, quod melius esse.* Ergo extensio quantitativa, quae constituit molem, est dimensio, & mensura, à qua sumitur maioritas, & minoritas corporum: ac proinde, realiter idem est extensio, dimensio, mensura, & quantitas molis.

12 Clarius autem apparet, quod *Situs*, de quo in praesenti, sit idem ac extensio partium in ordine ad se: quia *positio partium* est duplex; alia in ordine ad locum; & positio ista constituit speciale praedicamentū, quod dicitur, *Situs*: alia positio extendit; & ordinat partes in se, & est *Situs*: seu *ordo partium in toto*: & sic est proprium, & intrinsicū quantitati: & non differt ab extensione: quia ista non solum dicit, quod una pars sit extra aliam; sed etiam, quod una pars uniat alteri secundum extremitatem; & non se tota: & sic ponitur partium ordo in se, & tollitur illarum confusio, ut explicant Mag. Ioan. à S. Thoma q. 16. art. 1. in 2. ratione conclus. & M. Ortiz tract. 3. confer. 3. §. 2. unde idem est partes extendi, ac in se situari.

13 Rursus, quod *indivisibilitas*; de qua loquitur penultima sententia, ab omnibus istis realiter non differat; ex illius sententiae authoribus constat: nam Soncinas solutione ad tertium ait; per divisibilitatem non accipio potentiam ad divisionem; sed respectum partium ad totum. Et clarius ad primum dicit, quod idem est asserere, quod aliquid est ens divisibile in partes eiusdem rationis, ac dicere, quod est ens habens partes eiusdem rationis: nam ista (inquit)

quit) accipio pro eodē. Idē patet in Capreolo, vt notat Suarez, n. 4. Loquūtur ergo de diuisibilitate radicali, quæ est ipsa extensio in ordine ad totum. Videatur S. Th. in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. q. 3. incor. & ad 3.

14 Addere possumus, quod extensio *situ*alis in aptitudine, de qua loquitur sententia Suarez, in re non differt à situ in ordine ad se: quia expressè dicit Suarez, quod extensio *situ*alis in actu, est posterior quantitate, quia in Eucharistia est sine illa; alia autem situatio aptitudinalis esse nō potest, nisi extensio partium in ordine ad se: vel si alia est, illam nobis explicent.

15 Demum dico, quod *impenetrabilitas*, qua Recentiores explicāt essentiā quantitatis, non distinguitur ab ipso situ, seu extensione in se, secundum quod dicit negationem, vel repugnantiam cum alio. Quod optime notauerat S. Thomas in 4. dist. 44. q. 2. art. 2. quæstione 2, dicens: *nihil potest prohibere corpus ali- quod ne sit simul situatum cum alio corpore in eodem, nisi hoc, quod in eo requirit diuersam situm: nihil enim est impediuentum identitati, nisi quod est causa diuersitatis.* Et infra concludit: *restat ergo, quod necessitas distinctionis duorum corporum in situ, causatur à natura quantitatis dimensionis, cui per se conuenit situs: cadit enim in definitione eius: quia quantitas dimensionis est quantitas habens situm.* His verbis S. Th. optime explicatur, quod nunc intendimus; & aperitur via vt postea reijciamus priorem sententiā: quia impenetrabile cū alio dicitur, quod vim habet excludēdi illud à suo lo-

co; quā vim nō haberet, nisi haberet sitū: quia vt optime ait S. Th. *nihil est impediuentū identitati, nisi quod est causa diuersitatis: & hoc est situs, & ordo partium in se, quæ est prior, & ratio huius impediuenti, sicut, & capacitatis situationis localis.*

16 Sed obijcies: nā si hæc cōclusio est vera, sequitur parū referre vnā, vel aliā ex relictis sētētijs sequi: quin potiū omnes erūt simul veræ: quod tamen earum Authores nō permittunt: quia ita propriam sententiam propugnant, quod alijs impugnant expresse, & expresse.

Respondetur, quod sicut attributa entis realiter non differunt ab ente, & proprietates substantiæ, diximus quæst. 12. num. 10. sb ipsa realiter non differre; ita idem nunc affirmamus de quantitate: sicut autem quæritur, quæ sit propria ratio entis vt præuenit attributa? Et inquiritur conceptus quidditarius substantiæ, cui attribuantur eius proprietates; ita idem merito inquirendum restat de propria ratione quantitatis: nam Antonius Andreas, apud lauellum 5. Metaph. quæst. 20. existimauit omnes recensitas esse passiones quantitatis, & prædicari de ea in secundo modo dicendi per se; alij vero existimant vnā illarum explicare conceptum quidditarium; & ita videndum restat qualiter sentiendum in hac parte? Et licet plures solum in modo loquendi differant, est quia non eodem sensu voces vsurpant: & quia quidam loquuntur secundum considerationē logicā, ad quā per se pertinet cōsiderare quan-

quantitatem secundum rationem mensuræ, vrayt. S. Thomas lib. 5. Metaph. lect. 16. alij vero inquirunt, & explicant conceptum metaphysicum, & quidditativum quantitatis, de quo est præcipua difficultas.

### §. III.

*Extensio partium est propria ratio quantitatis.*

17 **D**ico secundo; extensio partium in ordine ad se, seu earum situs in se, seu illarum ordo, est ratio formalis, & essentia quantitatis. Sumitur ex D. Thoma 1. p. quæst. 14. art. 12. ad 1. dicente: *de ratione quantitatis est ordo partium.* Et libro 4. contragentes cap. 65. dicit: *positiv, quæ est ordo partium in toto, in eius ratione includitur.* Idem docet opusc. 70. & 48. & in 4. distinct. 44. & distinct. 12. locis in hac quæst, relatis.

Ratio est facilis: nam extensio, & ordo partium præstatu à quantitate, & est fundamentum eorum, quæ à quantitate præstantur: ergo hæc est essentialis ratio eius. Consequentia paret: quia conceptus essentialis est quidditativus, & passionum radix. Antecedens vero probatur: quia situs iste, & partium ordo accidit substantiæ: quia vere possumus eam definire, non explicato isto ordine: imò posset à Deo poni sine illo: sed non est assignabile aliud accidens, quod hoc præret: ergo id communicatur à quantitate. Quod autem sit radix aliarum

proprietatum, constat, quia prius constituitur dimensio in se, quam sit mensura, vel mensurabilis, & quam sit diuisibilis. Et sic de reliquis.

18 Secundo probatur: quia illa est ratio per se in genere, secundum quam accipiuntur eius differentiæ, per quas diuiditur in species: sed species per se quantitatis, accipiuntur ex diuersa extensione continua, vel discreta: ergo hæc est propria ratio quantitatis. Et rursus, per extensionem, & molem differt per se à quantitate perfectionis & virtutis.

19 Demum probatur, reiiciendo reliquas sententias: quia à sufficienti enumeratione, sola sententia S. Thomæ relinquetur vera. Prima deficit, quia quæstionem insolutam relinquit.

Secunda, quia explicat essentiam quantitatis per exigentiam effectus secundarij, sine quo quantitas est in Eucharistia: & debet et ulterius explicare, quid in se sit illud, quod hanc habet exigentiam? Et hoc explicare non possunt, nisi labantur in sententiam Thomistarum, quam impugnant.

20 Eodem vitio laborat tertia sententia: Et rursus, quia impenetrabilitas actualis est auferibilis diuinitus à corpore: vis positiua ad non se penetrandum, est ipsa extensio, & situs: & ita incidunt in sententiã, quam impugnant. Et in se non considerato ordine ad aliud, debebant explicare constitutum quantitatis: quod est accidens absolutum. Demum, formalissime prius esse posse

posse occupare locum, quam aliud à loco expellere; ergo impenetrabilitas non est prima, & essentialis ratio quantitatis.

21. Quartus dicendi modus potest sustineri, si loquatur de quantitate ut à Logico consideratur; & sic intelligendus auctor illius opusculi (qui non est S. Thomas, ut omnes norunt, & patet ex editione Romana) nunc autem præcipue investigamus primum metaphysicam quidditativum quantitatis conceptum: mensura, autem, extensionem, vel indivisibilitatem commensurabilem supponit.

22. Alium dicendi modum non approbamus: quia divisibilitas radicalis confuse explicat, quod clare exprimitur verbis nostræ conclusionis: & formalissime prius concipitur extensio, quam divisibilitas: & divisibilitas demonstratur de quantitate 6. Metaphysicæ: ergo non explicat immediate essentialiam; sed solum à posteriori, & per proprietatem, quoad nos notiores.

23. Sed obijciunt Recentiores: impenetrabilitas est propria solius quantitatis, & radix cæterorum, quæ in illa reperiuntur: ergo impenetrabilitas est essentia quantitatis. Antecedens constat experientia quod primam partem, quia in nullo novimus impenetrabilitatem, nisi in quantitate. Quod autem sit radix aliorum, probant: quia ex illa provenit extensio actualis, & quod quantitas possit dividi &c.

Respondetur negando antecedens pro secunda parte. Eius probatio, vel allumit aliquid aperte fal-

sum, vel aliquid quod non est ad rem: quod sic patet: nam si facit comparisonem cum actuali extensione in ordine ad locum; non loquitur ad rem: quia nullus in illa constituit essentialiam quantitatis: cum in Eucharistia detur quantitas non extensa in ordine ad locum. Si vero comparat impenetrabilitatem cum extensione partium virtuali in ordine ad se, non video quo medio possit probari, quod eam antecedit impenetrabilitas: imo clarissimum est, quod eam subsequitur: quia actus primos cognoscimus per actus secundos: unde sicut in exercitio, prius quantitas extenditur in se, & postea occupat locum, & hinc habet vim aliud expellendi, seu ad non se penetrandum cum illo; ita ex parte actus primi proportionaliter idem ordo debet servari, ut ex D. Thoma illa distinct. 44. dictum est.

§. IIII.

*Exponitur definitio Philosophi.*

24. **V**T Authoritates adductæ pro penultima sententia exponantur, explicanda est definitio quanti assignata à Philosopho 5. Metaphysicæ textu 18. his verbis: *quantum vero dicitur, quod est divisibile in ea quæ in sunt, quarum utrumque, aut singulum, vnum aliquid, & hoc aliquid apertum natum est esse.*

25. Quam Philosophorum Principis definitionem, tali exornat commentario P. Arriaga disput. 5. Metaphysicæ, sectione 1. sub sectione

tionem 2. numero 18. ita formaliter scribens ; aduerte ; hanc non esse definitionem quantitatis ; sed quanti in concreto : est in super obscura : videturque conuenire rebus non quantis : nam homo ; vt totum essenziale ; est diuisibile in animam ; & corpus. Deinde ; non est de essentia rei quantæ posse diuidi naturaliter in duo ; vt patet in celo non fecabili naturaliter. Diuinitus autem etiam forma materialis sola ; vel sola accidentia ; aut sola materia sine quantitate potest diuidi in ea quæ insunt. Et tandem concludit ; quod nec per effectus secundarios hæc est rigorosa definitio : & ideo melius definitur : quantitas est radix impenetrabilitatis. Hæc ille.

26 Sed leuia sunt hæc ; vt tanti Philosophi ; ab omnibus receptam definitionem ; audeat deserere : cum tamen ipsorum solutionem ; & breuem ; & claram definitionis Philosophi expositionem ; posset in Angelico Doctore legere ; qui ibi in principio lectionis 15. ita ait : primo ponit rationem quantitatis ( ecce ; quod quantitas definitur ; quod subsequentes diuisiones declarant ) dicens ; quod quantum dicitur ; quod est diuisibile in ea ; quæ insunt : quod quidem dicitur ad differentiam diuisionis mixtorum : nam corpus mixtum resoluitur in elementa ; quæ non sunt actu in mixto ; sed virtute tantum : vnde non est ibi tantum diuisio quantitatis ; sed oportet ; quod ad sit aliqua alteratio ; per quam mixtum resoluitur in elementa. Et

iterum addit ; quod vtrumque ; aut singulum est naturæ esse ; vnum aliquid ; hoc est ; aliquid demonstratum. Et hoc dicit ad remouendum diuisionem in partes essentielles ; quæ sunt materia ; & forma : nam neutrum eorum aptum naturæ est esse vnum aliquid per se. Hæc S. Thomas ; quibus est explicata definitio ; & solutū primum argumentum.

27 Secundum posset Arriaga obijcere contra suam definitionem : quia dicit Apostolus : quod habemus pontificem ; qui penetravit caelos ; Iesum ; &c. Et sicut ipse respondebit ; quod loquitur de impenetrabilitate in actu primo : ita Philosophus dicit ; quod ex ratione intrinseca quantitatis non repugnat diuisio ; sed ex forma ; vel modo informandi. De quo videatur S. Thomas 1. Physicorum lectione nona.

28 Vltimum ; minoris est momenti : quia Philosophus lumine naturæ ductus miracula supernaturalia non nouit : & licet in alio ordine rerum diuisio fieri possit corporis sine quantitate ; non inde infertur ; quod conaturaliter hoc non pertineat ad quantitatem ; cuius essentiam per proprietatem ; notiolem quoad nos ; voluit Philosophus declarare ; vt notauerat Flandria libro 5. Metaphysicæ quæst. 14. artic. 1. ad vltimū : vbi ; si vis potest videre quinque argumentorum solutiones.

29 Ex D. Thomæ verbis relatis num. 15. elici potest alia quan-

titatis descriptio talis: *quantitas est accidens tribuens substantie extensionem, seu situm: in quo explicatur primarius eius effectus, in quo fundatur ratio mensurae, & indivisibilitas: & inde oriuntur ut effectus secundarii, replere locum, & non posse cum alia quantitate in eodem loco penetrari: quia Deus, & Angelus, qui situm corporeum non habent, simul sunt ubi est corpus habens extensionem, & situm absque vilo miraculo, aut penetratione.*

QVÆSTIO XV.

*Vtrum quantitas realiter distinguatur à re quanta?*

§. I.

*Sententia negativa.*

**P**roponitur quæstio his generalibus verbis: quia non solum in dubium vertitur distinctio quantitatibus à materia prima, sed etiam distinctio illius à forma substantiali, & à qualitate, & alijs accidentibus. Opinantur enim Nominales, quod quantitas non distinguitur realiter à substantia, vel qualitate, aut alijs accidentibus; & ita tot sunt quantitates quot entia corporalia, vna videlicet, identificata cum materia, alia cum forma, & aliæ cum reliquis qualitatibus. Ita Occham in 1. p. Logicae cap. 44. & 45. & Quodlib. 4. q. 29. vsque ad 33. & Quodlib. 7. q. 25. & in

4. sentent. q. 4. Grabietin 2. dist. 10. & alij Nominales: quia distinctio realis entitatum adstruenda non est, sine vrgenti necessitate: sed omnia propter quæ cogitatur quantitas realiter à re quanta distincta, saluari possunt sine tali distinctione: quia hucusque ad eam adstruendam, nec demonstratio, nec experientia, nec aliquid à Deo reuelatum adductum est; quod nõ probabiliter solvatur: ergo quantitas realiter non distinguitur à re quanta.

2. Affinis est præcedenti sententia Arriagæ disput. 5. Metaph. sect. 1. ubi dicit probabilius esse, quod quantitas non distinguitur à materia prima. Imo subsect. 3. n. 21 id assertiue ex propria sententia docet. Quæ videtur fuisse sententia Platonis relati à Philosopho 1. Metaph. textu 5. & à D. Thoma 3. p. quæst. 77. artic. 2. verbis adductis à nobis quæst. 13. n. 1.

§. II.

*Vera sententia auctoritate probatur.*

**D**icendum tamen est, quantitatem esse accidens realiter distinctum à substantia, & qualitate, & alijs huiusmodi accidentibus quantis. Ita S. Thomas alla quæst. 77. & in 4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 1. quæst. 3. quem omnes Thomistæ sequuntur; & specialiter videndi Soncinas lib. 5. Metaph. quæst. 19. & Soto hic q. 2. Docuit idem Scotus in 4. dist. 12. quæst. 2. & in 2. dist. 2. quæst. 9. esse

Esseque communem Theologorum, & Philosophorum, testatur Suarez disp. 40, sect. 2. à qua nullus recentiorum audet explicite, & in manifesto dissentire: & merito, quia cum pro contraria fere nullum argumentum positivum adducatur; suspicandum non est tot eruditissimos viros rationem non habuisse efficacem: quamvis istius, vel illius intellectus minus perspicacis, acumen lateat.

4 Afferit P. Suarez num. 7. & post eum, alij Recentes, verba Philosophi 7. Metaph. textu 8. dicitis: *longitudo, latitudo, & profunditas, quantitates quaedam sunt, sed non substantia: quantitas enim non est substantia; sed magis cui hac primo insunt.*

Hæc tamen autoritas expressa quidem esset, si contineret propriam mentem Philosophi: verumtamen illa potius sunt quodam argumentum antiquorum, quod contra se obijcit; quam propria doctrina. Quod notat S. Thomas ibi lectione 2. littera d. prope finem dicens: *decepit autem antiquos Philosophos hanc rationem inducentes. ignorantia forme substantialis, &c.* Unde verbis relatis non probatur intentum.

5 Melius probatur ex verbis sequentibus, ubi ait: *dico autem materiam, quæ secundum se, nec quid, nec quantitas, nec aliud aliquid eorum dicitur, quibus est ens determinatum.* Vbi videndus S. Thomas littera e. Ex professo quæstionem ad utramque partem disputat Philosophus libro. 3. Metaph. lect. 13. ex cuius mente S. Thomas ibi in fine lectionis concludit: *ipse autem dimensiones pertinent ad*

*genus quantitatis; quæ non sunt substantia, sed accidentia; quibus subjicitur substantia composita ex materia, & forma.*

Rursus Philosophus 1. Physicorum textu 13. contra Parmenidem, qui dicebat omnia esse unum, arguit quia *substantia, & quale, & quantum multa sunt, quæ sunt.* Quæ ratio nulla esset, si non loquitur de distinctione reali. Unde subdit: *si quidem igitur substantia est, & quantum, & duo, & non unum est, quod est.* Videatur S. Thomas ibi lect. 3. littera a.

6 Docuit idem S. Augustinus lib. 5. de Trinitate capite. 10. inter alia dicens: *in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est &c.* Magnitudo autem est ipsa quætitas mollis, quæ dicitur quantitas dimensiva: ergo quantitas realiter distinguitur à re quanta.

### 6. III.

#### *Rationes communis sententiæ.*

7 **R**atione solet probari: quia nullum accidens reale potest esse idem realiter cum substantia: eo quod eadem entitas non potest realiter esse per se, & realiter esse in alio: sed quantitas est accidens reale: quia præstat substantiæ omnes effectus reales, hucusque recensitos: ergo non potest esse idem realiter cum substantia.

Hæc ratio in doctrina Philosophi, & S. Thomæ, efficax est: quia licet prædicamenta accidentium inter se, non differant realiter; à substantia tamen, omnia, quæ vere

cidètia sunt, realiter differunt. Quia tamen id non admittunt Nominales: & etiam negant innotem: eo quod non reputant nisi secundo intentionaliter accidere, vt passiones notionales accidunt, substantiæ; ideo oportet assignare aliam rationem apud omnes efficacem.

8 In primis est validū argumentum desumptū ex SS. Eucharistiæ sacramento, in quo quantitas panis manet, post desitionem substantiæ panis, & conuersionē illius in corpus Christi: quæ autem realiter reparantur, realiter distinguuntur.

Occurrunt Nominales dicendo, quantitatē substantiāle, identificatā cum pane, desinere ad eius desitionem; solum autem remanere quantitates identificatas cum accidentibus.

9 Sed contra primo: nam extensio, vel impenetrabilitas, vel ratio mensuræ, vel quæcumque alia ponatur esse propria ratio quantitatis, sunt eiusdē rationis in omnibus quantis per se: sed effectus formalis eiusdem rationis prouenire debet ab eadē forma: ergo in vno indiuiduo corporeo, habente plura accidentia vna tantum est quantitas.

Secundò: si accidètia in Eucharistia non vniuntur in vna quantitate, non est per quid vniuntur inter se: vt inductione patere potest: sed hoc ad sensum apparet esse falsum: quia simul mouètur, & manent omnia accidentia cum eadem colligatione, ac cum erat ibi substantia panis: ergo vniuntur vt in subiecto in vna quantitate.

10 Tertio est argumentum S.

Thomæ 3. p. q. 77. art. 2. *nam qualitates non sunt diuisibiles, nisi per accidens ratione subiecti: sed diuiduntur accidentia, quæ remanent in sacramento, vt patet cum in missa frangitur hostia consecrata: ergo est vna quantitas, quæ est commune qualitatibus subiectum.*

Quartò, & vrgentius, arguitur ex doctrina S. Thomæ ibi art. 5. docentis, quod ex speciebus sacramentalibus ab agentibus naturalibus aliqua vere, & proprie generantur: quod ad sensum patet: *nam generantur cinere, si comburantur; vel vermes si putrescant; vel pulueres, si conterantur: quod fieri non posset, si istorum accidentium non daretur aliquod commune subiectum gerens vicem materiæ, in quo alterationes recipebantur, & medijs illis, formæ introducerentur.*

Respondet Hurtado disp. 13. Metaph. sec. 2. Deum ad præntiā istorum agentium has formas miraculose introducere ad mysteriū occultandum; sicut, & miraculose materiam creat, vel quantitatem in illam cōuertit, nec oportet nos parcos esse circa multiplicationem miraculorum, in mysterio in quo *mentis Deus fecit mirabilium suorum.*

11 Hanc tamen euasione prænegerat S. Thomas illo artic. 5. dicens: *verum quia non rationabiliter videtur dici, quod miraculose aliquid accidat in hac sacramento, nisi ex ipsa consecratione, &c.* Quod est dicere, vt mysteria minus incredibilia reddantur, & non tam difficilia; non sunt adstruenda miracula sine necessitate, aut euidenti ratione deducta ex re-

uelatis: sed vix est aliqua ratio probabilis pro sententia Nominalium; & hæc sententia communis, adhuc sine luce fidei erat communis Philosophorum: ergo irrationabiliter miracula coniunguntur ut positiones extraneas, & a scholis exulantes, defendant.

Rursus; eadem licentia multiplicandi miracula possent dicere, redire materiam panis, quæ antea erat: vel quod, id quod generatur, non constat materia: quod ipsi impugnant. Et similia facile possent deduci. Vnde merito dixit M. Soto, quod mysterium Eucharistiæ multo sit nobis intelligibilius, si ponamus quantitatem esse in sacramento, velut subiectum aliorum accidentium. Nec mirum, quod isto argumento, ad res istas naturales cognoscendas utamur: nam fidei lumen multa etiam naturalia illustrat.

12 Respondet Arriagan. 4. primo, manere ibi etiam vbicationes materiæ (quæ cum sint accidentia realia, & fides doceat manere ibi omnia accidentia, necessario debet ibi manere) illæ autem sunt, quæ proxime fundant impenetrationem quatenus natura sua sunt impossibiles cum alijs vbicationibus alterius materiæ. Secundo respondet, Deum impedire penetrationem eorum accidentium, ne tantum miraculum pateat.

Hanc secundam euasione iam præclusimus: & ulterius reijcitur: quia accidentia post consecrationem eodem modo sunt ac antea: sed non erat miraculum, quod antea penetrarentur, in sententia Nominalium:

ergo nec postea ad hoc, miraculo indigent. Ponere autem quantitatem, quæ natura sua non sit impenetrabilis, est destruere quantitatem; quia hæc est eius proprietas, in nostra sententia; & est quantitatis essentia, in sententia Arriagæ.

13 Minus valet prior euasio eius: p. imo, quia ut ait S. Thomas 3. p. quæst. 76. artic. 5. ad 3. esse in loco est accidens per comparationem ad extrinsecum continens: nec conuenit nisi media quantitate, & per correspondentiam ad extrinsecum: & variatur localiter notis speciebus: vnde omnino falsum est, quod semper remaneat vbicatio materiæ, quæ fuit.

Secundo; etiam est falsum, quod vbicationes fundent impenetrationem; sed potius ipsa materia, & extensio, & moles eius, ut docet S. Th. in 4. dist. 44. quaest. 2. art. 2. quaest. 2. fundant impenetrationem cum alio corpore. Et ideo admittit S. Thomas 3. p. quæst. 76. art. 5. ad 2. esse miraculum, quod dimensiones separatae à materia repleant locum. Et quamuis ibi indicet esse probabile, quod hoc habent dimensiones ex natura sua, quod est posse replere locum: nullus tamen potest admittere, quod hoc proueniat ab, vbi: quia hoc potius supponit corpus in ioco situatum: quod impedit ibi aliud simul situari. Valeant ergo euasiones istæ: quia in vanum excogitantur, pro opinione reiecta, & relicta ab omnibus, patrocinandæ.

14 Aliam rationem, peculiari-  
ter militentem contra Nominales;  
proponit M. Soto in hac forma: si  
quan-

quantitas non distinguitur à re quanta, sequitur, quod tot sunt quantitates in individuo aliquo, quot sunt ibi res corporeæ: verbi gratia, in ligno, vna erit quãritas materiæ, alia formæ, alia coloris, alia humiditatis, alia frigiditatis, & similiũ qualitatum: consequens est falsum: ergo est falsum, quod quantitas non distinguitur a re quanta. Maiorem ipsi cõcedunt: vnde sola minor probatione eget. Sic ergo probatur: si in eodẽ subiecto essent plures quãtitates penetratiue se habentes, nulla posset assignari ratio naturalis, cur duo distincta corpora non possent se naturaliter penetrare in eodem loco: quod tamen esse absurdũ per se patet, & experientia constat. Probat sequela: nam nulla alia ratio est cur lapis, & lignũ non possunt esse in eodẽ loco, nisi quia duæ quantitates non possunt se penetrare: cum tamen cõcedamus Deum, & Angelos carentes quantitate, esse vbi sunt corpora: sed omnes illæ quantitates ligni essent simul coextensæ in eodem loco: ergo pariter simul ibi esse possent quantitates lapidis. Desumpta est hæc ratio ex Philosopho, & S. Thoma lib. 2. de Anima textu 69. lect. 14. littera f. vbi ad probandum, quod *lumen non est corpus*, sic arguunt: *impossibile est duo corpora esse simul: si ergo lumen est corpus impossibile est quod lumen sit simul cum corpore diaphano: hoc autem est falsum: ergo lumen non est corpus.* Qua etiam ratione vtitur S. Thomas 1. p. q. 67. artic. 2.

15 Dices: disparem esse ratio-

nem: nam quantitates materiæ, & formæ, & accidentium totius compositi, vniuntur per modum actus, & potestatis; & sic possunt esse simul: at vero quantitates diuersarum suppositorum hanc vniõnem non habent, & ideo non possunt esse simul, nec ad inuicem penetrari.

Euationem hanc bene reijcit M. Soto, primò: quia petit principium: hoc enim contendit argumentum, quod si materia, & forma haberent distinctas quantitates, nullo modo forma informaret materiã: quia non possent se penetrare, magis quam lignum, & lapis: nam ea ratione qua quantitates nõ possunt se penetrare, repugnaret illis vniri in eodem loco adæquate; aut si non repugnaret illis vniri, pari ratione nec repugnaret esse simul, licet non vnirentur.

16 Secundo, in casu quo substantia separaretur ab accidentibus; vel in casu illo, quod admittit S. Thomas in 4. dist. 44. quæst. 2. artic. 2. quæst. 3. ad 3. *quod Deus faceret aliquod corpus, quod non esset in loco;* posset esse simul cum alia substantia (quamuis eam non informaret) sicut Angelus est simul cum corpore ergo repugnantia existendi in eodem loco, non est ex eo, quod non vniantur; sed quia duæ distinctæ quantitates distinctum habent situm.

Præter quã quod, eum iuxta eorũ sententiam, accidentia in Eucharistia non vniantur in vna quantitate, vel subiecto communi, & sint ita simul, ac erant antea;

fit manifestum, quod antea penetratio non proveniebat ab unione, sed quia una sola erat omnium quantitas.

Rationes alie, quæ possent ponderari, pendent ex dicendis in physica de punctis continuatiuis, & terminatiuis, & ideo nunc omittende.

¶ Ratio prioris sententiæ, euanescit per fundamenta nostræ.

17 Præterea solet argui: nam secundum Philosophum capite de substantia, proprium substantiæ est, quod una numero sit susceptiva contrariorum: sed si quantitas esset accidens distinctum à substantia, esset subiectum aliorum accidentium: ergo falsum est, quod quantitas distinguatur a re quanta.

Respondetur ex supra dictis q. 12. n. 7. quod proprietas illa substantiæ, intelligitur de susceptione contrariorum, per modum subiecti quod: quantitas autem solum est subiectum quo: nam, ut ait S. Thomas q. unica de Spiritualibus creaturis artie. 11. ad 13. *Subst. initia rec. pit unum accidens alio mediante, sicut colorem mediante superficie.* Quod & docet S. Thomas 3. p. q. 77. art. 2. ad 1. & hoc modo, inquit, *superficies, quæ est quedam species quantitatis, dicitur esse subiectum coloris, nepe, ut no, & ut ratio, media qua alia accidentia insunt substantiæ, quæ est subiectum quod.* Subdit autem S. Thomas: *Unæ quando accidenti datur diuisus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidenti subiectum esse, etiam ut quod: & ideo ipse S. Thomas in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. quæstiuicula 3. ad 2. loquendo de quantitate in Eucharistia miracu-*

lose existente sine substantia, ait quod in prædicando, & subiungendo accipit modum substantiæ, & accidentis: *ut de lineam dicitur, & quantitatem, & quantitatem, & magnitudinem, & magnam.* Quod latius explanare ad Theologos attinet.

## QVÆSTIO XVI.

*Vtrum numerus sit vere, & proprie species quantitatis discreta?*

1. Q. V13, ut inquit S. Thomas in 1. dist. 24. q. 1. artic. 3. ad 3. *Ratio diuisionis, & quantitatis, & mensura secundum Cõ. entat. 10. Metap. textu 2. prius inuenitur in quantitate discreta; quam in quantitate continua; de quo Flandria lib. 10. Metap. q. 2. artic. 2. late disputat; ideo Phil. cap. de Quantitate, præponit discretam continuæ numerando, & declarando, ut ibi notat Caiet, quia quantitas discreta secundum suam rationem prior naturaliter est continua: eo quod unitas, quæ est principium quantitatis discretæ, est prior puncto, qui est principium quantitatis continuæ. Et ob hanc causam opusc. 48. apud D. Thomam prius explicantur species quantitatis discretæ, quam species quantitatis continuæ. Quem ordinem nos imitantes, incipimus à speciebus quantitatis discretæ: de quibus tria videnda sunt: quia enim principium numeri est unitas, disputandum primo est de unitate; secundo agendum de ipso numero; & tandem inquiretur, an, præter numerum, datur aliqua alia species quantitatis discretæ? de quo q. seq.*

## §. 1.

*Vtrum vnitas predicamentalis  
addat aliquid supra quanti-  
tatem continuam?*

**N**egatiuam sententiã, ex Tho-  
mistis tenent Soncinas lib.  
10. Metaph. q. 2. vbi talẽ proponit  
conclusionẽ: vnitas, qua lapis est v-  
nus numero, est eiuscõtinuitas, sive  
quantitas dimensiuã. Idẽ docet So-  
to q. 2. de Quantitate cõcl. 2. dicẽs,  
quod vnitas non distinguitur a quã-  
titate continua. Tinetque Flãdria  
lib. 4. Metaph. q. 3. art. 7. & fuit sen-  
tentia Hervei quodlib. 8. art. 2. Eos  
sequitur nouissime Lerma libro 7.  
Logicę quæst. 13. Extra scholam  
S. Thomæ docuerunt idem Duran-  
dus in 1. dist. 24. q. 2. & ibi Grego-  
rius. & Suarez disp. 4. Metaph. sect.  
9. n. 9. & alij authores cõmuniter.

3 Per oppositum alij docent  
vnitatem predicamentalem addere  
supra quantitatem aliquid positiuũ  
& reale, incompletum, reductiue  
pertinens ad predicamentum quan-  
tatis, ratione cuius componit nu-  
merum, qui est multitudo mensura-  
ta per vnum. In qua sententia plures  
Thomistæ concordant: licet diui-  
dantur in explicando, quid sit illud  
positiuum reale? in duos modos di-  
cendi propositos, & approbatos à  
Capreolo in 1. dist. 24. q. vnica in  
probatione primæ cõclusionis. Pri-  
mus dicendi modus est, quod vni-  
tas, quæ est numeri principiũ, sit es-  
se, quod dat quantitas subiecto: qui

dicendi modus sumitur ex Auicena  
3. Metaph. cap. 2. & ex B. Alberto  
super caput 5. S. Dionisi. de diuinis  
nominibus, & sequitur laeuillus 4.  
Metaph. q. 8. & laus vere similẽ ap-  
pellant PP. Carmelitani in Logica  
disp. 13. q. 6. n. 71.

4 Secundum dicendi modũ, his  
verbis proponit Capreolus: potest:  
etiam dici, quod vnitas, nec est for-  
ma continuitatis, nec esse talis for-  
mæ; sed est quoddam accidens indi-  
uisibile, consequens quantitatem con-  
tinuam: & differt à puncto in hoc,  
quod punctus habet situm in linea,  
vel continuo; non autem vnitas: sed  
habet pro subiecto adequato, & per  
totum continuum, ita quod aucto,  
vel diminuto tali continuo, non re-  
manet prior vnitas, sed alia. Sequũ-  
tur idem Araujo libro 3. Metaph.  
quæst. 3. artic. 3. Zanardus lib. 10.  
Metaph. quæst. 3. ad 3. & PP. Car-  
melitani vbi supra. Et addunt, quod  
huic doctrinæ non parum fauet D.  
Thomas 3. p. quæst. 77. art. 1. &  
Quodlib. 10. artic. 3. vbi expresse  
fatur, quod quando alicui liquo-  
ri permiscetur alter eiusdem spe-  
cies, non manet idem numero, vel  
in toto, vel in parte; secundũ, quod  
mixtio facta est. Et ibi art. 4. & lib.  
3. Metaph. lectione 13. expresse di-  
cit, quod quando duo corpora prius  
diuisa copulantur, corrumpuntur  
duæ superficies terminatiuæ eorũ,  
& fit vna: quando verò vnum cor-  
pus diuiditur in duo, corrumpitur  
vna superficies, & fiunt duæ: quod  
videtur esse non posse, nisi vnitas  
sit accidens quoddam indiuisibile.

5 His non obstantibus, tenenda

est prima sententia; cum qua dicendum numerum predicamentalem non distingui ante operationem intellectus ab ipsa quantitate continua, secundum quod indiuisa in se, & est apta in potentia alia mensurare, & notificare. Ita expresse habetur opusculo 48. apud D. Thomam, tractatu 3. cap. 1. & indicatur à D. Thoma quaest. 9. de Potentia artic. 7. ad 3.

Ratione probatur primò: nã vnũ transcendentale, non addit supra ens aliquid realiter ab ente distinctũ; sed dicit ipsum *ens vt indiuisum*, vt docent Philosophus, & S. Thomas 4. Metap. lect. 2. & late ostendimus ibi Contr. 9. ar. 2. ad 3. vbi & diximus cum D. Thoma, quod hoc est vera definitio vnus, *vnũ est en, quod non diuiditur*: ergo nec vnitas predicamentalis addit aliquid realiter distinctum à quantitate, quæ est in predicamento. Probatur cõsequentiã, primò, quia vt bene notauit M. Soricinus vbi supra, vnũ numerale, & vnũ transcendens, se habent sicut superius, & inferius: ergo sicut quælibet entitas, in quantum est indiuisa, est vna transcendentem; ita entitas in determinato genere quantitatis, in quantum est indiuisa, habet rationem vnus.

Secundò probatur illa consequentiã: nam ideo vnũ transcendens nihil positiuũ addit supra ens, quia intellecta entitate, sine illo superaddito habet quicquid desideratur vt sit vna transcendentem: sed pariter intellecta quantitate vt in se indiuisa, & alteri commensurabili, est quicquid exigitur ad ratio-

dem vnus in genere determinato per cõmesurationem quãtitatiuam: ergo non oportet aliquid aliud superaddere.

6. Secundò probatur principaliter conclusio, & robatur ratio facta, alia quæ indicatur à D. Thoma quaest. 7. de Potentia artic. 9. & in 1. dist. 24. quaest. 1. artic. 3. in cor. & ad 3. & 1. p. q. 30. artic. 3. & desumitur ex Philosopho 10. Metap. textu 2. dicente, quod *numerum cognoscimus diuisione continui*: & ideo in illa solutione ad 3. ait S. Thomas, quod *rationem numeri sequitur intellectus diuisionis continui*. Et 4. Metap. lect. 2. littera c. *numerus ex diuisione continui causatur*. Ex quo sic formatur ratio: posita in rerum natura diuisione continui in partes, etiã si ab illo auferatur omnis alia entitas, intelligitur numerus predicamentalis: ergo supervacaneæ ad hoc alia exigitur entitatis additio. Probatur antecedens: nam duplex est diuisio, alia essentialis, vel formalis, quæ primo inuenitur in affirmatione, & negatione: & hæc facit distinctionem, & multitudinem transcendentem: alia est diuisio secundum quantitatem, quæ fit partitione continui: sed illa fit absque additione alterius predicati essentialis: ergo, & ista fit absque additione alterius pertinentis ad lineam, seu genus quantitatis.

Per quæ non negamus, quod cum numerus est in rerum natura, quantitates ex quibus constat, habeant existentiam indiuisam; imò, id est necessarium; tum ratione genera-

nerali, quia omne, quod est extra causas, existit, vel per se, vel in alio: tum ratione speciali, quia ens ut vnam, est indiuisum; & indiuisio non est nisi existens sit impartita. Sed asserimus, quod ratio formalis vnitatis predicamentalis, non sumitur ex aliqua entitate simpliciter indiuisibili; sed sufficit, quod non diuidatur in genere quantitatis discretæ, ut postea amplius exponetur: per quæ excluditur prior dicendi modus aliorum.

7 Contra vltimum dicendi modum, plura inconuenientia obijcit Soncinas. Primum, quia sequitur, quod cum aliquod animal augetur, esset continuo aliud, & aliud: quia in augmentatione additur quantitas omnibus membris: & quod, si Petro abscindatur digitus, non erit idem numero homo. Demum sequitur, quod dum pluit in mare, mare efficiatur successiue tot indiuidua, quod sunt guttæ, quæ cadunt in ipsum: quia fit continuo additio alterius quantitatis, & ita non remanet prior vnitatis, sed aduenit alia.

Deinde contra eundem obijcit Soto: nam si ternarius, v.g. Papæ, Imperatoris, & Regis, distingueretur ab ipsorum quantitibus ut accidens ipsarum, deberet esse in omnibus simul tanquam in subiecto adæquato: sed est impossibile, quod vna res absoluta sit in subiectis, nõ solum distinctis, sed distantibus: ergo vnitatis quantitativa, seu predicamentalis, non est aliquid distinctum realiter à quantitate.

8 Potissimum tamen argumen-

tum in hac parte est, quia non sunt admittendæ distinctiones sine necessitate: quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora: sed ad omnia, quæ Philosophus, & S. Thomas, & recta ratio docent de numero predicamentali, recte componenda, & intelligenda, non requiritur huiusmodi entitatis additio: ergo non est cur admittatur. Maior probatur argumenta soluendo.

## §. II.

*Soluuntur argumenta.*

**P**rimo est argumentum M. Ia- uelli: nullum ex natura sua diuisibile, & cui repugnat indiuisibilitas, potest habere rationem vnitatis, eo quod vnum est, quod non diuiditur: sed habere partem extra partem, & esse diuisibilem, conuenit quantitati continuæ ex sua ratione formali, & quidditatiua; ut patet ex 6. Physicorum textu 2. vbi dicitur continuum est diuisibile in semper continua: ergo quantitas continua, quocumque modo consideretur, non potest habere rationem vnitatis.

9 Posset in primis argumentum retorqueri contra ipsum: nam existens proportionatur cum illo cuius est existens: ergo si quantitas essentialia predicata habet cum repugnantia ut sit principium numeri; etiã eius actus existentis aptus non erit ad hoc ministerium.

Respondetur ergo verum esse; id quod dicunt Philosophus, & S.

Thomas libro 10. Metaph. lect. 1. littera e. quod proprie vnum est ens indiuisibile. Cæterum indiuisibilitas patitur a latitudine, & potest aliquid esse indiuisibile in genere numeri, & diuisibile in genere magnitudinis: & ideo S. Thomas ibi lect. 2. littera a. dicit: quod quantitas rei cognoscitur per vnum, aut numerum per vnum quidem, sicut cum dicimus vnum stadium, vel vnum pedem. Per numerum autem, sicut cum dicimus tria stadia, vel tres pedes. Id ergo quod in genere pedis, vel stadij est indiuisibile, est diuisibile materialiter in ratione quætitatis

Et vt explicat M. Soto est longe diuerse rationis indiuisibilitas, & diuisibilitas magnitudinis, ac indiuisibilitas unitatis, & multitudinis: diuisio magnitudinis est in partes, quæ antea erant plura solè in potentia; & per diuisionem, & discontinuationem fiunt acta plura multitudinis: verò diuiditur in partes, quæ erant acta plura: & ideo continua quantitas est diuisibilis, vt cõtinaua; & indiuisibilis, vt numerus: vnde Philosophus 8. Metaph. textu 10. ait, quod diuisio quantitatũ continuarũ procedit in infinitũ; diuisio verò numeri minime: quia binarius diuidi non potest in alios numeros: & hoc sensu S. Thomas lib. 1. Metaph. lect. 3. docet unitatem esse omninũ indiuisibile, videlicet finaliter, vt recte similes loquutiones exponit Soncinas vbi supra, & S. Th. lib. 5. Met. lect. 8. littera c. ait, quod indiuisibile secundã quantitatem, si nõ habeat positionẽ, dicitur unitas: punctus verò est id, quod est omni-

nõ indiuisibile secundũ quantitatẽ; & tamen habet positionẽ.

10. Secundo solet obijci auctoritas S. Tho. lib. 7. Metaph. textu 49. lect. 13. littera h. in fine dicentis: *Et sic dualiter non erunt due unitates, sed aliquid ex dualibus unitatibus cõpõsitum: aliter numerus non esset vnum per se, & vere, sed per accidens, sicut quæ coacervantur.*

Sunt qui respondeant loqui S. Thomã ex sententiã Democriti, quã ibi exponerat. ¶ Quamquã nõ possit hæc solutio, attento contextu, euidenter refelli: quia tamen illa non indigemus.

Facilius respõderetur, quod formaliter loquẽdo, unitates coacervatæ non faciunt numerũ; sed unitates vt artificialiter adunatæ ad faciendũ vnum per se, vt postea exponetur.

11. Sed instabis: nã quantitas cõtinaua nõ pertinet reductiue, sed directe, ad genus quantitatũ; imò est ipsa quantitas: sed S. Thomas sapissime docet, quod unitas prædicamentalis reductiue pertinet ad genus quantitatũ, vt patet 1. p. q. 3. art. 5. & q. 7. de Pot. tia art. 3. ad 7. & alibi sæpe: ergo ex mente D. Thomæ, unitas prædicamentalis est quid incõpletum, quantitati superadditũ, & ab ea diuersum.

Respõderetur, quod sicut linea est quædã species quætitatis, inquantũ habet propriã extensionẽ; & simul est quid incõpletũ respectu superficiẽ, & corporis quod ex lineis, & superficiẽbus constat, vt dicitur infra q. 18. s. 2. ita pariter quantitas vt extensa, est species quætitatis cõtinaua; quæ est magnitudo; & vt

vna, & indiuisa, habebit indiuisibilitatem requisitam ad vnitatem, ex qua componitur quantitas discreta; & sic erit in genere quantitatis discretæ reductiue.

12 Adhuc vrgebis: nam S. Thomas 1. p. quæst. 11. art. 1. ad 1. & quæst. 30. art. 3. & Quodlib. 10. art. 1. & sæpijsime alibi, constituit differentiam inter vnitatem transcendentem, & vnitatem prædicamentalem: quod illa nihil positive addit ad id cui adiungitur; sed vnum quod est principium numeri; addit aliquid superius, ad genus quantitatis pertinens: sed differentia hæc esset nulla, si vnitatis prædicamentalis solam adderet quantitatem: ergo ultra quantitatem addit aliquid indiuisibile, ad genus quantitatis reductiue pertinens. Probat minor, primo: quia S. Thomas loquitur generaliter: vnitatis enim transcendentalis nihil addit ad essentiam substantiæ, nec ad essentiam accidentis, vel ad id quod est vnum.

Secundo: nam, vt docet S. Thomas quæst. 17. de Potentia artic. 3. ad 8. etiam vnitatis transcendentalis ponit aliquid positium, in quantum ponit ipsum ens, cuius est vnitatis: ergo si ex eo præcise vnitatis prædicamentalis dicitur addere aliquid positium supra ens, quia quantitatem addit substantiæ, quæ est aliquid positium; idem dicetur de vnitatibus transcendentibus aliorum prædicamentorum: & ita differentia assignata à D. Thoma nullius esset momenti, nec vere subsisteret.

12 Hoc argumentum ipsi, qui

obijciunt, tenentur soluere; quia iuxta priorem dicendi modum, admittunt, quod vnitatis transcendentalis supra substantiam, & quantitatem, solam addit quantitatis existentiam: sed omnia alia accidentia addunt substantiæ existentiam, realiter ab ipsa distinctam, & à propria quidditate, vt docet S. Thomas sæpijsime, vt late retulimus 1. p. Metaph. controu. 7. art. 5. ergo iam iuxta illos, discrimen est nullum.

14 Respondetur igitur, quod mens D. Thomæ est, quod diuisio formalis causat distinctionem, & multitudinem, quæ est de transcendentibus, & vnum erit, quod formaliter est indiuisum: & hoc transcendit omnia genera, etiam genus quantitatis: at vero diuisio quantitativa causat numerum prædicamentalem, quæ est vnitatis peculiaris in genere determinato, ad quod pertinet peculiariter diuisio, & extensio, diuisibile, & indiuisibile, vnum, & plura, quod non reperitur in alijs generibus: & ita quantum sola addatur quantitas; quæ indiuisa, est vnitatis; & extensa, est magnitudo, habetur clara differentia assignata à D. Thoma. Quæ intelligentia clare habetur opusc. 48. apud D. Thomam tract. 3. capite 1. vbi dicitur, *vnum quod est principium numeri, dicitur ens continuum indiuisum.* Per quæ expositæ manent authoritates obiectæ supra num. 4. quia non negamus quod diuisione, vel vnione continui, resulet nouus numerus: sed non est, quia addatur entitas indiuisibilis: sed quia quantitas ipsa est vna,

vna, vel plures; copulata termino communi, vel non copulata. Videatur S. Thomas 4. Metaphys. lect. 2. litt. c.

¶ 15. Ultimo arguit Araujo, & cum eo alij: quia in quantitate continua datur aliqua entitas incompleta, quæ sit principium magnitudinis, nempe, punctum: ergo etiam in quantitate discreta necessario concedenda est aliqua entitas incompleta, quæ sit principium numero, rati: & sit indivisibilis, sicut, & punctum: quia vnitas numeralis, etiam est mensura simpliciter prima; & ideo indivisibilis debet esse, sicut, & punctum, iuxta dicta, questione 14. num. 7.

Respondetur, quod iam admittimus vnitatem esse indivisibilem simpliciter, formaliter loquendo: quia in genere numeri non est imaginabile aliquid minus vnitate, quæ est minimum principium infimi numeri, nempe, binarij; non tamen opus est, quod numerus materialiter sit quid indivisibile: imo si esset materialiter quid indivisibile, non posset cum alio continuari, & discontinuari; & ita potius constitueret multitudinem transcendentem, quam numerum predicamentalem. Nec paritas puncti debet tenere in omnibus: alioquin non esset similitudo, sed identitas: quam constat hic non esse, quia punctum est terminus intrinsece inherens terminans, & copulans continuum: numerus vero constat ex partibus discretis, & separatis. Nec facilius intelligitur, quod numerus sit ens per se, ponendo quod cuilibet quan-

titati addatur sua entitas indivisibilis: quia cum illæ quantitates, & earum indivisibilia realiter distent, restat tota difficultas qualiter adueniuntur ad faciendum vnum per se. Quam difficultatem sine his indivisibilibus, quæ non facile percipiuntur, postea expediemus.

¶ 16. Posset adhuc obijci: nam S. Tho. lib. 4. Metaph. lect. 2. littera c. ait: *vnum, quod est principium, numeri, addit supra substantiam rationem mensuræ, quæ est propria passio quantitatis, & primo inuenitur in vnitate &c.* Ergo non consistit vnitas predicamentalis in ipsa quantitate, sed in aliqua eius proprietate.

Hæc authoritas, in primis corroborat principalem nostram conclusionem: quia solam quantitatem vt indivisibilem, & mensurantem, ponit S. Thomas addere vnitatem predicamentalem supra substantiam.

¶ Possent deinde concedi, quod vnitas complete dicit quantitatem vt non diuisibilem, & vt mensurantem: quod videtur ita affirmari opusc. 48. tractatu 3. cap. 1.

¶ 17. Caterum, quia ipse S. Thomas lib. 5. Metaph. lect. 8. littera c. proprietatem vnus ponit esse rationem mensuræ; ideo in dicta lect. 2. videtur exponendus de mensura radicali; de qua in eadem lect. 8. dicit; *sciendum est autem, quod esse mensuram, est propria ratio vnus, sciendum quod est principium numeri:* nam libro 10. Metaphys. lect. 2. in principio dicit, quod ratio vnus habet pro proprietate rationem mensuræ. Verum est, quod apud Logicos ratio mensuræ est proprie con-

considerata; & ideo apud illos vocatur propria ratio: & hęc potest esse alia autoritatum explicatio: recolantur, quę diximus quęst. 14. num. 9. & 21.

§. III.

*An numerus sit vera species quantitatis?*

18 **N**egatiua sententia pluribus placet; licet non eodem moueantur fundamento. Aureolus enim in 1. dist. 24. vt vbi refert Capreolus, id negat: quia putat numerum esse formaliter ens rationis. Quod sequuntur aliqui Recentiores, & alij id tribuunt Soncinati libro 10. Metaph. 8. quęst. Verum quicquid citant, eum non viderunt: quia ibi numerum numeratum esse ens reale, quinque rationibus probat; & numerationem esse in intellectu nullus potest negare; de quo videatur S. Thomas 1. p. quęst. 30. art. 1. ad 4. & de solo numero numerato est quęstio presens: quamuis etiam de numero formalis, non nihil dicemus infra num. 27.

19 Alij ideo negant numerum esse speciem quantitatis, quia arbitrantur ex vnitatibus non posse fieri vnum ens per se, sed quod sola est coaceruatio multorum entium. Ita Durandus in 1. dist. 43. quęst. 2. n. 12. Gregorius, Gabriel, & alij Nominales, quos citant, & sequuntur

Conimb. hic q. 2. art. 1. Suarez disp. 41. Metaph. sect. 1. Vazquez 1. p. disp. 26. cap. 3. & alij recentiores. Inter quos quidam admittit numerum habere vnitatem sufficientem, ad hoc vt ponatur in predicamento: & tamen vt S. Thomas, & eius discipulis contradicat, dicit excludi numerum a speciebus quantitatis, quia discretio vnitatum non contrahit quantitatem ad peculiarem aliquem modum extensionis, seu impenetrationis radicalis, in qua consistit essentia quantitatis.

20 Dico tamen secundo, numerus, qui componitur ex vnitatibus quantitatis, est vera, & propria species quantitatis. Ita Philosophus, non solum in hoc capite; sed etiam libro 5. Metaph. cap. 13. vbi in rigore metaphysico veras species quantitatis intendit assignare: & colligitur ex eodem 2. de Anima cap. 6. & alibi sæpe. Idemque docet S. Thomas ibi lectione 15. & 1. p. quęst. 30. art. 3. & quęst. 9. de Potenti? art. 7. & quodlib. 10. art. 1. & libro 1. sententiarum dist. 24. quęst. 1. art. 3. & sæpiissime alibi. Auicena lib. 3. Metaph. cap. 4. fuit que sententia D. Gregorij Nilensi libro de historia sex dierum, & S. Ioannis Damasceni capitulo 33. & 49 sup. Dialecticę.

Respondet P. Suarez disput. 41. sect. 4: quod Philosophus in Logica non assignat species quantitatis iuxta rei veritatem, sed iuxta vulgarem loquendi modum. Et in Metaphysica non solum tradit diuisiones vniuocas, sed etiam analogas

acceptioes vocum: & sic ait num. 13. quod S. Thomas non loquitur de specie, & forma in rigore, sed tantum analogia, & proportione quadam.

21 Sed contra primo: nam in Logica numerat species, saltem in ratione mensuræ; & in Metaphysica eodem tenore, quo quantitatem diuidit in continuam, & discretam, diuidit qualitatem in suas species: sed illæ sunt species proprie, & in rigore; ergo & istæ.

Secundo, de mente S. Thomæ sine vlllo fundamento dubitatur: quia etiam in multitudine transcendentis est quantitas discreta metaphorice, & vulgariter, vt ipsi farentur: & tamen negat S. Thomas multitudinem angelorum esse in prædicamento quantitatis, & id affirmat de multitudine rerum corporalium: vt iterum docet S. Thom. 1. p. quæst. 50. art. 2. ad 1. ergo agnoscit in istis veram, & propriam speciem.

22 Tertio, verba ipsa S. Thomæ de eius mente, illum, qui eam sincere vult assequi, dubitare non sinunt: nam libro 8. Metaph. lect. 3, ait: *numerus est vnum per se, eo quod vna pars eius est vt forma alterius.* Clare idem dicit libro 7. Metaph. lect. 13. verbis relatis num. 10. & lect. vltima dicit, quod numerus est quodam compositum, quod est *vnum simpliciter.* Et libro 8. citata lect. 3. pro inconuenienti infert, quod si numerus non esset simpliciter vnum, sed per modum coacervationis, non esset aliqua species entis: & 1. p. quæst. 11. art. 1. ait: *vnum quod est principium numeri addit aliquam*

*rem supra substantiam entis: alias numerus ex vnitatibus compositus non esset species quantitatis.* Quo etiam modo arguit Quodlib. 10. art. 1. & alibi sæpe. Quod nullum, nec apparens, esset inconueniens, si loqueretur de specie analogicè, & metaphorice. Consequentia probatur, ex eodem D. Thomæ libro 5. Metaph. lect. 8. littera c. docente, quod ratio vnius, & ratio mensuræ, licet primo conueniat vni, quod est principium numeri, tamen per quandam similitudinem deriuatur ad vnū in alijs generibus, vt docet Philosoph. 10. Metaph. lect. 2. & ideo *num non omnino equiuoce dicitur de eo, quod conuertitur cum ente, & de eo, quod est principium numeri: sed secundum prius, & posterius: hoc est, analogice: ergo pariter, quantitas discreta, & numerus analogice inueniuntur in quolibet genere: ergo luce clarius constat nostram conclusionem esse de mente S. Thomæ: & sic nullus eius discipulus ab eo dissentit.* Consentiantque Scotus 5. Metaph. quæst. 9. & eius asseclæ. Insuper Henricus, Argentinas, Toletus, & alij, quos refert, & sequitur Rubio capite de Quantitate quæst. 6. idem que docere Euclidem, & omnes Mathematicos testantur PP. Carmelitani disput. 13. quæst. 7.

#### §. IV.

*Rationibus probatur sententia D. Thomæ.*

23 **P**ROBATUR primo à posteriori illud quod, est ens rationis, aut

aut ens per accidens, non potest esse obiectum scientiæ realis: sed numerus est obiectum proprium, & per se Arithmeticæ: ergo est ens reale, & vnum per se: & cum non sit in alio genere, nisi in genere quantitatis, erit vera eius species. Maior est Philosophi, & S. Thomæ 6. Metaph. lect. 2. quia entis rationis non est scientia realis, & entis per accidens non potest esse vna scientia, sicut nec vna definitio, nec de illo, vt sic, possunt passionibus demonstrari. Minor vero ab omnibus admittitur: vnde S. Thomas Quodlib. 10. art. 1. ait: *Et hic numerus, scilicet, ex diuisione continui causatus, est subiectum Arithmeticæ, etiam secundum Au: cenam.* 3. Metaphysic. cap. 5.

Dices primo: etiam Arithmetica tractat de numero, qui est in spiritualibus: quia agit de omni numero, & tamen ibi non est species propria quantitatis; sed tantum metaphorice: ergo ex eo quod numerus sit obiectum Arithmeticæ, non sequitur, quod sit species vera quantitatis.

24 Facile tamen hoc reijcitur: quia Arithmetica vere est species Mathematicæ: sed Mathematicæ solum abstrahunt à materia sensibili, & non ab omni materia, sicut Metaphysica: ergo solum agunt de numero quantitativo. Quæ ratio est D. Thomæ lib. 4. Metaph. lect. 2. littera c. vbi ait: numerus ex diuisione continui causatur: & ideo numerus ad scientiam Mathematicam pertinet, cuius subiectum extra materiam esse non potest; quam

uis sine materia sensibili consideretur. Hoc autem non esset, si vnum, quod est principium numeri, secundum esse à materia separaretur in rebus immaterialibus existens, quasi cum ente conuersum. Hæc ibi. Idem dicit libro 1. sententiarum dist. 24. quæst. 1. art. 3. & quæst. 9. de Potentia art. 7.

25 Iterum dices, quod numerus quamuis entitatiue sit ens per accidens; tamen habet vnitatem rationis: & sic erit obiectum vniuersæ scientiæ.

Sed contra: nam omnes admittunt id quod euidentissimum est, quod Arithmetica computatur inter scientias reales: vnde non potest esse eius obiectum ens rationis; nisi velint omnia pervertere, ponendo, vt ponit Suarez, obiectum Logicæ, quæ est rationalis, esse ens reale, & obiectum Arithmeticæ, quæ est scientia realis, esse ens rationis. Vnde merito celebratur id quod scripsit Sanchez lib. 5. Logicæ q. 22. dicens: mirabile quidem, voluit Doctores isti, obiectum Logicæ esse ens reale, contra communem sententiam; obiectum autem Arithmeticæ faciunt ens rationis, contra communem omnium sensum.

26 Tertio dici potest, quod numerus pro materiali est quid reale: & hoc erit obiectum Arithmeticæ.

Hoc tamen nullam habet apparentiam, quia de quantitate continua, per se tractat Geometria, quæ specie distinguitur ab Arithmetica: quantitas autem continua est materia numeri, quia causatur ex di-

diuisione continui, & ex illis unitati-  
tius componitur. ergo Arithme-  
tica non habet pro obiecto formali  
quantitatem continuam. Deinde,  
proprietates demonstratae ab Arith-  
metico, conueniunt numero ratione  
proportionis, & proportionalitatis,  
quae conueniunt formaliter quan-  
titati, vt discreti est.

27 Posset praeterea probari:  
quia nisi quantitas discreta sit spe-  
cies quantitatis, tollitur quantitas  
à numero predicamentorum: quia  
non erit genus, nec habebit sub se  
species subalternas: imo, iuxta ali-  
quos, nec species infimas.

Respondet Cabero tractatu 5.  
disp. 2. dub. 5. quod quantitas ha-  
bet defacto vnam speciem, & alias  
possibiles de potentia absoluta; &  
hoc sufficit vt sit genus.

Sed contra primo: nam absur-  
dum videtur, ad explicanda ge-  
nera entium, à Philosophis lumi-  
ne naturae cognita, recurrere ad  
abyssum diuinæ Omnipotentiae;  
ipsis Theologis non peruium; imo  
à supremis Angelis non penetra-  
tum.

28 Deinde, quae sit illius quan-  
tatis possibilis definitio, & essen-  
tia, par nitus nos, & ipsum latet: vn-  
de si dubio 8. num. 14. (non sine in-  
iuria S. Thomae) audeat asserere,  
ipsius discipulorum opiniones vt  
duras merito odio haberi à Recen-  
tioribus: videat ipse in quem abyf-  
sum immergitur deserendo pla-  
nam, & peruiam communem nos-  
tram doctrinam? Quia eadem  
via posset defendere, quod homo  
est genus, quia potest Deus pro-

ducere homines specie distinctos  
ab his quos nouimus.

Praeterquam quod, iam diximus  
libro 1. q. 22. num. 5. cum Philoso-  
pho; Boetio: & S. Thoma, quod  
genus suapte natura petit plures  
species. Et quamuis non requirat  
essentialiter, quod actu existant;  
connaturaliter tamen non debent  
repugnare: constat autem, quod  
naturaliter loquendo repugnat  
quantitas formaliter diuersae ra-  
tionis à corpore continuo, & ex-  
tenso, & impenetrabili, quod nunc  
est: ergo destruitur coordinatio  
praedicamenti quantitatis, relin-  
quendo in arbore vnam solam spe-  
ciem, & reliquas abscindendo.

29 Duae aliae rationes à prio-  
ri conclusionem nostram convin-  
cunt: prima sumitur ex doctrina  
Philosophi libro 5. Metaph. lect.  
7. & 8. vbi docet, quod esse *vnus*  
*per se multis modis contingit.* Et S.  
Thomas 3. p. quaest. 73. artic. 2.  
vt retulimus libro 1. quaest. 4. num.  
2: omnes modos reducit ad tres,  
videlicet, ad vnitatem indiuisibili-  
tatis, ad vnitatem continuitatis, ad  
vnitatem ordinis, & perfectionis:  
& hoc modo plures partes domus  
faciunt vnum ens per se, propter  
vnam situationem, & figuram: &  
Theologi dicunt, quod ex rebus  
tamquam ex materia, & ex verbis  
tamquam ex forma, fit vnum sacra-  
mentum vnitatem simpliciter inge-  
nere artis; quamuis non per phyfi-  
cam inhaerentiam, & vniionem, sed  
per realem ordinem, & determi-  
nationem: & pariter, *armatum esse,*  
*vel vestitum esse, habent ordi-*  
*nem*

nem sufficientem ad faciendum vnum per se possibile in prædicamento: *habere*: sed diuiso quanto, vel continuo, partes eius realiter ordinantur, & stant sub vna habitudine, & ordine mensurabilitatis: ergo faciunt vnum per se unitate integritatis, & perfectionis: ergo faciunt vnam quantitatem discretam; quia sunt plures non continuæ.

30 Obijcies: nam multitudo populi etiam stat sub vno ordine; & aceruus lapidum etiam habet ordinem situs, & tamen non faciunt vnum per se; sed vnum per accidens: ergo quamuis numerus dicat ordinem, & unitatem, solum erit vnus (secundum quid, & plura simpliciter): & ita serit ens per accidens,

Occurrit huic difficultati S. Thomas libro 7. Metaph. lectione. 17. littera f. dicens: huius diuersitatis ratio est, quia compositum quandoque sortitur speciem ab aliquo vno; quod est, vel forma, vt patet in corpore misto; vel compositio, vt patet in domo; vel ordo, vt patet in syllaba, & numero: & tunc oportet, quod totum compositum sit vnum simpliciter. Quandoque vero compositum sortitur speciem ab ipsa multitudine partium collectarum, vt patet in aceruo & populo, & in talibus totum compositum non est vnum simpliciter; sed solum secundum quid. Hæc ibi S. Thomas: ex cuius doctrina colligitur solutio argumenti, & firmitas rationis, & disparitas eo-

rum, quæ obijciuntur: nam cum populus sit nomen collectivum, significat immediate ipsam multitudinem, & pluralitatem; & coacervatio non attendit ordinem, sed aggregationem quamcumque multorum; at vero, totum hoc se habet materialiter, & præsuppositiue ad numerum; & formaliter attendit ordinem partium numerabilium, sub vna vltima: vt postea latius dicitur.

31 Vltima ratione nostræ conclusionis, directe opponitur tertio dicendi modo oppositæ sententiæ, relato numero 19. & formatur sic, vbi est peculiaris ratio extensionis partium, & mensurationis, & indiuisibilitatis, & impenetrationis, est diuersa species quantitatis: sed quantitas discreta affert diuersam formaliter extensionem, & mensurationem, & indiuisibilitatem: ergo quantitas discreta est vera species quantitatis. Maior patet, quia differentie diuidunt, & contrahunt genus per rationes essentialiter qualificantes, & determinantes illud secundum sibi propria: cum autem propria ratio quantitatis vno ex illis modis, vel omnibus simul, explicetur: quod addiderit, vel explicuerit peculiarem rationem in illo genere, absque dubio constituet nouam speciem quantitatis.

Probatur ergo prima minor (in qua sola est difficultas): nam quantitas, vt indiuisa, habet partes intrinsece copulatas termino communi;

&

& per consequens, extensa; & vnitata intrinsece, diuisa autem quantitate, sunt discreta, & solum vnitata extrinsece, & non copulata intrinsece termino communi: ergo diuersam extensionem habet quantitas continua, ac quantitas discreta.

Deinde: vbi est diuersum indiuisibile mensurans, est formaliter diuersum mensuratum, & diuersitas partium, quæ copulantur termino illo: sed quantitas discreta constat diuersis indiuisibilibus, ac quantitas continua: ergo habet diuersam extensionem, & mensurabilitatem. Probat minor, ex doctrina S. Thomæ libro 5. Metaphysicæ lect. 8. littera c. vbi dicit, quantitatem continuam terminari, & mensurari punctis indiuisibilibus habentibus positionem; quantitas vero discreta constat vnitatibus, quæ sunt indiuisibilia non habentia positionem: quæ indiuisibilia constat esse diuersa. Vtraque tamen sunt in genere quantitatis, & habent eius proprietates: quia faciunt æqualem, vel inæqualem, parem, vel imparem secundum augmentum. De qua ratione videri etiam potest Mag. Ioan. à S. Thoma q. 16. art. 2.

§. V.

*Soluuntur argumenta.*

32 **O**bjicies primo: nam sæpe dictum est ex D. Thoma, quod quantitas discreta *causatur sola diuisione continui*: sed sola diuisione continui non producit noua ex-

tensio, aut mensura: ergo non fit diuersa species quantitatis. Minor probatur, primo experientia, qua nouimus, quod si vnio palmorum vnæ dissoluatur; non habent ipsi palmi diuersum modum extensionis, aut impenetrabilitatis, ac habebant ante diuisionem. Secundo: ante diuisionem erant quatuor palmi in vnâ; ergo sicut post diuisionem assumuntur vt vnitates ad mensurandum alias eiusdem rationis, ita etiam ante diuisionem: ergo discretio non contrahit quantitatem ad peculiarem extensionem, vel mensuram; & nõ ita cõstituet peculiare speciem quantitatis.

33 Retorqueri potest hoc argumentum contra eos, qui illo conuincuntur ad deserendam nostram conclusionem; & ex alia parte dicunt numerum non excludi à prædicamento, ex eo quod non fit vnũ per se: quæ videntur in terminis implicare: nam ideo duo homines non faciunt vnã substantiam per se: quia ex duobus entibus in actu cõpletis eiusdem speciei non fit vnũ per se: sed iuxta istos, quos impugnamus; ex eo quantitas discreta excluditur à prædicamento, quia discretio solum facit duo indiuidua quantitatis, id quod ante vnionem erat vnũ; quia postea non additur peculiaris extensio, sed vna diuiditur; sicut qui ex vna aqua facit duo indiuidua, non addit aquam, sed diuidit, & multitudinem constituit: ergo excluduntur iam, quia non sunt vnũ per se. Vel si diuisio nõ tollit, quod faciant vnã per se discrete, quæ in genere continui sunt plura; ergo est

est noua extensio, & peculiaris ratio quantitatis quod negas.

34 Facile ergo responderetur, quod discontinuatio non facit nouam extensionem continuam, quia potius discontinuat, & vnionem dissoluit: sed ista dissolutione fit noua extensio discreta: & ita stante discontinuatio, est multitudo unitatum: & ita fit numerus, quia ad numerum simpliciter exigitur, quod numerata faciunt aliquam aggregationem. vt ait S. Thomas in 1. ad Anib. dist. 24. artic. 1. ad 3.

Instabis: nam quatuor, vel quinque Angeli faciunt aggregationem; & quatuor sunt pares; & quinque impares: & tamen non constitunt vnum per se, nec pertinent ad speciem propriam quantitatis: ergo ex eo, quod discontinuatio faciat quantitatum aggregationem, vel multitudinem, solum erunt quantitates, quæ erant antea, postea duplicatae, vel coaceruatae, vel diuisæ.

35 Responderetur, quod in rebus spiritualibus est multitudo proprie, & numerus minus proprie, & solum analogice, iuxta doctrinam S. Thomæ 5. Metaph. lect. 8. iam relata: & sic docet S. Damascenus lib. 3. de Fide cap. 8. numerum esse in omnibus rebus, quæ inter se differunt. Loquendo autem de numero strictè, & in rigore, solum est in corporalibus: vnde Philosophus 2. de Anima cap. 6. ponit numerum inter sensibilia communia: & 3. Physicorum cap. 6. & 7. & lib. 10. Metaph. docet numerum causari ex diuisione continui. Quod

attendens S. Thomas in 1. dist. 24. quæst. 1. artic. 3. ait, quod *numerus, & veritas, secundum quod sunt in genere quantitatis, non inueniuntur, nisi in quibus inueniuntur commensuratio quantitatis: de inueniuntur tantum in rebus habentibus quantitatem continuam*. Et ideo commensuratione, & repetitione potest quantitas exhauriri; & aliquando possunt quantitates continuari, & postea discontinuari; & ideo vbi non est quantitas continua, non est proprie quantitas discreta: ac proinde, nec numerus practicalis: sed solum multitudo, quæ est de transcendentibus: de quo videtur S. Thomas quæst. 9. de Potentia artic. 7. & Soncinas lib. 10. Metaph. quæst. 12. & alij quos citant, & sequuntur Sanchez libro 5. quæstione 25. & Rubio quæst. 8.

36 Præterea obijcies: id quod formaliter est ens rationis: non potest esse vera species entis realis, vt patet: sed numerus formaliter est ens rationis: ergo non potest esse vera species entis realis. Probatur minor: nam numerus definitur à Philosopho 10. Metaph. & à D. Thoma 1. p. quæst. 7. artic. 2. *est multitudo mensurata per vnum*: sed mensuratio est formaliter ens rationis: ergo numerus erit ens rationis. Probatur minor, quia numeratio est collatio mensuratorum, & numeratorum ad vnam primam mensuram: sed conferre est opus rationis: ergo numeratio, & numerus sunt formaliter ens rationis.

Responderetur, quod in numero

furtria, videlicet, res numeratae, & ipse numerus numeratus, & ipsa numeratio actiua: res numeratae, absque dubio, solent esse aliquid reale, vt cum numerantur lapides; vel homines, aut pecunia; ipsa uero numeratio etiam est opus rationis conferentis: de ipso autem numero etiam probat S. Thomas lib. 4. Physicorum lectione 23. littera e. quod sit aliquid reale, tali ratione: positis rebus numeratis, necesse est poni numerum: vnde sicut res numeratae dependent a numerante, ita & numerus earum. Esse autem rerum numeratarum non dependet ab intellectu; nisi sit aliquis intellectus, qui sit causa rerum; sicut est intellectus diuinus; non autem dependet ab intellectu animae: vnde nec numerus rerum ab intellectu animae dependet: sed solum ipsa numeratio, quae est actus animae, ab intellectu animae dependet. Sicut ergo possunt esse sensibilia, sensu non existente; ita possunt esse numerabilia, & numerus, non existente numerante. Haec ibi. Ex quo patet, quod non solum res numeratae, sed earum numerus formaliter est quid reale; & esset numerus, adhuc non existente intellectu.

37. Aduertendum autem, quod Philosophus 4. Physicorum textu 102. & ibi S. Thomas lect. 17. in fine, & ipse S. Thomas 1. p. quaest. 30. artic. 1. ad 4. distinguunt, quod numerus est duplex, scilicet, numerus simplex, vel absolutus, vt duo, & tria, & quatuor; & est numerus, qui est in rebus numeratis, vt duo homines, & duo

equi. Numerus simplex, appellatur à B. Alberto 8. Metaph. *numerus formalis*, & de isto inquit M. Bonomas lib. 10. Metaph. q. 8. concl. 1. quod non habet esse nisi in anima obiectiue: quia dicit Auicena 3. Metaph. cap. 5. quod *numerus expositus a rebus numeratis non habet esse nisi in anima*; & Philosophus 4. Physic. text. 131. dicit, quod *impossibile est vt sit numerus, cum anima non fuerit, &c.* Quod, & sequitur Auersa q. 18. Logica sect. 2.

Haec tamen authoritas Aristotelis non nullum cogit: quia id dicit Philosophus arguendo, & non resolueno, vt patet ex D. Thoma ibi lect. 23. vbi supra. Dicit vero Auicena esse verum, & approbatu à D. Thoma 1. p. q. 30. dicta solutione ad 4. vbi loquendo de numero absolute sine abstracte, ait: *Et sic non est nisi in acceptione intellectus nostri.* Et art. 2. ad 5. dicit: *si accipiatur numerus simplex, qui est tantum in acceptione intellectus.* Quod est dicere, quod status abstractionis solum est in nostro intellectu, cum quo tamen stat, quod numerus ipse formalis, qui abstrahitur, sit in rebus, vt probatu est ex isto D. Thoma illa lectione 23. & huiusmodi numerus formalis est obiectum Arithmeticae: quia consideret sine materia sensibili, vt ait S. Thomas 4. Metaph. lect. 2. & tamen eius formale obiectu est quid reale.

38. De isto autem numero simplici, & formali, loquitur Philosophus 4. Physicorum textu 110. cum ait: *est autem numerus unus quidem, & idem, qui est centum equorum, & qui est*

*centum hominum* : quorum autē numerus est, altera sunt, vt equi ab hominib<sup>9</sup>. Vbi S. Thomas lect. 19. littera c. ait: numerus simpliciter est vnus, & idē diuersorum numeratorū, vt centū equorum, & centum hominū: sed numerus numeratus est alius diuersorum; centum enim equi sunt aliud quid a centum hominibus. Hec ibi. Habemus ergo, quod res numeratæ, & numerus formalis abstractus à materia sensibili; qui consideratur ab Arithmetica, sunt quid reale, at verò status abstractionis, & ipsa numeratio sunt solum in intellectu, & in vocibus vt in signo. Quibus solum iam est argumentum supra propositum.

39 Principale argumentum in hac parte est illud vulgare: nam ex pluribus entibus in actu non fit vnū ens per se: sed quantitates discretæ, & discretæ sunt plura entia in actu; quia hoc est esse discretas: ergo ex eis non fit vna quantitas per se.

Putant authores relati num. 3. & 4. facile euadit hoc argumentum dicendo vnitates prædicamentales non esse ipsas quantitates cōtinuas; sed quid incompletum illis super additum; & ideo possunt constitutere vnū ens per se; quia ex entibus incompletis facile fit vnū per se.

40 Verumtamen illa additio entium incompletorum non minuit, sed auget difficultatem: quia entia incompleta, si non habeant vnā communem formam, vel vnionem, aut existentiam, in qua communent, non faciunt vnū

per se; & ideo aggregatio Angelorum indiuisibilem non facit vnū; nec coaceruatio ipsorum indiuisibilem, si ponerentur existere sine quantitate, faceret magis vnū per se quam aceruus lapidum, vel quantitatū; ergo non est cur con fugiamus ad indiuisibilia, seu vt verius dicamus, intelligibilia, vt explicemus, qualiter numerus est vnū per se, & vera species quantitatis.

41 Illis ergo, & nobis, debet esse communis solutio S. Thomæ relata num. 30. quod quæ sunt vnū vnitatem continuationis, debent habere partes vnitatis termino communi; quæ verò sunt vnū vnitatem ordinis: debent habere partes realiter adunatas, & ordinatas: & hoc sufficit vt realiter sint vnū per se; quamuis infima vnitatem; sicut est vna domus, & sicut esse vestitum constituit vnū per se ponibile in vno prædicamento; ita vnitatis ordinis in rebus numeratis dat numero vnitatem, quamuis discretam: & hoc pacto numeri vnitatem explicat Philoſophus in cap. de Quantitate dicens: *inque b c quædam pacto ordinata quædam habent, &c.*

42 Sed in istis: nam quantitas est accidens absolutum: ergo vnitatem relatiua non sufficit ad constituendum plures quantitates ita vnitatem vt faciant vnā speciem quantitatis discretæ: quod deberet esse vnū accidens absolutum.

Secundò: magis per se vnū vnū albedo, & subiectum, quā vnū,

tur duæ quantitates, quarum vna est Hispania, & alia Roma: sed albedo, & subiectum non faciunt vñ ens per se, sed sunt ens per accidens, vt docet S. Thomas cap. 7. de Ente, & essentia, & alijs locis relatis libro 1. quest. 18. n. 16. ergo nec realis ordo rerum numeratarum facit ens e se vñum per se realiter, & physice loquendo: quamuis vulgariter, vel secundum rationem, vt vñum accipiatur, quæ vno numero numerantur.

### §. VI.

*Qualiter vltima vnitas sit forma numeri?*

43 **V**T his difficultatibus occurreret S. Thomas 8. Metaph. lect. 3. littera m. ita inquit: est vñum per se vñum numerus, in quantum vnitas dat numeri speciem, & vnitatem: sicut etiam in rebus compositis ex materia, & forma, per se forma est aliquid vñum, & vnitatem, & speciem sortitur. Et eodem sensu lib. 7. lect. 13. littera h. dixit: & sic duobus non erunt due vnitates, sed aliquid ex duobus vnitatibus compositum, &c. Idem indicatur 5. Metaph. textu 19. & lib. 3. Physic. lect. 2. littera b.

44 Quia verò non est per se notum in quo sensu sit verum, quod vltima vnitas sit forma numeri: ideo portet exponere. Pro quo notandum ex D. Thoma in 4. dist. 44. quest. 1. artic. 1. quest. 2. ad 2. quod duplex est forma, alia forma totius, vt in nomine, humanitas: alia forma partis, seu forma, quæ est pars com-

positi, vt in homine, anima rationalis. Certum igitur est, quod vltima vnitas non est forma totalis numeri, quia vt notauit Capreolus in 1. dist. 24. quest. 1. conclusione 5. forma ternarij est ternitas, & quaternarij quaternitas; & respectu harum formarum omnes partes se habent vt materia; cum quo componitur, quod vna partialiter determinetur per aliam: sicut anima, & corpus componunt humanitatem, & anima est forma corporis.

45 Loquendo ergo de forma partiali, certum est, quod vltima vnitas non est ipsa differentia metaphysica numeri: quia ista dicit in re totam essentiam rei, & de illo predicatur in recto: vltima autem vnitas non est totus numerus.

Secundò videtur planum (quicquid aliqui dixerint, quod a parte rei non datur aliqui, quæ determinate sit forma: quia omnes vnitates, etiam in loquendo, sunt eiusdem rationis: & quia species numeri non variaretur, nisi illa determinate ablata: quod tamen per se patet esse falsum; cum cuiuslibet ablatio, numerum minuât, & speciem variet.

46 Alijs ommissis, duobus modis potest exponi sensus propositionis S. Thomæ. Primo cum Masio hic lect. 2. q. 5. Araujo lib. 5. Metaph. q. 3. part. 1. ad 5. & PP. Carmel. disput. 13. questione 8. & Ioanne à Thoma quest. 16. artic. 2. conclusione 2. dicendo quod a parte rei quælibet vnitas predicamentalis,

quatenus determinabilis per alias, est materia; quatenus vero determinatiua aliarum, est forma: sicut in quolibet contractu, cōsensus vtriusque se habent vt materia, & forma, secundum quod se inuicem determinant, & determinantur. Et quia numerus est vnus vnitate ordinis; ideo quamuis materialiter loquendo, nulla vnitas fit determinate vltima; tamen formaliter loquendo, in quolibet numero vltima est, quę determinat, & quę dat speciem, vt late exponunt Thomistę relati, de hoc puncto videndi.

47 Secundus dicendi modus est, quę tradunt Soncinas libro 10. Metaph. quęst. 9. §. *quantum ad secundum*, & Soto quęst. 2. de Quantitate post 2. conclusionem, & Flandria libro 5. Metaph. quęst. 14. artic. 6. quod propositio S. Thomę, desumpta ex Philosopho 8. Metaph. textu 10. quod *vltima vnitas est forma numeri*, intelligenda est de numero abstracto, seu simplici, & formalis: qui, quoad existentiam, seu statum abstractionis, dependet ab intellectu, in quo est ordo prioris, & posterioris in numerando; & cum post vnum, aliam vnitatem addit, constituit speciem ternarij, & cum illi addit aliam, constituit quaternarium, & sic de alijs. Et sic propositio est facilis: de qua videatur S. Thomas 1. p. quęst. 76. artic. 3. & de spiritualibus creat. artic. 3. in alio verò sensu, est plena difficultatis: sex proponit, & objicit Soncinas, quas non vocat examinare.

48 Sed contra hunc dicendi modum objicies, quod iuxta illum,

non saluatur, quod partes numeri habeant vnitatem realem ad constituendum vnum ens per se; sed solum habebunt vnitatem in ratione numerante: quod est negare numerum esse vere speciem quantitatis, & vnum per se.

Respondetur, quod numerum esse vnum per se, iam explicuerat Soncinas tota quęst. 7. & S. Thomas in eodem libro 7. Metaph. lect. 17. id explicuit ex eo, quod numerus sortitur speciem ab ipso ordine vno: & quia fundamentum, quod reperit intellectus vt concipiat vnitatem vltimam reliquas determinare, est ordo sub quo alie adunantur in ordine ad vltimam; ideo hoc sufficit vt numerus dicatur, & sit vnum per se. Nec oportet, quod physice vltima vnitas sit forma: quia accidentia non constant materia, & forma: nec vltima vnitas reliquas physice actuat: sed sufficit, quod in re sit ordo, & hic à ratione, vt à conditione, dependere potest.

49 Ad primam instantiam propositam num. 42. respondetur, quod ordo, de quo in presenti, non est relatio, sed fundamentum eius, vt clarescit ex D. Thoma in 1. dist. 24. quęst. 1. art. 3. in cor. & ad 4. & est commensurabilitas quantitatum ad inuicem: & hoc totum datur in re; quamuis per modum conditionis, & status, hoc exercentur dependenter à numeratione intellectus: in quo existit numerus abstractus, & à quo distinguuntur varie species numerorū in actu signato & incōmuni, ponendo, vel tollendo vnitates.

50 Ad secundam instantiam, concedimus unitates non aduari intrinsece, nec facere vnum continuum; faciunt tamen vnum ens discretum; & hæc est unitas ordinis, & quasi unitas artificialis, & quasi applicationis extrinsecæ; vt unitas constituit speciale prædicamentum: cum quo compatitur, quod attento esse intrinseco, & in alio genere, nõ sint nisi vnum per accidens: quia etiam cum dicimas, quod quantitas, & qualitas sunt duo prædicamenta, est numerus prædicamentalis; & tamen unitates materialiter pertinent ad diuersa prædicamenta.

## QVÆSTIO XVII.

*Vtrum oratio sit vera species quantitatis discreta?*

§. I.

*Quid intelligatur nomine orationis?*

**I** P Ræmittendum est, ex Flan-  
dria 5. Metaph. quæst. 14. ar-  
tic. 7. quod Oratio potest accipi  
multipliciter: nam a Theologis ac-  
cipitur pro actu religionis; a Dia-  
lecticis pro voce significatiua ad  
placitum, &c. a Rhetoricis prout  
est instrumentum ad persuaden-  
dum, vel prouocandum effectum.  
His, & alijs acceptionibus omisis,  
nunc sumitur pro *u. e. sicut u. e. p. l. a. t. e.*  
Et describitur à E. Alberto in  
præsenti: *Est mensura prolationis vo-  
cum secundum multitudinem rerum dis-*

*cretarum, sibi inuicem succedentium. Vel  
vt habetur opusculo 48. apud D.  
Thomam tractatu 3. cap. 2. Oratio  
est v. x. aggregata ex distinctis syllabis,  
eam mensurantibus, & in partibus suis  
non habens permanentiam. Vnde ora-  
tio non est numerus simpliciter, sed  
est numerus pertinens ad mensu-  
ram durationis, vt ibi late expo-  
nitur.*

2 Latius descriptionem oratio-  
nis extendit M. Soto hic quæst. 1.  
ad 4. notans, quod ad rationem  
orationis (vt in præsentia accipitur)  
impertinens est esse vocem signifi-  
catiuam. Imò non solum voces, sed  
si tuba, aut cithara sonos secundum  
metri quantitates resonent, illi sunt  
in eadem specie quantitatis, ac si  
voce proferrentur. Et quamuis M.  
Soto miretur hoc Expositores si-  
lentio præterisse; tamen satis ma-  
nifeste hoc indicasse Philosophum,  
& Sanctum Thomam, reperio li-  
bro 2. de Anima lectione 18. in  
principio, vbi notant, quod tibia,  
& lyra, & huiusmodi instrumenta  
habent tria, in quibus eorum soni  
assimillantur voci: quorum pri-  
mum est, *extensa*: quia habent  
quandam continuitatem in suo so-  
no: secundum est, *mixta*, id est,  
consonantia, quia in eis est distin-  
ctio grauis, & acuti in sono, vnde  
est cum quadam melodia. Ter-  
tium est *interrupta*, id est, interruptio  
sonorum ad similitudinem loquu-  
tionis, quæ non est continua: quia  
distinguitur oratio per dictiones,  
& dictio per syllabas, propter di-  
uersas percussiones aeris; vel ab a-  
nima, vt in loquutione humana;

vel

vel propter percussiones diuersarum cordarum, vel diuersorum flatuum, aut aliquorum huiusmodi. Loquimur ergo de oratione in hac generalitate: & illi poterunt relatæ descriptiones adaptari, dum *ly vex paulo* leuius accipiatur, quã vt denuntur 2. de Anima, *est sonus animati, cum imaginatione aliqua.*

3 Sub oratione, vt hic accipitur, comprehenduntur omnia genera carminum, vt Hexametrum, Pentametrum, Sapphicum, &c. & omnes pedes Carminum, vt Spondæus, Iambus, Dactilus, &c. & species tonorum, vt diapente, diapasaron, &c. Et vt notat S. Thomas 5. Metaphys. lectione 8. littera c. in genere consonantiarum est vnum, quod est, *diefis*, quod est minimum in consonantijs: diefis enim est semitonum minus: diuiditur enim tonus in duo semitona inæqualia, quorum vnus dicitur, diefis. In vocibus autem vnum primum, & minimum est littera vocalis, aut consonans; & magis vocalis, quam consonans. De oratione igitur, quæ horum est mensura, & isto minimo mensuratur, inquiritur, an sit vera species quantitatis?

4 Parum fideliter, & multum confuse sententiæ solent referri. Tres præcipuas inuenio. Prima absolute affirmat esse veram, & propriam speciem quantitatis. Ita videntur tenere Flandria, & Soto vbi supra; sed ex professo docent PP. Carmelitani disput. 13. quæst. 9. qui dicunt esse Philosophi, & Sancti Thomæ, & communem

DD, alios etiam refert, & sequitur Rubio q. 9.

5 Per oppositum alij dicunt orationem non esse speciem quantitatis essentialiter, & per se, sed modo quodam metaphorico. Citatur ex Thomistis Caietanus hic. Et expresse eam tenet M. Ioannes à S. Thoma quæst. 16. artic. 3. conclus. 2. Idem docet Suarez disput. 41. Metaphys. sectione 3. & communiter auctores, qui numerum excludunt à speciebus veris quantitatis.

6 Afinis huic, vel inter vtramque extremam, media sententia, distinguit dicens, quod oratio in ratione extensionis non est vera species quantitatis ab alijs distincta; & sic prætermittitur in 5. Metaphysicæ: cæterum in ratione mensuræ, non est cur suo modo, vel reductiue inter species nõ conueniant, vt hic ponitur à Philosopho. In hac sententia non recedit Caietanus, & expresse, & ex professo docent Sanchez lib. 5. quæst. 26. & 27. & Araujo libro 5. Metaph. quæst. 3. artic. 4. & Lerma libro 7. Logicæ quæst. 15. & alij. Et quod magis mirandum est, fere omnes pro se citant S. Thomam cum tamen sententiæ satis sint oppositæ; & non sint simul ve-

ra. Vt igitur eius mens, & veritas cognoscatur.

## §. II.

*Oratio proprie est quantitas discreta.*

**D**icendum arbitror primo, orationem non metaphorice, sed vere, & proprie esse specie quantitatatis. Ita Philosophus in capite de quantitate textu 1. & quod loquatur de quantitatatis specie propria constat, quia post recensitam orationem inter species quantitatatis, in textu 3. subiungit: *at qui hac sola, qua dicta sunt, proprie quanta dicuntur, cetera vero vniuersa per accidens.* Constat autem, quod quæ dicuntur quanta per accidens, sunt quanta, ad minus, metaphorice.

Fauet non parum S. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. (non artic. 3. ut solet referri) quæstioncula 4. ad 1. dicens: constat enim, quod continuitatis forma ex vocibus unitatem habere non potest, *cum oratio sit quantitas discreta.* Clarius lib. 2. de Anima lectione 18. littera a. inquit; manifestum est enim, quod humana locutio non est continua: *unde, & in libro Predicamentorum, oratio, qua in voce profertur, ponitur species quantitatatis discreta.* Denique opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 3. cap. 1. diuiditur *quantitas discreta in numerum, & orationem.* Et titulus capit. 2. est, *de secunda specie quantitatatis discreta, scilicet, de oratione.* Quæ autoritates, si semel ad sensus metaphoricos, & improprios, detorquentur, nihil poterit autoritate probari: quia quantumuis expressa testimo-

nia adducantur, simili expositione eliduntur.

8 Ratio sumitur ex dictis: quia minorem unitatem (vel saltem non maiorem) habent unitates numeri, ac dictiones, & syllabæ orationis: sed non obstat discontinuatio, & discretio partium numeri, ut non ponatur vera, & non metaphorica species quantitatatis discreta, ut ostensum est quæstione 16. & videndus S. Thomas in 1. dist. 8. artic. 1. quæstioncula 2. ergo nec obstat ut oratio sit vera species quantitatatis discreta.

Dices, ex doctrina M. Ioan. à S. Thoma, disparem esse rationem: quia tempus, & motus sunt quanta per accidens, ut docet Sanctus Thomas 5. Metaph. lectione 15. unitates verò numeri habent suam quantitatem per se: motus autem orationis, in re non sunt aliud quàm tempus, quod est duratio motus: unde cum tempus sit quantum per accidens, etiam oratio solum erit quanta per accidens. Vnde Diuus Thomas in opusculo 48. tractatu de Quanto cap. ultimo, etiam orationem reducit ad mensuram temporis discreti, seu prolationis illius soni.

9 Cæterum ab ista autoritate incipiendo, ibi capite ultimo, quod est octauum, de hoc non tractatur, sed de proprietatibus quantitatatis. In capite autem secundo, illa quidem sententia aliorum nomine refertur; sed ab authore opusculi non approbatur: quod manifestum est, quia non semel ibi ex propria sententia ait: *in hoc autem quod dicitur talis syllo-*

*syllaba brevis, vel longa, non est intelligendū, quod talis breuitas, vel longitudo pertineat ad tempus continuum; ita videlicet, quod oratio sit aggregata ex multis temporibus continuis: alioquin non esset alia species à tempore, &c.* Hoc pro inconuenienti infert: vnde inconueniens maximum est suspicari hanc fuisse illius sententiam.

10 Deinde licet tempus, & motus coexistent orationi; tamen eius mensuratio non est continua, sed discreta: quamuis tempus sit continuum, sicut, & motus primi mobilis: ergo sine causa confunduntur: vnde in illo capite secundo sic dicitur: vnde mensura, quæ est tempus, & mensura, quæ est ipsius syllabæ; licet sint diuersæ mensuræ durationum, seu durabilium; tamen possunt simul existere: & sic syllaba dicitur brevis, vel longa, non ex longitudine, vel breuitate continua, quæ sit in ea, cum ipsa sit indivisibilis, sed ex longitudine; vel breuitate temporis continui, quod ei coexistit. Hæc ibi. Itaque, continuitas ex aliquo per accidens, coexistenti de sumitur; sed mensuratio est sibi peculiaris, & propria.

§. III.

*Distinguitur ab alijs in ratione mensuræ.*

11 **D**ico secundo: licet oratio specie differat ab omni quantitate continua; à numero vero solum differt in ratione mensuræ; non vero formaliter in ratione extensionis discretæ. Prima pars per se est

manifesta, quia syllabæ orationis non continuantur, sed discrete proferuntur. Secundam vero, & tertiam partem intendunt Caietanus; & omnes authores tertie sententiæ; & Flandria, & Soto pro prima relati: vnde non video quo titulo prima sententia dicatur communis.

12 Quod autem differat à numero in ratione mensuræ, probant authoritates adductæ in prima conclusione; & ratio in ipsis indicata, quia numerus solum est mensura unitatum; at vero oratio est mensura durabilitatis. Et hinc probat Philosophus esse quantum: *quia longa breui que syllaba mensuratur*: sic legunt Boetius, & Argyropilus. Nec obstat, quod (vt refertur dicto opusculo 48. cap. 2.) alij textus habent, quod *syllaba brevis, & longa mensuratur oratione*. Nam utrumque est verum, quod oratio mensurat syllabas, & quod ipse syllabæ, vt indivisibiles, & minimum quid illius, ipsam mensurant per repetitionem, sicut in numero.

13 Demum, quod non sit noua species quantitatis essentialiter, & quidditative ab alijs distincta; probatur, in primis, quia à Philosopho, & S. Thoma in 5. Metaph. lect. 15. vbi alia species assignantur, hæc omittitur, vt dicemus etiã in simili quæ est sequenti.

Ratioque est facilis: nam oratio non habet aliam extensionem, nisi extensionem partium, ex quibus componitur; & extensionem totiu: prima non differt ab extensione motus, seu prolationis; & tempo-

ris, de quibus postea dicitur esse  
 quanta per aliud: secunda vero nō  
 differt ab extensione discreta nu-  
 meri: unde oratio est numerus pertinet  
 ad mensuram durationis syllabarum,  
 ut habetur illo opusc. 48. cap. 2. &  
 ita numeramus syllabas orationis,  
 quia dicimus orationem esse dysyl-  
 labam, vel trysyllabam, &c. & car-  
 mina, & pedes ex numero, & dura-  
 tione syllabarum diuersificantur; &  
 hoc modo sunt species diuersae nu-  
 merorum, & oratio diuersa in ra-  
 tione mensurandi. Et sic cessant om-  
 nia argumenta, quae pro extremis  
 sententijs, possent obijci.

14 Totam hanc doctrinam  
 compendio tradit M. Soto quaest.  
 1. de quantitate in solutione ad 6.  
 dicens, quod Philosophus in praed-  
 icamentis in Metaphysica non  
 meminit orationis, vel quia in ra-  
 tione quantitatis non distinguntur  
 tempus, & oratio; quamuis disse-  
 rant in ratione mensurae, quia tem-  
 pus est mensura continua, & ora-  
 tio est mensura discreta. Vel secun-  
 do (& nostro iudicio melius) ait,  
 quod oratio in ratione quantitatis  
 continetur sub numero: quia in ra-  
 tione numeri nihil refert, quod sit  
 permanens, vel successua; sed ta-  
 men in ratione mensurae difert,  
 quod sit mensura perma-  
 nentis, vel successui.

Hæc ibi.

\* \* \*



## QVÆSTIO XVIII.

*De quantitate continua, & spe-  
 ciebus eius.*

§. I.

*Definitiones exponuntur.*

1 **E**Xplicata quantitate discre-  
 ta, dicendum sequitur de cō-  
 tinua, quam Philosophus dixit esse  
*cuius partes copulantur termino com-  
 muni.* Quod bene explicat Caieta-  
 nus capite de Quantitate §: *Quarto*,  
 dicens debere accipi formaliter cō-  
 plexiue, & sub quadam appellatio-  
 ne unde ad hoc quod *terminus sit cō-  
 muni*, exigitur quod actum termi-  
 nandi habeat communem, id est;  
 quod ita sit terminus vnius par-  
 tis, quod etiam sit terminus alte-  
 rius: sicut punctus in quocumque  
 situ lineæ designetur, terminus est  
 vtriusque partis, scilicet, hinc, &  
 inde. Et quoniam terminus, in  
 quantū terminus, oportet quod sit  
 in diuisibilis; quoniam si posset diui-  
 di, iam non vltimum terminans es-  
 set, quia haberet aliquid vltius  
 terminans: ideo *termini communis no-  
 mine, significatur, aliquid indiuisibile com-  
 muniter terminans vtramque partem.*  
 hoc in linea, est punctum; in super-  
 ficie, linea; in corpore, superficies;  
 & in tempore, instans.

2 Pro quo secundo est notan-  
 dum, quod Philosophus in hoc ca-  
 pite, quantitatem continuam diui-  
 dit, in *lineam, superficiem; & corpus*,  
 quas esse continuas explicuit: quia  
 pos-

Possumus sumere communem terminum, ad quem partes lineæ copulentur, nempe punctum; & accipere possumus terminum quo copulentur partes superficiei, scilicet, lineam; & potest sumi communis terminus ad quem copulentur corporis partes, videlicet, superficiem.

3 Ad quod intelligendum, opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 3. capite tertio, & in 4. distinct. 41. quæst. 1. artic. 1. quæst. 5. notatur, quod nos debemus imaginari punctum, quod est indivisibile in linea, moveri (vt si daretur cuspis acus indivisibilis), & motu suo causare lineam; & lineam motam, causare superficiem; & superficiem motam, causare corpus; & nunc, seu instans, motum causare tempus. Quibus sic causatis, & imaginatis; licet non ita sit realiter (quia vt dicit Sanct. Thomas 8. Physicorum lectione 5. littera b. *Mathematici etiam videntur motu imaginato dicentes, quod punctus motus facit lineam*) intelligentur definitiones lineæ, superficiei, & corporis. Quæ traduntur à Philosopho 5. Metaph. textu 18. & exponuntur à D. Thoma ibi lect. 15. littera b. nam magnitudo est, quod est divisibile in partes continuas. Quod quidem contingit tripliciter, & secundum hoc sunt tres species magnitudinis: *nam si sit divisibile secundum unam tantum dimensionem in partes continuas, erit longitudo: si autem in duas, latitudo: si autem in tres, profunditas.* Ex quo solet describi li-

nea, quod sit *quantitas continua punctis*. Superficies, *quantitas continua lineæ*. Corpus *quantitas continua superficiibus*.

4 Vt autem melius percipiatur, quid sit magnitudo, & corpus? Vterius notandum, ex D. Thoma 1. parte quæst. 18. articulo 2. & libro 3. Metaph. lectione 13. in fine, quod corpus accipitur dupliciter, & prout est *in genere substantiæ*, quam consequuntur dimensiones in materia corporali: & in hoc sensu homo substantialiter componitur ex corpore, & anima. Secundo corpus accipitur pro ipsis dimensionibus accidentalibus, quæ sunt *in genere quantitatis*, & de istis nunc loquimur. Videatur Sanctus Thomas quæstione 10. de Veritate articulo 4. ad tertium. & libro 4. contragentes capitulo 80. Et quæ diximus quæstione 2. numero 23.

5 Rursus adverte cum D. Thoma in 1. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 2. & libro 7. Metaph. lect. 12. littera e. quod corpus, vt est substantia, potest accipi dupliciter: *& vt materia animalis, & vt genus.* Si enim in intellectu corporis, intelligatur substantia completa vltima forma, habens in se tres dimensiones; sic corpus est genus, & species eius erunt substantiæ perfectæ per has vltimas formas determinatæ, sicut per formam auri, vel argenti, aut oliuæ, aut hominis. Si vero in intellectu corporis; non accipiatur, nisi hoc, quod est *habere tres dimē*  
so.

siones cum aptitudine ad formam ultimam; sic corpus est materia. Hæc S. Thomas. Quod late etiam declarat capite tertio de Ente, & essentia, ut exponat, quod corpus ut pars non est genus; bene tamen ut simplicitate dicit inferiora. Et ita ut pars, solum est in prædicamento substantiæ reductiue, iuxta dicta quæst. 6. num. 6. at vero ut totum, est genus in arbore prædicamenti directe constitutum, ut patuit q. 11. §. 3. Manet ergo nunc solum tractari de corpore prout significat accidens quoddam trine dimensionis, de quo indubitatum est esse veram speciem quantitatis.

## §. II.

*Utrum linea, & superficies sint species quantitatis?*

**N**egatiuam sententiam probabiliorem iudicat P. Didacus à Iesu disp. 13. parte 2. quæst. 1. quia linea, & superficies sunt entia incompleta; & natura sua ad corporis constitutionem ordinata: ac per consequens, non poterunt esse species quantitatis à corpore distinctæ. Idem sequuntur P. Hurtado disp. 13. Metaph. sect. 6. & Mag. Cabero tractatu 5. disput. 2. dub. 5.

7 Dicendum tamen est, lineam & superficiem esse quantitates, specie distinctas à corpore. Ita Philosophus hic. Et 5. Metaph. lect. 15. & ibi S. Thomas, & in 4. distinct. 40. quæst. 1. art. 2. ad 3. & esse communem DD. pluribus relatis, of-

tendunt PP. Carmelitani disput. 13. quæst. 4. & P. Suarez disput. 40. Metaph. sect. 6. num. 5. ait, quod est sententia Aristotelis, & ab omnibus Philosophis, & in Scholis omnibus communiter recepta. Specialiter videatur Flandria 5. Metaphys. quæst. 14. art. 8.

8 Ratione probatur, primo: ubi est specialis ratio extensionis partium in toto, ibi est peculiaris species quantitatis: sed linea, & superficies afferunt specialem extensionem, & ordinem partium in toto distinctam à corpore: ergo sunt species essentialiter distinctæ à corpore. Maior est manifesta, quia ratio constitutiua generis quantitatis exponitur per extensionem, & ordinem partium in se: & ita species eius distinguuntur per se, ratione peculiarium extensionum partium in toto. Minor probatur: nam extensio lineæ est pænes longitudinem, & extensio superficiæ, pænes latitudinem; extensio vero corporis, pænes profunditatem: sed istæ extensiones in se sunt specie distinctæ; & inde originantur diuersæ correspondentiæ ad locum, ratione distantæ inter ante, & retro: dextrum, & sinistrum; sursum, & deorsum: ergo prædictæ quantitates formaliter specie distinguuntur.

Dices, falsum esse, quod corpus solam dicat profunditatem: quia potius essentialiter est magnitudo trine dimensionis: ergo constat ex alijs duabus ut ex partibus; & ita solum sunt species quantitatis in directe, & reductiue, sicut materia

prima est in genere substantiæ, & punctum est reductiue in genere quantitatis. Vnde inquit Mag. Soto cap. 4. Antepred. quæst. 2. ad 3. quod punctum, linea, & angulus, non directe, sed reductiue ponuntur in prædicamento: ergo linea, & superficies; potius sunt quid incompletum, reductiue contentum; in hoc prædicamento, quam eius rigorosæ species.

9 Hæc tamen euasio, in primis contrariatur Philosopho 5. Metap. textu 18. vbi iuxta translationem Bessarionis ait, *longitudo, linea; latitudo, superficies; profunditas vero, corpus est.* Quod, & asserit ibi S. Thomas lectione 15. littera b. & habetur latius opusculo 48. tractatu 3. cap. 5. in fine, vbi dicitur; notandum quod licet corpus sit trina dimensio, scilicet, longitudo, latitudo, & profunditas; tamen ratio corporis perficitur ex sola profunditate, &c. Et infra: & quia quantitas continua hoc habet, quod semper sit diuisibilis, si corpus in quantum corpus, terminari debet ad indiuisibile. terminabitur ad superficiem, quæ licet sit diuisibilis; non tamen secundum profunditatem, vt dictum est, in qua consistit ratio speciei corporis: & similiter de superficie respectu lineæ.

Ratione que, facile probatur: quia vltima differentia est, quæ complet, & constituit speciem; quamuis alia prædicata generica quasi materialiter supponat, & ea determinet: sed posita profunditate magnitudinis, ponitur formaliter corpus; quamuis supponendo materialiter alias dimensiones: er-

go extensio secundum profunditatem constituit speciem corporis ab alijs distinctam. Quod expresse docet Mag. Soto in expositione huius capitis dicens: *continuum permanens sunt tres species intrinsece, puta, linea superficies, & corpus.* Idem que dicit quæst. 2. conclus. 1. In loco autem relato, solum dicit, quod linea, quatenus indiuisibilis, solum reductiue est in prædicamento, sicut, & punctum: quod verissimum est, sed hoc non contrariari dictis, in solutione ad primum patebit.

10 Altera ratio conclusionis, insinuata à Philosopho, est quia vbi sunt diuersa continuatiua partium, est diuersa continuatio, & extensio partium: sed in linea, & superficie sunt diuersa continuatiua, à continuatiuis corporis: eo quod linea, punctis; superficies, lineis; corpus continuatur superficiebus: ergo in illis est diuersa extensio partium: ac proinde, est diuersa species quantitatis. Hæc ratio non potest hic amplius explicari, quia pertinet ad 6. Physicorum.

A posteriori idem constat: nam diuersæ proprietates, sunt diuersarum specierum, seu quidditatum inditia: sed sunt diuersæ proprietates lineæ, & superficiæ; ac proprietates corporis: ergo in ratione quantitatis linea, & superficies specie distinguuntur à corpore. Probatur minor: nam iuxta Philosophum vbi supra, celsum, & humile sunt passiones corporis; cum tamen latum, & strictum sint passiones superficiæ; & productum, & breue passiones lineæ.

## §. III.

*Argumenta subiunguntur.*

11 **A**D fundamentum primæ sententiæ, sunt Moderni quidam, qui arbitrantur posse responderi: admittendo lineam, & superficiem esse entitates incompletas, non solum prout indiuisibiles; sed etiam prout diuisibiles: quia sub vtraque ratione ad compositionem corporis ordinantur. Hoc tamen non tollit, quod vtraque sit vera, & propria species quantitatis; quia quælibet, prout ab alia distincta, affert partes impenetrabiles diuersæ rationis à partibus alterius.

Sed contra, primo: nam indiuisibile, formaliter prout indiuisibile non est extensum, & quantum; sed solum quantitatis principium: ergo prout indiuisibiles, linea, & superficies non afferunt propriam extensionem: ergo quatenus ordinantur ad corpus formaliter non sunt species perfectæ.

Secundo: licet iuxta præfatam solutionem, linea, & superficies sint partes distinctæ inter se, non tamen sunt distinctæ specie à corpore, quod componunt: alioquin materia, & forma, & omnes partes possent constituere speciem distinctam complete, à toto quod componunt.

Tertio: si parti intranti alterius compositionem, & ipsi toto posset esse aliquid commune vniuocum, sequitur quod completo, & incompleto daretur ratio vniuocæ communis:

quo semel admissio, non video cur genus non predicetur formaliter de vltimis differentijs? Et ita nec esset vniuocum, sed analogum: contra ea, quæ libro primo quæst. 25. §. 6. & libro 2. quæstione 4. diximus.

12 Recurrendum ergo est ad communem solutionem; iuxta quam dicendum, quod linea, & superficies sumi possunt dupliciter: vno modo secundum illam dimensionem, secundum quam habent extensionem, & diuisibilitatem in partes: & sic sunt species perfectæ quantitatis independentes à corpore: alio modo possunt considerari secundum quod habent indiuisibilitatem; & sic solum pertinent ad quantitatem reductiue, vt ex M. Soto dictum est; & quoad hoc linea, & superficies parificantur punctis. Est tamen discrimen, quod punctum omnino est inextensum: ac proinde, incapax sub omni ratione vt sit species perfectæ quantitatis.

13 Contra hanc solutionem instat Didacus à Iesu in fine illius quæst. primæ: quia à superficie præscindi nequit, quod sit talis extensio lata fundans indiuisibilitatem: ergo secundum omnem considerationem est ens incompletum. Probatur antecedens: quia latitudo, vt sic, indifferens est ad latitudinem corporis, & ad latitudinem superficiem, solū que differunt, quod latitudo corporis est latitudo profunda, latitudo vero superficiem est latitudo indiuisibilis secundum profunditatem: ergo illa ratio fundandi

diuisibilitatem est illi essentialis, & ab ea impræscindibilis.

Vel alijs terminis arguunt alij: nam superficies vt est vnio partium corporis, debet esse non solum in diuisibilis secundum profunditatem; sed etiam diuisibilis secundum latitudinem: ergo secundum vtrâque rationem est quid incompletum: ac proinde, nulla relinquitur ratio sub qua sit species completa. Antecedens, quoad primam partem, est manifestam, ex dictis num. 3. & 9. quia omne continuatiuum, & terminatiuum debet esse indiuisibile sub ea ratione qua terminat, & continuat, ne desat processus in infinitum. Quoad secundam vero partem patet ex propria ratione corporis, quod ex trina dimensione constat: & ad sensum manifestatur: quia si cum hac pagina alia illi supra posita vniretur; vnirentur quidem vt partes profundæ; cum vtrâque sit diuisibilis secundum profunditatem: sed duæ paginae non possunt vniri nisi vnio secundum totam plinitiem extendatur: alioquin ea pars planitie, quâ vnio non attingeret, in vnita remaneret, vt ex se constat: ergo de ratione talis vnionis est esse diuisibilem secundum latitudinem.

14 Respondetur, quod realiter, & physice loquendo, vtrûque requiritur ad componendam superficiem, & longitudo lineæ, & indiuisibilitas punctorum lineæ, & indiuisibilitas latitudinis; & pariter in superficie per se requiritur vtrumque & eius latitudo diuisibilis, & quod secundam aliam dimensionem sit in

diuisibilis. Caterum mathematicè, & metaphysice loquendo, quod est formale ad vnâ speciem, est materiale ad aliam: quia entitatiue, & secundum esse physicum potest ex alia componi, & ab ea dependere; & tamen logice, & metaphysice æqualiter participare rationem generis: apponit exemplam S. Thom. 1. P. 2. lect. 8. in principio in speciebus quantitatis discretæ, videlicet, in numeris, in quibus binarius secundum rationem præterit prior est ternarius; sed tamen æqualiter participant rationem generis sui, scilicet numeri, ita enim est ternarius multitudine mensurata per vnum, sicut, & binarius. In quo instatur argumentum: nam implicat ternarius, qui physice non consistit ex tribus vnitatibus indiuisibilibus, quarum duæ priores essentialiter fiat binarius, & tamen addita tertia vnitate, fit numerus specie distinctus à binario: ergo pariter corpus per se præsupponit extensiones, & indiuisibilitates superficiæ, & lineæ; & tamen sunt species distinctæ: quia formaliter sunt tres extensiones immediate participant rationem essentialem quantitatis continuæ.

15 Adit bene P. Suarez illa lect. 6. n. 3. hoc maxime habere locum in accidentibus: quia licet completa sint in specie accidentis; sunt tamen incompleta in genere entis; & ideo facile possunt diuersis respectibus esse completa, vel incompleta accidentia in ordine ad diuersas species: sicut etiam in genere qualitatis, potentia, & actus sunt qualitates completæ; & tamen sunt

sunt quid incompletum inquantum vna ordinatur ad aliam, vt potentia ad actum, vel vt actus ad potentiam: & vt ait ex Philosopho S. Thomas de sensu, & sensato, lectio ne vndecima in principio: *sicut alij colores medijs generantur ex commixtione albi, & nigri, vel ex commixtione causarum albi, & nigri, ita medijs saporis generantur mixtione dulcis, & amari.* Et qualitates mixtae supponunt primas qualitates, ex quibus resultant; vt albedo, & sapor; frigus, & calorem. Cæterum substantia, quæ simpliciter est completa (physice loquendo) nunquam potest esse talis, quæ ordinetur ad componendum aliud substantialiter: eo quod ens completum in genere substantiæ, est completum in genere entis.

16 Præterea arguit Didacus à Iesu: quia impenetrabilitas est passio vere, & proprie quantitatis (imo secundum aliquos, est eius essentia) sed extensiones lineæ, & superficiæ penetrari possunt, & eidem loco correspondere naturaliter: ergo non habent rationem veræ, & propriæ quantitatis. Et si ex eo quod sunt secundum aliquam dimensionem indiuisibiles, recte colligitur penetratio; inde etiam recte colligetur imperfectio specifica.

Respondent aliqui nullatenus naturaliter penetrari duas lineas, aut lineam, & superficiem cum corpore: quia indiuisibilia non sunt in eodem loco, in quo sunt partes, quas continent.

Sed contra hoc est: nam diuisibile non est per se in loco: & ideo etiam Philosophus libro 3. de Cæ-

lo, & mundo lect. 3. littera f. probat, quod punctum non est graue, aut leue, nec spissum, aut raram, nec molle, nec durum: nam omnia ista extensionem quantitaciuam supponunt: quod pariter dicetur de existentia in loco, vt habetur opusc. 48. apud D. Thomam, de Vbi, cap. 2.

17 Melius respondent Thomistæ, quod licet linea, & superficies sint in eodem loco vbi est corpus; non ideo penetrantur, quia partes habent extensas, & non redactas ad punctum; & tangunt se non se intro mittendo in partibus: quod requirebatur ad penetrationem, vt exponunt PP. Carmelitani vbi supra num. 49. & M. Ioan. à S. Thoma q. 16. art. 4. ad 2.

18 Displicet hæc responsio cuidam Recentiori: quia sine fundamento aliquo requirimus ad penetrationem, plusquam existentiam duorum corporum in eodem loco: ergo, cum fateamur vtramque superficiem esse in eodem loco indiuisibili, fateri debemus esse penetratas.

Confirmatur: quia si duæ partes profundæ coniunguntur in eodem loco, dicuntur penetrari, non alia de causa, nisi quia sunt simul in eodem loco: ergo si duo indiuisibilia coniungantur simul in eodem loco, recte dicentur penetrari.

19 Isti tamen, qui sic argumentantur, non aduerterunt, quod ipso argumento solutionem corroborant: quia si penetratio est existentia duorum corporum in eodem loco: cum linea, & superficies, & puncta,

non intellecta profunditate, non sint corpora; etiam si sint cum corpore, non dicuntur penetrari.

Deinde, ut dicit S. Thomas in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 2. quæstioncula 2. & 3. ideo duo corpora naturaliter non penetrantur, quia exigunt diuersitatem in situ: unde indiuisibilia, quæ non habent situationem partium, non occupant locum; & ideo mille indiuisibilia non plus occupant, quam vnum: cum igitur linea versus longitudinem non penetratur; nec superficies versus latitudinem; quamuis componant trinam corporis dimensionem, non dicuntur cum illo penetrari. Quod aliter est, cum per miraculum duo corpora sunt in eodem situ, de quo S. Thomas ibi ad 2. & quæst. 1. de Potentia art. 3. ad vltimum, & Quodlib. 1. art. 22. ad 2.

20 Igitur non quæcumque si multas entium sufficit ad penetrationem; sed similtas habentium magnitudinem mollis, cum diuersitate partium, & situs earum: quod contingit cum situs vnus linear est in latitudine alterius, & situs vnus superficiei in alterius latitudine; vel cum profunditas vnus corporis se intromittit in alterius profunditatem: quod solum fieri potest diuino miraculo. Non verò euenit cum situs longus, & latus, & profundus adunantur materialiter, ut formaliter constituatur profunditas, qua completur

trina dimensio

corporis.

(•†•)

## QVÆSTIO XIX.

*Vtrum locus tempus, & motus sint vere species quantitatis?*

1 **L**ocus, secundum Aristotelem 4. Physicorum lect. 6. apud D. Thomam littera n. *Est terminus continentis, mobili, primus.* Seu, est vltima superficies corporis ambientis quasi vas quoddam immobile. Tempus est *numerus*, seu mensura, *secundam prius, & posterius.* Ita Philosophus lib. 4. Physicorum lect. 17. Motus est *actus entis in potentia secundum quod in potentia; sic definitur* 3. Physicorum lect. 2. vbi egregie declarat: ut à S. Thoma: alia vero definitiones exponuntur opusc. 48. apud D. Thomam tractatu 3. cap. 6. & 7. Sed quia horum examen ad Physicos attinet, sufficiat Logicis definitiones insinuasse.

2 Quantum attinet ad locum, fere communiter Doctores conueniunt, quod non est quantitas distincta à superficie. Ponitur autem à Philosopho hic inter species quantitatis, quia comparatur distincto modo in ratione mensuræ corporis, quod continet. Et ideo S. Th. lib. 5. Met. 15. lect. 15. in fine ait: *locus ponitur ibi; (nèpe in Logica) species quantitatis; non hic (scilicet in Metaphysica) quia habet aliam rationem mensuræ; sed non aliud esse quantitatis.* Videatur S. Thomas in 2. dist. 12. quæst. vlt. artic. vlt. de quo late disputat

Flandria lib. 5. Metaph.

quæstione 14.

art. 9.

Cc

9.10

§. I.

*Sententia Doctorum.*

3 **M**Aior difficultas est de motu, & tempore: nam Fonseca 5. Metaph. cap. 13. quaest. 8. sect. 3. & quaest. 10. sect. 2. & alij motum, & tempus dicunt esse vere, & proprie duas distinctas species quantitatis successivae. Et Aversa quaest. 18. sect. 5. dicit, quod si successio, & continuatio motus ab ipso distinguitur; sic est proprie quantitas continua successiva: secus vero, si identificatur cum ipso motu. Idem que dicit de tempore intrinseco cum quoque motus; secus vero de tempore extrinseco; quia hoc non constituit novam speciem quantitatis.

4 Alij fatentur motum non esse per se, & proprie speciem quantitatis; tempus vero dicunt esse veram speciem quantitatis, quamvis valde imperfectam, & tenuissimam entitatis. Ita ex Thomis Flandria libro 5. 1. Metaph. quaest. 14. artic. 11. & 12. Socinas lib. 5. Metaph. quaest. 24. ibi Aquarius quaest. 11. Masius hic sect. 3. quaest. 5. & 6. PP. Carmel. disp. 13. quaest. 5. ubi citant Toletum, Rubium, & alios.

Quorum fundamentum est: quia Philosophus hic non exiit tempus inter species quantitatis. Nec ab eis exclusum 5. Metaph. quia ibi solum docuit esse *quantitatem per aliam*, ut exponit S. Thomas lect. 13. quod non tollit esse vere speciem quantitatis: sicut corpus, quamvis con-

stet ex linea, & superficie; & quantitas discreta, quamvis causetur ex divisione continua; tamen quia habent propriam extensionem, sunt proprie species quantitatis.

5 Restat probare, quod tempus habeat propriam extensionem ab alijs distinctam: quod sic ostenditur: nam tempus habet proprias partes, scilicet, praeteritum, & futurum: & propria continuativa, scilicet, instans praesens. Item habet proprietates ab alijs diversas: eo quod ceterae quantitates continuae mensurant permanenter, tempus vero successivae; & ideo illa habent totum suum esse simul; tempus solum existit ratione instantis, ut habetur ex D. Thoma opusculo 44. Ergo vere tempus habet propriam extensionem, & rationem specificam quantitatis ab alijs distinctam.

§. II.

*Vera sententia.*

6 **P**ER oppositum alij censent tempus, & motum esse quantitates per accidens, & ambo excludi a speciebus per se quantitatis. Ita Soto hic quaest. 1. ad 6. & Sanchez libro 5. Logicae quaestione 17. Araujo libro 5. Metaph. quaest. 3. artic. 5. à num. 50. & deinceps. Ioannes à S. Thoma quaest. 16. artic. 3. Lerma libro 7. quaest. 12. Imò Suarez disput. 40. sect. 8. & 9. negat tempus esse peculiarem speciem quantitatis adhuc in ratione mensurae.

Hoc

Hoc tamen nullus aliorum authorum admittit: tum propter auctoritatem Philosophi hic numerantis motum inter species quantitatis: quod facere non posset, nisi saltem in ratione mensuræ, aliquid peculiare afferret. Et etiam quia satis apparet, quod tempus est mensura durationis: quod alijs speciebus quantitatis per se non competit: & ideo, ait Sanctus Thomas, *aliam rationem mensuræ habet tempus, quod est mensura extrinseca, & magnitudo, quæ est mensura intrinseca.* Quapropter indubie est tenendum differre ab alijs in ratione mensuræ.

7 Id verò, in quo alij Doctores conveniunt, probant primo, ex D. Thoma libro 5. Metaph. lect. 15. in fine ubi docet, & probat, quod motus, & tempus sunt quantitates per accidens, & per posterius, in quantum quantitatis divisionem ab aliquo priori sortiuntur. Ex quâ doctrina infert recte Philosophus in Metaphysica non numerasse motum, & tempus inter species quantitatis, eo quod ibi; *considerantur* (inquit) *species quantitatis quantum ad ipsum esse quantitatis: & ideo illa, quæ non habent esse quantitatis, nisi ex alio, non ponit hic* (nempe Philosophus in Metaphysica) *species quantitatis, sed quantitates per accidens, ut motum, & tempus.* Quæ authoritas, sincere intellecta, videtur intentum convincere; & ideo huic sententiæ subscribo. Subdit autem S. Thomas: *Motus autem non habet aliam rationem mensuræ; quam tempus, & magnitudo: & ideo nec hic, nec ibi ponitur quan-*

*titatis species. Quod semel notasse sufficiat.*

8 Ratio S. Thomæ sic informata proponi potest: id quod habet extensionem, & divisibilitatem solum per accidens, nō est quantum per se: sed motus, & tempus habent extensionem, & divisibilitatem solum per accidens: ergo non sunt quantitatis species essentialiter ab alijs distinctæ. Maior patet, quia extensio partium in toto est propria ratio quantitatis; cui etiam per se convenit facere divisibile in partes. Minor verò probatur: nam tempus est extensum, divisibile, & continuū propter motum: motus autem propter magnitudinem spatij, in quo mobile movetur: ex eo enim, quod illa magnitudo est quanta, & motus est quātus: & propter hoc quod motus est quātus, sequitur tempus esse quātum: ergo tempus, & motus habent quantitatem, & extensionem per accidens.

Dices: potius quantitas temporis quantificat motum: quia magnitudinem motus ex magnitudine temporis metimur.

9 Hoc facile rejicitur: quia experimur in parvo tempore esse magnum motum; & e contra, in multo tempore solet esse parvus motus: ergo per se primo temporis quantitas non quantificat motum. Motus verò de se non est quantus; quia est actus reddens subiectum motum, non verò quantum formaliter: & cum nulla est distantia spatij, est mutatio in instanti: ergo bene decuxit S. Thomas quantitatem motus ex distantia spatij. Cum autem tempus sit men-

ura durationis motus, & secundū prius, & posterius in motu primitivo: bilis est prius, & posterius in tempore, de quo 4. Physicorum lect. 17. & sequentibus; ideo tempus, & motus extensionem, & divisibilitatem solum habent per accidens.

10 Ex quo soluitur argumentum contra ritum: nam tempus non solum est quantum per aliud, sed etiam non affert extensionem, & novas partes præter partes motus, & iste extenditur extensione spatij; nam nunc loquimur de motu continuo: ut enim dicit S. Thomas 4. Physicorum lect. 17. in fine: *liber numerus sit quantitas discreta, tempus tamen est quantitas continua propter rem numeratam*: sicut decem mensuræ panni, quoddam continuum est, quavis denarius numerus sit quantitas discreta. Et lectione 19. in principio dicit: *tempus est quoddam continuum*; licet autem non habeat continuitatem ex eo quod est numerus, habet tamen continuitatem ab eo cuius est numerus; quia est numerus continui, scilicet, motus.

11 Hæc autem intelligenda sunt de tempore nostro; non autem de tempore angelico; quod est tempus discretum: de quo inquit Casertanus capite de Quantitate 9. *tertio in fine*, quod mensura discreti successiuorum est oratio: propter quod a quibusdam dictum est, quod tempus discretum, a S. Augustino 8. super Genesim ad litteram cap. 29. & Sancto Thoma Quodlib. 2. quæst. 3. artic. 2. & quodlib. 9. quæstione 4. articulo quarto positum, a Philoso-

phis præinuentum fuerit, & orationis nomine insinuatum. Hæc ibi.

12 Adhuc tamen contra conclusionem objicies: nam ratio mensuræ est propria passio quantitatis, iuxta dicta quæstione 14. Sed tempus habet aliam rationem mensuræ distinctam a magnitudine; ut fatetur Sanctus Thomas ergo, & habet aliud esse, & essentiam quantitatis.

Respondetur, quod iam ibi distinximus, quod mensura est duplex; alia intrinseca; & alia extrinseca: mensuræ extrinseca variari possunt ex diuersa applicatione eiusdem quantitatis: sicut ergo superficies, ut mensura intrinseca, est magnitudo; ut ambiens extrinsecum, est locus; ex diuersa applicatione; ita tempus est mensura extrinseca durationum; & non differt realiter a quantitate intrinseca motus, & iste quantificatur ex spatio. Qualiter autem duratio a re durante differat? alterius est speculationis.

13 Proprietates Quantitatis explicantur opusculo 48. apud Dñm Thomam, tractatu 3. capit. 8. eas omittimus, quia patent ex dictis circa proprietates substantiæ, & ex dicendis de fundamento relationum. Videri potest

Sanchez libro 5.

tota quæst.

29.



## §. III.

*Arbor predicamenti Quantitatis.*

14 **Q**uantitas, ut dicitur ordinem in continuam, & discretam: quæ differunt per habere partes copulatas termino communi, vel habere illas separatas, & ad unum communem terminum non copulatas. In ratione autem mensuræ, diuiditur quantitas discreta in numerum, & orationem quamuis secundum rationem essentialè oratio sit species numeri durationum. Orationis varias species recensimus quæst. 17. num. 3. similiter numeri à se sunt specie secundum additionem, vel subtractionem unitatis, ut ait S. Thomas 1. p. q. 76. artic. 3. afferens Philosophum 8. Metaph. textu 10. dicentem, quod species rerum sunt sicut numeri.

15 Quantitatis continuæ, in ratione mensuræ, quinque species assignat Philosophus hic, nempe, *linea, superficies, & corpus, & præter hæc, tempus, & locus.* Quia tamen istas duas diximus esse quantitates per accidens, remanent tres species essentialès: quæ formaliter sunt species infimæ: nam, ut ait S. Thomas libro 10. Ethicorum lectione 5. litter e. *Omnes lineæ, in quantum huiusmodi, sunt eiusdem speciei; & pariter omnes superficies, & omnia corpora.*

16 Nec obstat, quod S. Thomas 1. p. quæst. 7. artic. 3. ad 2. ait: quod sunt diuersæ species magnitu-

dinis lineæ, ut bicubica, vel tricubica, siue circularis, vel triangularis: quod & habetur 1. 2. quæst. 52. artic. 1. Ibi enim est sermo de specie accidentalì, quia figura est qualitas consequuta ad quantitatis terminationem: vel est sermo in ratione mensuræ extrinsecæ. Quod etiam sensu videtur intelligendus Fladria lib. 5. A et ap. quæst. 14. artic. 8. docens, lineam superficiem, & corpus esse species subalternas quantitatis continuæ, cum sub se habeant plures alias species: quia (in eius sententia) per rationem mensuræ circumloquimur essentialiam quantitatis.

17 Veri est sermo de distinctione specifica naturali proveniente à subiecto; non verò de distinctione essentiali mathematica harum dimensionum: quia communis, & vera sententia tenet esse species infimas, ut notat Suarez disp. 41. sect. 3. n. 5. citans S. Thomam 5. Metaph. lect. & 15. & q. 9. de Potentia art. 7. ubi solum lego has esse species; sed non dicit esse infimas. Quavis id teneant communiter Thomistæ propter verba S. Thomæ dicta lect. 5. & ratione patet, quia in ratione extensionis aliæ differentie essentialès excogitari non possunt, propter eam recessitas.

18 Locus diuiditur per diuersos modos mensurandi, & similiter tempus diuiditur in dies, menses, & annos, &c. quia motus primi mobilis hæc mensurat, & diuidit, & designat. De quibus in Physica.

19 Aliam diuisionem quantitatis proposuit Philosophus in hoc capite, dicens: *quantitas, partim ex habentibus positionem in partibus, partim è non*

*habentibus, constat.* Et nõ sumitur hic, *positio*, vt est ordo partium in loco, quia sic est speciale prædicamentũ, quod dicitur *status*: sed accipitur pro ordine partium in toto: & sic est differentia quantitatis.

Vt autem notatur opusc. 48. apud D. Thomam tractatu 3. cap. 4. Ad hoc quod quantitas habeat positionem requiruntur tria. Primò, quod habeat partes continuas signabiles, & non signatas. Secundò, quod secundum hanc signabilitatem habeat partes inter se ordinatas, vnã post aliam. Tertio, quod partes illæ habeant permanentiam. Vnde numerus defectu primi; tempus defectu tertij; & oratio defectu omnium, non habent positionem: nec similiter vnitas. At verò punctum est indiuisibile habens positionem: & aliæ species quantitatis continue permanentes, & similiter locus, sunt quantitates positionem habentes.

20 Ex quo bene deducitur (id quod notat M. Soto in expositione textus) quod hæc non est subdiuisio alicuius membri prioris diuisionis: nec est diuisio generis in species, sicut erat diuisio primæ quantitatis: sed est diuisio subiecti in accidentia: quia vt quantitas habeat positionem, exigit partes esse continuas, signabiles, ordinatas, & permanentes. Insuper tempus, & locus in ratione mensuræ differunt ab alijs, quia sunt mensuræ extrinsecæ, & aliæ sunt mensuræ intrinsecæ.

secæ.

\* \* \*

## Q V Æ S T I O XX.

*Vtrum dentur relationes reales?*

### §. I.

*Ratio ordinis, & terminorum expositio.*

1 **P**ost quantitatem, quæ est accidens consequens, vel correspondens materiæ, videbatur immediate tractandum de qualitate, quæ est accidens absolutum consequens formam, antequam de relatione, quæ respectus ad aliud est, tractaretur: præcipue cum istum ordinem obseruauerint Philosophus 5. Metaph. & ita S. Thomas lect. 16. & opusc. 48. Quia tamen Logicam docemus, in qua Philosophus prius egit de his, quæ ad aliquid, quam de Qualitate; non licet priuata auctoritate hunc ordinem inuertere, contra communem, & tritam methodum ab Authoribus obseruatam.

2 Ordinis Philosophi rationem assignant S. Augustinus libro Categ. cap. 11. & S. Boetius libro 2. in Prædic. com. 38. & libro 3. in principio, Caietanus, & alij exponentes communiter: quia in capite præcedenti, quasi inceperat tractare de relatione, occasione cuiusdam argumenti, & cuiusdam proprietatis quantitatis; ideo illius notiam completam voluit statim tradere: deinde, posita quantitate statim consurgunt relationes, iuxta

vlti

vitimam quantitatis proprietatem: non autem semper qualitates resultant: vnde Philosophus hic obseruans ordinem, quo prædicamenta reliqua dicuntur de substantia, vt notat Soto; non incongrue, post quantitatem, immediate disputat de relatione. De qua, nec omnia, quæ Metaphysici controuertunt, disputabimus; nec Logicis necessaria omitemus.

3 Nomine autem *relationis* intelligitur *respectus vnus ad alterum*, vt ait S. Thomas 1. p. quæst. 28. artic. 3. Philosophus autem in præsentia non vtitur voce *relationis*, sed appellat *ad aliquid*. Quod vocabulum adinuenit Plato, vt ex Porphyrio, notat B. Albertus. Ideo autem potius vocatur *ad aliquid*, quam *relatio*; & propter modum significandi, & propter rem significatam, vt explicat Caietanus hic capit. 3. quia *ly relatio* significat relationem vt conceptam, & non vt exercitam: *ly relatum* significat relationem vt exercendam, magis quam vt exercitam: at verò *ly ad aliquid* significat relationem ipsam vt exercitam: tunc siquidem relatio in verò, & proprio exercitio ponitur, cum ad aliud respicere dicitur. Ex quo dicit Theologus 1. p. quæst. 40. artic. 4. quod apud Caietanum, *relatio concepta*, & *exercita*, solum differunt ex modo significandi in actu signato, vel in actu exercito. Præfertur etiam vocabulum de *ly ad aliquid*, propter rem significatam: quia respectus debet esse inter duo extrema, & *ly ad respectum ipsum* ostendit; & *ly aliquid terminu*,

4 Alia ratio huius vocabuli habetur opusculo 48. apud D. Thomam, vbi tractatu 5. cap. 1. dicitur, quod quia relatio parum habet de entitate; ideo de ipsa non tractat Philosophus; sed solum de *relatiuis*, quæ propter concretione; magis à nobis possunt cognosci: vocat enim *relatiua ad aliquid*. Sed quia iam DD. de harum vocum distinctione non curant; ideo nos cum eis, promiscue vtemur voce *relationis*, *relatiui*, & *ad aliquid*.

## §. II.

*Negatiua sententia.*

5 **H**oc genus entis non dari, sed relationes esse entia rationis antiquissima opinio est: nam eam referunt Auerrois 11. Metaph. textu 19. & ex ipso S. Thomas quæstione 7. de Potentia artic. 9. & Amicena 3. Metaph. cap. 10. quam suscitauit Aureolus in 1. dist. 30. quæst. 1. artic. 2. & dist. 42. 2. p. distin. articulo 2. plures ad id persuadendum congerens rationes; quibus adeo conuincitur Magist. Fr. Basilius Fontius 1. parte variarum quæstione 8. scholastica cap. 3. vt tandem, pagina 283. dicit sibi persuasum *figmentum omnino esse*, quod de *relatione prædicamentali hætenus Philosophi, & Theologi tradiderant*. Pro se refert eos; qui dicunt relationem non distinguui realiter à fundamento: hæ tamen sunt distinctæ quæstiones; quia licet vi argumenti,

quædam sententiam impugnant, velint eos ad hoc inconueniens deducere, vt negent dari relationes reales; tamen ipsi inconueniens non de uorant; sed vitare conantur. Imò P. Suarez, qui illam tuetur sententiam, disput. 47. Metaph. sect. 2. tamen sectione 1. vt *commune axioma* receperat dari in rebus creatis relationes reales, propter rationes Philosophicas, & quia *communis sententia aprior sit ad mysterium Trinitatis declarandum*. Et num. 10. ait, *esse verum, & in Philofophia certam*.

6 Admittunt alij relationes reales; sed dicunt solum esse denominationes reales extrinsecas desumptas ex rebus absolutis simul sumptis, vel coexistentibus. Indicat aperte Durandus in 1. distin. 30. quæst. 2. num. 14. & quæst. 3. num. 10. & deinceps, & in 2. distinctione 5. quæst. 2. num. 8. & expresse docent Gregorius Ariminensis in 1. distin. 28. quæst. 2. artic. 1. & Raphael Auersa quæst. 19. Logicæ sect. 4. & Arriaga disput. 12. Logicæ sect. 9. & lect. 7. num. 29. in fine, sibi obijciens, quia ex sua doctrina sequitur *ausferri in verum prædicamentum*. Irridendo respondet, inconueniens deuorando, & dicens: *sed quid in te? nunquid ausfertur ab Ecclesia aliquod sacramentum; aut præceptum decalogi? &c.* Quasi solum istorum ablatio debeat

Logicis, & cordatis Phi-

losophis inconue-

nens vi-

deri!

### §. III.

*Certum est dari relationes reales.*

7 **D**icendum tamen est, dari in rebus relationes reales prædicamentales. Est non solum Logicorum, & Philosophorum omnium, cum Aristotele in præsentibus; sed Theologorum; imò, & SS. PP. communis; qui exemplo relationum, quæ sunt in creaturis, explicant distinctionem diuinarum personarum, stante vnitæ essentia. De quo videatur S. Augustinus tomo 2. epist. 66. & habetur etiam t. 3. in quæstionibus de Trinitate excerptis ex libris eiusdem Augustini: qui, & videndus tomo 3. libro 5. de Trinitate capit. 5. & libro 7. capite 1. & alibi sæpe.

8 Indequè sumitur primum argumentum: nam in Deo dantur relationes reales: quod definitur in Concilio Toletano vndecimo; & ideo ait Sanctus Thomas in 1. ad Anib. dist. 26. quæstione 2. art. 1. *Secundum omnes catholicos necesse est in diuinis relationes ponere: aliter necesse est incidere in heresim Arrii, vel Sabellij*. Ergo ratio non est ens fictum per rationem, quia distinctionem rationis non negabat Sabellius inter nomina diuinarum personarum: ergo in creatis datur genus quoddam entis; quod suo modo faciat, quod relationes diuine præstant in Deo.

Di-

Dices, argumentum hoc nullius esse roboris: quia relationes diuinas, Deo reuelante credimus; nulla autem reuelatio extat, quae nos cogat credere dari in nobis relationes, sicut nec datur in creatis Trinitas personarum in essentiae unitate: ergo ex Mysterio Trinitatis nullum pro admittendis relationibus realibus creatis sumitur argumentum.

9 Sed contra: quia in Sacra Scriptura, aut in antiquis Concilijs explicite non habentur reuelatae relationes diuinae: eas tamen SS. PP. Concilia, & Theologi deduxerunt, ex eo quod in Sacra Scriptura legunt in Deo vere esse Patrem, & vere esse Filium; & quod realiter distinguuntur: & quia lumine naturae iudicabant per se notum, quod paternitas, & filio, & oppositio, & distinctio non in essentia, relationes quaedam sunt, ideo arcanum Trinitatis Mysterium, relationibus explicuerunt. Sed totum hoc facere non possent, si falsam iudicarent Philosophorum positionem de relationibus: ergo quasi per se notam supposuerunt; & eam quasi canonicarunt. Et hoc inquit Apostolus ad Ephesios 3. dicens: quod ex diuina Paternitate *omnis paternitas in caelo, & in terra nominatur.*

10 Sed respondent, isto argumento non probari constituendas aliquas relationes reales praedicamentales; sed solum transcendentales: quia relatio Patris ad Filium transcendentalis est, cum sit substantialis personae diuinae.

In hac euasione latet aequiuo-

catio: quia nos non assumimus pro medio relationes praedicamentales: quia sic peteremus principium. Sed assumimus pro medio solum relationes reales in Deo; & inde deducimus hoc genus entis non esse confictum. ex inde immediate infertur possibilitas relationis creatae. Quod autem speciale constituat praedicamentum, probandum est ex generalibus principijs: quia dicit specialem essendi modum, fundantem modum specialem praedicandi, non transcendentem omnia genera: quibus adiunctis, habentur relationes reales praedicamentales ex relationibus diuinis.

11 Secundo: vel cum relationes diuinae dicuntur transcendentales; sic appellantur, quia non sunt verae relationes; vel quia licet propriissime sint relationes non tamen sunt in genere creatarum relationum? Primum, salua Ecclesiae, & Patrum doctrina nequit affirmari: alioquin in diuinis esset realis distinctio praedicatorum essentialium. Secundum vero verissimum est: quia sicut diuina substantia non est in genere, ita nec diuina relatio; quia *Deus ad nullum genus determinatur*, ut ait S. Thomas in 1. distinct. 8. qu. 1. art. 2. & videndus art. 3. sed tamen, sicut non obstante, quod diuina substantia, diuina bonitas, diuina scientia, & quidquid est in Deo, sit in illo *eternum*, ut ait S. Dionysius 7. de diuinis nominibus, *sicut est in omnibus causis, & causis*; dantur istarum perfectionum, creaturae participationes quaedam accidentales; ita non est

cur

cur diuinitæ substantialis relationis, nondentur in nobis deficientes aliquæ participationes accidentales: quæ erunt finitæ, & coarctatæ ad vnum genus.

12 Secundum fundamentum proponit S. Thomas 1. p. quæst. 13. art. 7. ita dicens: quidam posuerunt relationem non esse rem naturæ, sed rationis tantum. *Quod quidē apparet esse falsum, ex hoc, quod ipsa res naturalem ordinem, & habitudinem habent ad inuicem.* Hæc ratio est à priori explicans radicem indigentia huiusmodi generis entium: præter alia accidentia absoluta; & illam usurpat Scotus in 3. dist. 1. quæst. 1. Verius tamen proponitur ab ipso S. Thoma q. 7. de Potentia art. 9. vbi sic dicit: perfectio, & bonum, quæ sunt in rebus extra animam, non solum attenditur secundum aliquid absolute inhærens rebus; sed etiam secundum ordinem vnius rei ad aliam: sicut etiam in ordine partium exercitus, bonum exercitus consistit: huic enim ordini comparat Philosophus ordinem vniuersi in 12. Metaph. textu 5. 2. oportet ergo in ipsis rebus ordinem quendam esse: hic autem ordo relatio quædã est: vnde oportet in rebus ipsis relationes qualdam esse, secundum quas vnum ad alterum ordinatur. Hæc ibi.

13 Quod confirmatur primo: quia ante operationem intellectus duo eiusdem quantitatis, vel figuræ dicuntur similes; cum vnus alium genuit, iste dicitur pater, & ille filius; & absolute formaliter istæ denominationes sunt nullo in-

tellectu considerantē; nec pro libito rebus attribuuntur: ergo dantur in rebus respectus, seu relationes reales.

14 Secundo confirmatur: nam solet euenire, quod attentis accidentibus absolutis alicuius, illi conueniāt aliquæ denominationes; & tamen oppositæ de illo verificentur, attento respectu ad aliud: sicut homo parue quantitatis respectu aliorum, est magnæ respectu formicæ; & vt ait S. Thomas 1. 2. q. 112. art. 9. hac de causa dicere solemus, *montem esse paruum, & milium esse magnum*, attendita proportione, & respectu ad aliud; licet absolute, quantitas montis sit magna, & milij parua: ergo dantur vltra accidentia absoluta, quæ rei conueniunt in se, & ad se, alia respectiua, vel potius quæ sunt respectus ad aliud.

Occurunt his, & similibus argumentis, dicentes ad omnia ista sufficere denominationem realem extrinsecam, sumptam à rerum coexistentia: vnde non oportet addere respectum realem, ab extrinseca denominatione distinctum.

15 Sed contra, primo: nam denominationes istæ, vel sunt solum per rationem; vel vere formaliter dantur in rebus? Si primū; nõ constituent prædicamentum: quia, vt ait S. Thomas in 1. dist. 26. quæst. 2. art. 1. *nihil quod est ens tantum in anima, in genere determinato collocatur*: & ideo dicit ipse S. Thomas quæst. 7. de Potentia artic. 9. *Si relati non esset in rebus extra animam, non penetraretur ad aliquid vnum genus prædicamenti.* Et rursus, non verificaretur, quod

quod formaliter ante operationem intellectus dux quantitates eiusdem magnitudinis sunt æquales; & quod qui genuit filium, est pater, &c. Ergo restat, quod denominationes istæ realiter dantur in rebus. Sed de nominatio realis extrinseca, non est aliud quam inchoatio, & quasi medietas (vt sic liceat loqui) relationis: quia est respectus ex vna parte, & non ex ambobus extremis: ergo quando ex vtraque parte est fundamentum reale, vere datur in rebus relatio realis.

16 Quod secundo probatur, ratione indicata à S. Thoma in 1. distinct. 26. vbi supra: nata ideo denominatio dextri, & sinistri in animali est realiter, & in pariete, vel columna est extrinsece; & non intrinsece nisi per rationem: quia *in animali fundantur in diuersis virtutibus, de terminatum partium, sed in alijs non sunt, nisi secundum rationem habitudinis vnus ad alterum: & ideo dicuntur relationes rationis*: videlicet vt considerantur in columna; & realiter sunt in animali; sed dantur aliæ res habentes respectum; & in vtraque est æqualis ratio, vt ex parte vtriusque oriatur respectus: ergo tunc vere est relatio realis: sicut æqualitas, inquit S. Thomas, *fundatur supra quantitates, & huiusmodi relationes aliquid realiter in re sunt.*

17 Explicatur vis huius relationis: quia ad complementum vniuersi pertinet, quod si dantur aliqua entia partialia, & incompleta in aliquo genere, etiam in eodem dantur alia entia completa, & perfecta, ne gradus, & genera rerum

sint sine debita perfectione; & ideo Theologi 1. p. quest. 50. probant Angelos esse totaliter spirituales; ne vniuersum esset imperfectum; cum spiritualitas in homine sit solum in vna parte, quæ est anima. Sed denominationes reales extrinsece, sunt habitudines reales ex parte vnius extremi, & quasi pars realis relationis: ergo ad complementum vniuersi pertinet, quod datur entia perfecte respectiua ex parte vtriusque; & ista entia erunt relationes reales.

18 Contra communem conclusionem quindecim argumenta obiecit Aureolus; quæ omnia refert, & diluit Capreolus in 1. dist. 30. quest. 1. multa alia Oëtham, & Gregorij: sed quia omnia potius intendunt impugnare distinctionem relationis à fundamento (de quo postea erit specialis questio) quam quod non dantur reales relationes: quod solum modo stabilite conamur; ideo melius referuantur sequenti q. 22. diluenda.

## QUESTIO XXI.

*De varijs diuisionibus relationis.*

1 Quoniam æquiuoca, vel analogia prius sunt diuidenda, quam definienda; ideo postquam explicuimus an est relationis; illius diuisiones oportet explanare; quia de illis non vniuce, sed analogice dicitur relatio.

(. § .)

## §. I.

*Referuntur tres divisiones.*

2 **R**elatio ergo est duplex, alia *realis*; alia *rationes*. Quam divisionem tradit S. Thomas 1. p. quaest. 28. art. 1. & eam sic explicat: nam ea, quae dicuntur ad aliquid, communissime, & abstracte loquendo, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, utpote, quando aliqua res secundum suam naturam ad invicem ordinatae sunt, & invicem inclinationem habent: & huiusmodi relationes oportet esse reales. Aliquando vero respectus significatus per ea quae dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri; & tunc est relatio rationis tantum: sicut cum comparat ratio hominem animali, ut speciem ad genus. Eandem divisionem tradit S. Thomas in 1. distinct. 20. artic. 1. & distinct. 26. quaest. 2. artic. 1. & distinct. 33. artic. 1. & Quodlib. 9. art. 4. & alibi saepe. Non tamen est opus in ea amplius exponenda immorari: quia de relatione reali in quaestione praecedenti, & insequentibus plura dicemus; & de relatione rationis egimus libro 1. quaest. 8. & 10. De ista divisione videatur Magist. Flan-  
dria 5. Metaph. q. 6. art. 8.

3 Alia relatiuorum divisio est frequentissima apud D. Thomam, & alios auctores communiter; vi-

delicet, quod quaedam sunt *relatiua secundum esse*, & quaedam *relatiua secundum dici*. Quam ita explicat S. Thomas 1. p. quaest. 13. artic. 7. ad 1. dicendum, quod relatiua quaedam sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relatiuas; ut dominus, seruus, pater, & filius, & huiusmodi: & haec dicuntur relatiua secundum esse. Quaedam vero sunt imposita ad significandum res, quas consequuntur quaedam habitudines; sicut mouens, & motum, caput, & capitatum, & alia huiusmodi; quae dicuntur relatiua secundum dici. Et quaest. 7. de Potentia art. 10. ad 11. sic: dicuntur relatiua secundum esse, quando nomina sunt imposita ad significandas ipsas relationes: relatiua vero secundum dici, quando nomina sunt imposita ad significandas qualitates, vel aliquid huiusmodi principaliter ad quae tamen consequuntur relationes.

Idem docet S. Thomas quaest. 21. de Veritate artic. 6. & libro. 1. sententiarum distinct. 30. quaest. vii. artic. 3. docet, quod relatiua secundum dici principaliter dant intelligere rem alterius praedicamenti; & ex consequenti important relationem. Et ideo hb. 2. dist. 1. quaest. 1. art. 5. ad 8. relatio secundum esse appellatur à D. Thoma *relatio absoluta*; at vero loquens de relatiuis secundum dici, subdit: quaedam autem relatiua sunt, quae simul important relationem; & fundamentum relationis, &c. Et habetur idem in pusc. 48. apud D. Thomam tract. 5. capite. 1. Quam explicationem sequuntur omnes Thomistae, &

Durandus in 1. dist. 24. quæst. 1. n. 14 & alij Doctores non pauci.

4 Tertia, satis recepta, diuisio relationis est, quod alia est transcendentalis, alia prædicamentalis. Istam diuisionem, sub istis terminis, non memini me legisse in D. Thoma; quamuis in ipso legam dari relationes reales, quæ prædicamentum ad aliquid constituunt, ut videri potest quæst. 7. de Potentia artic. 9, & in 1. distinct. 26. quæst. 2. artic. 1. & Quodlib. 9. art. 4. & 1. p. quæst. 28. artic. 1. & 2. ex quibus locis arguetur deducitur dari, non solum relationes reales prædicamentales, sed etiam transcendentales. Non tamen explicite declarauit S. Thomas, quæ relationes sint transcendentales, & in quo differant. Nec determinauit, qualiter istæ diuisiones sint comparandæ: & an vna sit alterius subdiuisio? Quod oportet declarare, ne in vsu istarum vocum æquiuocatio contingat.

## §. II.

*Diuersi modi eas explicandi.*

5 **N**on est, circa hoc vna DD. explicatio: nam Henricus Quodlib. 3. quæst. 4. opinatur relationem secundum dici esse eandem cum relatione rationis. Quod *verisimile* appellat Suarez disput. 47. sect. 3. num. 7. Nec multum ab hoc dicendi modo distant, qui dicunt relatiua secundum dici esse illa, quæ solo nomine referuntur: quod constat ex proprietate vocabuli. Ita Vazquez 1. p. disput. 173. num. 13.

& Conimb. hic quæst. 1. & alij: & utroque modo posse diuisionem hæc explicari; quamuis neuter sit de mente Philosophi, affirmat Auerfa q. 19. sect. 3.

6 Suarez vero vbi supra num. 9, opinatur relationes secundum dici diuersas esse à prædicamentibus, & transcendentalibus. Et num. 10. dicit, quod relatio realis, & secundum esse, diuiditur in transcendentalem, & prædicamentalem. Pro quo refert S. Thomam 1. p. q. 28. artic. 1. vbi ponit exempla relationum realium transcendentium: *sicut in corpore graui est inclinatio, & ordo ad locum medium.*

7 Multi ex Thomistis videntur pro eodem accipere relatiua secundum dici, ac relatiua transcendentalia; quia sunt absoluta, relatiue significata, & concepta: & relatiua prædicamentalia, & relatiua secundum esse. Ita Soto hic q. 1. in principio, advertens, quod origo istarum vocum fuit definitio Aristotelis: nam in definitione antiquorum, quæ erat de transcendentalibus, posuit *ly dicuntur*, & in definitione propria, quæ conuenit solis prædicamentibus, apposuit, *ly sunt*. Subscribunt eidem sententiæ Sanchez lib. 5. tota quæst. 31. PP. Carmelitani. disput. 14. quæst. 2. n. 16. & 17. & tandem Auerfa in fine illius sect. 3.

Addit Mag. Fr. Ioannes à S. Thoma quæst. 17. art. 2. quod diuisio relationis in realem, & rationis solum in relatione secundum esse inuenitur.

8 Quamquam multæ ex relatiuis

tis sententijs, non alio possint impugnari, quã ex usu vocum apud antiquos consueto: quia tamen voces istæ frequentissimæ sunt in Scholis; non parum interst, earam legitimam significationem perspicuam habere; ne huius neglectu, in disputationibus contingat hallucinari, vel in æquiuoco laborare.

### §. III.

#### *Vera explicatio diuisionum.*

9 **D**ico primo; diuisio relationis in relationem secundum dici, & secundum esse, non coincidit cum diuisione in realem, & rationis; nec ista est subdiuisio relationis secundum esse; sed potius sunt diuisiones relationis in communi à distinctis principijs desumptæ. Ita Caietanus hic capit. 3. & Soncinas libro 5. Metaph. quæst. 30. & Sanchez in fine illius quæst. 31. & est adeo expressa S. Thomæ, vt mirum sit, qualiter ab eo, qui ipsam legit, possit eius mens indubium verti: nam quæst. 7. de Potentia artic. 10. ad 11. ita scribit S. Thomas: dicendum, quod distinctio illa relationum secundum esse, & secundum dici, nihil facit ad hoc, quod sit relatio realis: quædam enim sunt relatiua secundum esse, quæ non sunt realia; sicut dextrum, & sinistrum in columna: & quædam sunt relatiua secundum dici; quæ tamen importat relationes reales, sicut patet de scientia, & sensu. Et infra. Nec quantũ ad hoc differt, vtrũ sunt rela-

tionem rerles, vel rationis tantũ; Hæc ibi. ¶ Et in lib. 1. sent. ad Anib. dist. 30. art. 1. ad 2. ait: non omnia relatiua secundum esse important relationem realem, vt patet de identitate: sicut nec è contrario relatiua aliqua secundum dici important relationem rationis, vt patet in scientia: dicuntur enim relatiua secundum dici quando principale significatum nominis non est relatio, sed aliquid aliud, ad quod sequitur relatio; siue illa sit realis, siue non: sicut principale significatum huius nominis scientia, est qualitas, quam sequitur quidam respectus. Sed secundum esse relatiua dicuntur, quando principale significatum nominis est ipsa relatio, siue sit realis, siue non. Hucusque D. Angelicus. Habetur idem opusculo. 48. tractatu 5. capite. 1.

10 Rationes sunt insinuatæ à D. Thoma: altera ab exemplis: nam inductione constat dari relationes rationis, quæ sunt secundum esse; & dari relationes secundum dici, quæ sunt reales. Secundo idẽ probatur ex doctrina Philosophi, qui in hoc capite reiecit antiquorũ definitionem, quæ dabatur de relatiuis secundum dici: & tamen sub illa comprehenduntur partes substantiæ, identitas, scientia, dextrum, & sinistrum; quarum aliqua sunt reales; & alia rationis: & in istis proprijsime sunt relationes: ergo nec prima, & secunda diuisio sunt confundendæ, nec vna est alterius subdiuisio. Nec obstat illud quod asserabatur de nominis proprietate: quia voces istæ ortæ sunt

sunt ex definitionibus Philosophi: quem sic eas usurpasse, ex contextu constat.

11 Sed contra expositionem S. Thomæ obijcit Auersa dicens: hæc tamen explicatio est difficilis: tum quia sic non distinguuntur formaliter varia relatiua: sed tantum ex vna parte relatiua formaliter, seu relationes ipsæ; & ex alia relatiua subiectiue, & fundamentaliter, seu subiecta, & fundamenta relationum. Tum quia Aristoteles etiam relatiua secundum dici accepit formaliter quatenus referuntur: caput quatenus est capitati caput; & in toto prædicamento loquitur de relatiuis formaliter, prout dicuntur, seu sunt ad aliud. Tum demum, in hac explicacione sub relatiuis secundum esse includuntur etiam transcendentia; quæ certe vere, & formaliter referuntur: ergo non determinantur relatiua propria huius prædicamenti.

12 Respondetur ad primum, negando antecedens: quin potius, vt notauerat Soncina libro 5. Metaph. quæst. 30, quædam sunt relatiua per se, quædam per accidens, quibus scilicet, accidit relatio, vt dicit Commentator 5. Metaphys. textu 20. in fine. Et relatiua, quæ per se referuntur, & in suo conceptu important relationem, diuiduntur in relatiua secundum esse, cum tantum, vel principaliter, relatio significatur; & relatiua secundum dici, cum in recto importatur res absoluta, & in obliquo, & de connotato, aut secundario ipsa relatio:

non tamen omnino per accidens. Vnde sine causa confunditur diuisio relationis in secundum esse, & secundum dici, cum diuisione relatiuorum omnino per accidens, & perse: quia potius hoc secundum est diuisum illius diuisionis.

Vel secundo potest dici, non esse magnam inconueniens hoc modo illam diuisionem exponere: quia Philosophus 5. Metaph. & S. Thomas lectione. 17. littera f. ponunt tres modos, quibus aliqua dicuntur ad aliquid, non secundum se, sed secundum aliud. Et vltimus est, quando subiectum dicitur ad aliquid ratione accidentis, sicut homo, vel album dicitur ad aliquid, quia vtrique accidit duplum esse, & hoc modo caput dicitur ad aliquid, eo quod est pars. Hæc ibi: & sic coincidit cum relatione secundum dici.

13 Ad secundum respondetur, quod vt ait Caietanus hic capite 3. parte 1. in fine, relatiua secundum dici; alio vocabulo dicuntur significare, non tam respectum, quam absolutam respectiue; vt scientia, sensus, & huiusmodi: & ista important relationem, vt per quam explicamus, id quod essentialiter est absolutum, & exprimi non potest sine respectu: & sic caput est corporis capitati; & sic de alijs; & tamen est relatiuum secundum dici: nam entitatiue est pars substantiæ.

Ad tertium iam diximus, quod ibi S. Thomas expressam mentionem non facit relationum transcendentium; & ideo non curat exac-

re distingere, & exponere in quo differant à prædicamentibus, quia de illis non disputabat; illarum tamen discrimen ex alijs locis suæ doctrinæ iam exponemus.

14 Dico secundo; relatio prædicamentalis non conuertitur cum relatione secundum esse; sed relatio secundum dici conuertitur cum transcendentali: at vero relatio secundum esse reale inhaerens, erit relatio prædicamentalis. Prior pars sequitur ex dictis: quia identitas, & dextrum, & sinistrum sunt relationes secundum esse; & non sunt prædicamentales, vt docet S. Thomas relatus num. 9.

Secunda pars probatur: nam relatiua secundum dici, principaliter important quid absolutum, vel substantiam, vel qualitatem, vel aliud huiusmodi: ergo vagantur per alia genera, & non coartantur ad vnum genus: sed sola prædicata transcendentia hoc habent: ergo conuenienter dicuntur relatiua transcendentalia.

15 Tertia pars clarescit ex dictis: nam ostensum est, quod relatio est verum ens reale, & quod vt tale constituit speciale genus entis.

Ergo idem est relationem esse vere, & proprie relationem realem secundum esse, & collocari in genere determinato: quod est esse prædicamentalem. Et hoc solum

intendunt Thomistæ re-

lati num. 7. excep-  
tis Recentio-  
ribus.

### §. III.

*Relationes sunt aliquid reale secundum esse ad.*

16 **S**ed contra hanc tertiam partem conclusionis est argumentum: nam etiam relationes rationis, si sint secundum esse, sunt prædicamentales: ergo relatio prædicamentalis non conuertitur cum relatione reali secundum esse. Antecedens probatur primo: quia licet in ratione materialiter præsupposita ad relationem, analogentur; tamen in ipsa ratione formalissima respectus, vniuoce, & secundum rationem eandem videntur conuenire. Secundo probatur ex D. Thoma 1. p. quæst. 28. art. 1. docente: *solum in his, que dicuntur ad aliquid inueniuntur aliqua secundum rationem tantum, & non secundum rem: quod non est in alijs generibus &c.* Ergo secundum D. Thomam, hoc est peculiare prædicamento relationis, quod in illo continentur relationes rationis. Quod & docet quæst. 1. de Verit. art. 5. ad 15. & Quodlib. 9. artic. 4.

Præterea: quando aliquid non est reale ex differentia, vel ratione sibi propria, simpliciter est proferendum non esse aliquid reale: quia vnumquodque iudicatur tale ex vltima differentia, vel ex ratione sibi peculiari, & propria: sed relationes prædicamentales, non sunt aliquid reale ex ratione sibi peculiari, & propria: ergo simpliciter loquendo, non sunt aliquid reale. Probatur minor: ratio sibi propria non est in esse,

esse; sed ad aliud se habere: sed hæc non est aliquid reale vt sic: quia formaliter non est substantia, vt patet: nec formaliter est accidens: quia accidens, vt accidens, inest: ergo relatio, vt relatio, non est aliquid reale. Quod totum videtur docere S. Thomas dicta quest. 28. artic. 2. dicens. *Si igitur consideremus etiam in rebus creatis relationes secundum id quod relationes sunt, sic inveniuntur esse subsistentes; non intrinsecus affixe, &c.* & q. 2. de Potentia artic. 5. ait: *relatio secundum rationem sui generis, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliud, &c.* Quod, & docet ibi q. 7. artic. 8. & in 1. dist. 26. q. 2. artic. 1. & dist. 30. art. 1. & in 3. dist. 8. art. 5. & alibi sepe.

17 Pro illorum solutione, notandum primo, ex D. Thoma illa q. 28. art. 2. quod in quolibet noue generum accidentis est duo considerare: quorum vnum est esse, quod competit vnicuique ipsorum secundum quod est accidens: & hoc communiter in omnibus est in esse subiecto: accidentis enim esse est in esse. Aliud quod potest considerari in vnoquoque, est propria ratio vniuscuiusque illorum. Et ratio quidem propria relationis, non accipitur secundum comparisonem ad illud in quo est; sed secundum comparisonem ad aliquid extra. Vt autem rationem illam communem accidentis distinguamus à ratione propria, & voce incomplexa vtramque significemus; priorem vocamus (vt iam omnes appellant) *conceptum in*, & posteriorem *conceptum ad*,

18 Secundo notandum, ex Ferrar. lib. 4. contrag. cap. 14. ad 9. §. *Ad primi dubij*, quod conceptus *ad*, dupliciter accipi potest: vno modo in generali. abstracte; & illimitate, in quantum, scilicet, absolute importat dici ad aliud, non determinando quod sit reale, vel rationis, vel habeat causam realem, vel non. Alio modo in speciali, & limitate, in quantum scilicet importat dici ad aliud ex natura rei, siue habens fundamentum in re. Vtraque ratio est propria relationis, id est, alijs non conueniens: sed tamen solum secundum modo est peculiaris predicamenti constitutus, quia modus peculiaris generis accidentis non excludit modum generalem, & commune in accidentis realis, sed illum determinat, & ita propria ratio relationis predicamentalis dicit, quod ita inhaereat substantiæ, quod ex natura sua referat ad alterum.

19 Ex quo patet ad formam primi argumenti, negandum esse antecedens: quia, vt ait S. Thomas quest. 21. de Veritate artic. 1. ad 3. loquendo de relatione vera, & secundum esse: *omnis relatio realis est in genere determinato: sed relationes non reales possunt circuire omne ens.* Ad primam probationem dicitur, quod cum enti reali, & rationis non possit dari aliquid commune vniuersum; quamuis relatio rationis non improprie, sed vere sit relatio, non tamen conuenit vniuersum cum relatione reali predicamentali; & ideo non collocatur in eodem predicamento: quin potius entia rationis

simpliciter à predicamento excluduntur, vt ex D. Thoma dictum est quæst. præcedente, & quæstione 6. num. 3.

Ad secundam dicitur, S. Thomam non loqui de propria ratione relationis predicamentalis, vt predicamentalis determinate; sed abstracte, & analogice, vt relatio est. Quæ est cõmunis expositio, vt pluribus relatis ostendunt PP. Carmelitani disp. 13. q. 1.

20 Per quæ paret ad secundum, negandam minorem. Ad probationem dicitur, quod ratio relationis propria, vt est predicamentalis, nõ est aliquid absolutum; sed tamen vere est aliquid reale respectuum: vnde S. Thomas in 1. dist. 8. quæst. 4. art. 3. ad 4. ait: *quod debilitas esse relationis consideratur secundum inhaerentiam sui ad subiectum: quia non ponit aliquid absolutum in subiecto; sed tantum per respectum ad aliud: aliquid ergo reale secundum conceptum ad predicamentale ponit; non absolutum, sed respectuum; quia formaliter suum esse est ad aliud se habere realiter.*

21 Authoritates etiam illæ, loquantur de esse ad abstractissime in illa ratione analogica communissima; non verò de ratione determinata peculiaris predicamenti constitutiuæ. Vel in illis non attendit S. Thomas ad rem significatam, sed ad modum significandi; quia modus proprius relationis non est significare ponendo, sed ad aliud se habendo: & ita quamuis in se, non tamen significatur nisi vt assistens, quo pacto quandam Boerij doctri-

nam exponit S. Thomas 1. p. quæstione 28. artic. 1. ad 1. & videndus quæst. 40. artic. 1. & late hoc docet Flandria libro 5. Metaph. quæst. 16. toto articulo 14.

### §. V.

*Discrimen inter relationem predicamentalem, & transcendentalem.*

22 **D**ico tertio, relatio realis plures cõditiones requirit; nempe, subiectũ reale, rationẽ fundandi realem; terminum realem, & realiter existentem; & realem distinctionem fundamenti, & termini. Prima pars est per se nota: quia relatio est vnum ex nouem generibus accidentium; & ita debet sibi conuenire predicatum essenziale accidentis, nempe, inhaerentia aptitudinalis & cum actu est, debet actu inesse: vnde S. Thomas 1. p. quæst. 28. artic. 2. ait: *Si vero consideretur relatio secundum quod est accidens, sic est inherens subiecto, & habens esse accidentale in ipso.* Et quæst. 39. artic. 1. dicit: *relationes in rebus creatis accidentaliter insunt.*

23 Secundam partem docet S. Thomas in 1. dist. 26. quæst. 2. art. 1. ad 3. & dist. 33. artic. 1. Imò multis alijs locis docet, quod relatio habet esse reale ex causa respectus; propriam verò rationem generis, vel speciem habet ex respectu ipso, vt videri potest in 3. dist. 8. artic. 5. ad 2. & Quodlib. 1. articulo 2. & Quodlib. 9 articulo 4. ad 3. & Quodlib. 12. articulo 1. quia per hoc distinguuntur relationes  
re 3

reales, & rationis, nempe, per rationes fundandi: & quia res, quæ est in se. non habet quod ad aliud ordinetur, nisi huius habitudinis aliqua sit peculiaris origo, & ratio fundandi.

24 Quod relatio requirat duo extrema, expresse docet S. Thomas 1. p. quæst. 13. artic. 7. & hæc de causa relatio eiusdẽ ad se ipsum, non est realis, vt docet S. Thomas 1. p. q. 28. artic. 1. ad 2. & artic. 4. ad 1. & vt docet S. Thomas in 1. dist. 30. artic. 1. relatio secundum actũ exigit duo extrema actu existerẽ. Vnde, & relatio realis dupliciter destruitur, scilicet, vel destructo fundamento, vel ratione fundandi; aut cessante respectu corrupto termino: vt docet S. Thomas in 1. dist. 26. q. 1. art. 1. ad 3. & in 4. dist. 41. art. 1. q. 2. & quæst. 7. de Potentia art. 9. ad 7.

Vltima pars patet, quia sine reali distinctione, non est realis oppositio. Et hæc realis distinctio debet esse formaliter in ratione fundandi ex parte subiecti, & termini: de quo S. Thomas 1. p. quæst. 42. artic. 1. ad 2.

25 Omnes istæ conditiones habentur opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 5. cap. 1. vbi & additur, quod ratio ex parte correlatiuorum est, quod sint eiusdem ordinis; ita videlicet, quod ambo sint limitate ad genus, vel speciem; vel ambo sint extra genus, ita quod ex æquo respondeat eis ratio generis, aut speciei. Sed hæc conditio intelligitur pro reatiuis mutuis; non vero in non mutuis; & sic relatio sciẽ-

tiæ ad scibile est relatio realis; e converso autẽ est relatio rationis tantũ vt docet S. Thomas 1. p. q. 6. art. 2. ad 1. & q. 13. art. 7. & sc̃pissime alibi: & hoc modo in creaturis sunt reaties relationes ad Deum; in Deo verò secundum rationem tantum, vt eisdem locis ait S. Thomas.

26 Ex dictis deducuntur discrimina consueta assignari inter relationem transcendentalem, & predicamentalem. Primũ est: nam transcendentalis non requirit tot conditiones, quas requirit predicamentalis.

Secundũ est: nam transcendentalis non est aliquid superadditum relatiuo, vt docet Caietanus 1. p. q. 77. artic. 3. secus verò dicemus de predicamentali.

Tertiũ est: quia ad relationẽ predicamentalem non datur per se motus, vt dicitur 5. Physicorũ, & docet S. Thomas 1. dist. 9. in expositione textus. Et in 3. dist. 2. q. 2. art. 2. q. 3. at verò relatio transcendentalis potest per se intendi, vt scientia, & similes.

27 Celebre etiã est aliud discrimen assignatũ à Caietano cap. 7. de Ente, & essentia quæst. 15. quod relatio predicamentalis respicit terminum pure: vt terminum; relatio vero transcendentalis non respicit præcise vt terminum, sed vel vt subiectum, vel vt effectum, vel causam. Quod discrimen aliquatiter innotescet ex dicendis q. 24. de termino relationis, & longior istorum expositio ad Metaphysicos attinet.

28 Aliud potest adhuc assignari discrimen: inam vt docet S. Tho-

mas in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 2. quæst. 4. relationem non potest esse principium, nec terminus actionis: at verò relatio transcendentalis est actiua, & terminat directe actionem. Et radix omnium est assignata num. 13. quia vera relatiua solum sunt relatiua secundum esse; & si sunt realia, sunt prædicamentalia; at verò transcendentalia sunt absoluta in re, & respectiue significantur.

## §. VI.

*An sit relatio extrinsecus adueniens?*

29 **P**Ræter tres iam relatas, & expositas, & cõmuniter receptas, relationis diuisiones, aliam excogitauit Scotus in 3. dist. 1. q. 1. §. ad illud; & in 4. dist. 13. quæst. 1. §. ad hæc, autem, & Quodlibeto 11. §. de primo, videlicet, quod alia est relatio intrinsecus adueniens; & alia est ratio extrinsecus adueniens. Relatio intrinsecus adueniens dicitur illa, quæ necessario consequitur fundamentum intrinsecum; vel quæ necessario consequitur fundamento; & termino in actu positis: ut relatio æqualitatis, quæ sequitur quantitatem; & relatio similitudinis, consequuta ad qualitatem. Relatio extrinsecus adueniens est illa, quæ non sequitur aliud quod fundamentum intrinsecum, vel quod præ necessario consequitur ambobus extremis positis; ut, unio, nam sit ambobus extrema esse; & quod non sit unio similiter ubi, & sex vltima prædicamenta sunt relationes extrinsecus aduenientes.

30 Hanc distinctionem reijcit Soto hic quæst. 1. ad 3. ex eo quod hæc diuisio nullibi ante Scotum inter Philosophos reperitur. Et Aristoteles 5. Metaph. textu 20. omnium relationum prædicamentaliũ posuit intrinsecum fundamentum. Deinde, sex vltima prædicamenta non sunt relationes secundum esse, & prædicamentales, ut late probat Soncinas 5. Metaph. quæst. 39. alioquin non erunt decem prædicamenta; vel erunt plura quam decem, si pro quolibet genere infimo nouum prædicamentum est constitutendum.

Nec loquitur Scotus de Relatione secundum dici, vel transcendentali; quia apud ipsum, unio relatio prædicamentalis est, ut patet in 3. dist. 1. q. 1. §. Sed circa: quia tota quidditas huius quod est uniri, est esse ad aliud se habere, ut etiam docet S. Thomas in 3. dist. 2. q. 2. art. 2. quæst. 3. & in Compendio Theologie cap. 154. in fine.

Ex quo reijciuntur relationes extrinsecus aduenientes: quia vel in illorũ definitione est sermo de fundamentis remotis, vel de fundamento proximo, seu ratione fundandi; si primũ, illa definitio in omni relatione verificatur. Si secundũ, falsum est quod ponatur actio vniuiua, & passio, quæ ex illa inferitur, & quod extrema non sint vnita: ergo nulla dabitur relatio extrinsecus adueniens. 31. Aliæ argumenta obijcit Suarez d. sp. 48. Metaph. sect. 1. a num. 6. vsque ad 9. quæ omnia, quia perspicue faciunt vim in modo loquendi, & inquirunt cur relationes sic appellentur.

32 In alio capite defectuosa a nimadvertitur illa diuisio à P. Raphaeli Auerſa q. 19. ſect. 2. quia videtur diuiſio inadæquat; cum dentur relationes, nec aduenientes ab extrinſeco, nec ab intrinſeco, ſed *primò veniente*: dicuntur; vt materia prima, accidens, & creatura, quæ eſſentialem ordinem dicunt ad extrinſecum: quamuis hæc omnes relationes non ſint de prædicamento ad aliquid.

Cæterum cum Scotus de prædicamentibus loquatur; iſto argumento nõ præmetur: & totum etiã videtur de modo loquendi: quia primo venientes etiã dici poſſunt ab intrinſeco venire, non faciendo vim in vocabulorum origine.

33 Quod ſi Scotus explicetur, quod relationes intrinſecus aduenientes vocet prædicamentales; & extrinſecus aduenientes transcendentales, vt exponit Arriaga diſp. 12. ſect. 2. num. 7. in re ab illo non diſſentimus: ſed modus loquedi videtur incongruus; & definitiones minus aptæ; quia multa relatiua transcendentalia ſunt, quæ dominant ratione fundamenti intrinſeci: imò transcendentales reſpectus eſſentiales ſunt rebus: & præſentia, & duratio neceſſario conſequentur ambobus extremis poſitis; & ideo potius deberet illis aptari definitio relationum intrinſecus aduenientium. Et denique iam notatum eſt, expoſitionem hanc eſſe contra mentem Scoti, vt iam diu notauerat

Soto.

\*\*\*

QVÆSTIO XXII.

*Quotuplex ſit relatio prædicamentalis?*

§. I.

*Ex ratione fundandi tria relationum genera.*

1 **D**ico primo; relationes prædicamentales diſtinguuntur per neſ diſtinctas rationes fundandi. Ita docet, & probat S. Thomas in 1. diſtin. 26. q. 2. art. 2. ad 4. dicens: quia relatio non habet eſſe naturale, niſi ex hoc quod habet fundamentum in re, & ex hoc collocatur in genere (ſeu hæc de cauſa eſt realis prædicamentalis: ) *inde eſt, quod differentiæ relationum eſſentiales ſunt tantum ſecundum differentiæ aliorum entium;* vt patet ex Philoſopho 5. Metaph. textu 20. &c. Inde eſt, quod ſecundum ordinem eorum, in quibus fundantur relationes, eſt etiã ordo relationum. Docet idem S. Thomas libro 3. ſenten. diſt. 8. art. 5. & Q. dlib. 1. artic. 2. & ratio S. Thomæ eſt facilis: quia ab eodem res habet unitatem, & diuerſitatem, a quo habet eſſe ſed a ratione fundandi habet relatio prædicamentalis ſuam realitatem; ergo & ab illa habet diſtinctionem.

2 Sed obijcies: nam vt docet S. Thomas 1. 2. q. 54. artic. 4. omnia, quæ dicuntur ſecundum ordinem ad aliquid, diſtinguuntur ſecundum diſtinctionem eorum ad quæ dicuntur; & ſic habitus ſpecificantur

Dd 3

tur

tur per obiectū, & distinctio motuum est per terminorum distinctionem: sed vt docet S. Thomas 1. p. quaestione 32. artic. 2. ratio specifica relatiui consistit in hoc quod aliud se habet: Ergo vnitas specifica relationum non attenditur per nes fundamenta, & causas, sed per nes terminos.

Respondetur, quod loquendo de vnitate reali, & materiali relationum, absque dubio hæc sumitur ex fundamento, & non ex termino, & de ista expresse loquitur S. Thomas 3. p. quaest. 35. artic. 5. dicens: *Vnitas relationis, vel eius pluralitas non attenditur secundum terminos: sed secundum causam, vel subiectum.* Et hoc, non solum ratione generali, quia duo accidentia eiusdem speciei non possunt esse in eodem subiecto; sed ratione peculiari, quia relatio realitatem habet à ratione fundandi.

3 Loquendo autem de distinctione specifica relationū, sumitur quidem ex ordine ad terminum, vt pluribus argumentis probat Socraticas libro 5. Metaph. quaest. 32. conclus. 1. Cæterum causaliter sumitur ex subiectis, seu rationibus fundandi vt sumitur ex D. Thoma locis citatis: quæ sic exponuntur à Flandria lib. 5. Metaph. quaest. 16. artic. 10. & sic distinctio specifica originatur à rationibus fundandi; & est in ordine ad terminos; non quidem materialiter sed secundum rationes fundandi, & terminandi. Quam esse communem DD. pluribus relatis ostendunt PP. Carmel. disp. 14. quaest. 7. Quia igitur ex origine, & radice facilius cognoscun-

tur diuersa genera relationū; ideo Philosophus, & S. Thomas ex diuersitate fundamentorum diuersitate relationum assignant.

4 Dico secundo; tria sunt genera relationum, quædam fundata in quâtitate, & numero; alia in actione, & passione; alia in mensura esse, & veritatis. Ita Philosophus 5. Metaph. textu 20. Cuius diuisionis rationem sufficientiæ assignat S. Thomas 5. Metaph. lectione 17. in principio dicens: ratio autem istorum modorum hæc est: cum enim relatio, quæ est in rebus, consistat in ordine quodam vnus rei ad aliam; oportet tot modis huiusmodi relationes esse, quot modis contingit vnâ rem ad aliam ordinari. Ordinatur autem vnâ res ad aliam; vel secundum esse, prout esse vnus rei dependet ab alia; & sic est tertius modus: vel secundum virtutem actiuam, & passiuam, secundum quod vnâ res ab alia recipit, vel alteri confert aliquid; & sic est secundus modus: vel secundum quod quantitas vnus rei potest mensurari per aliam: & sic est primus modus. Hæc ibi.

5 Sed obijcies: non minus est accidens absolutum quantitas, quâ qualitas: sed hoc non obstat ad hoc vt quantitas sit ratio fundandi relationem: ergo pariter qualitas erit ratio fundandi aliquam relationem. Imò idem dicendum videtur de alijs quatuor vltimis predicamentis: quod sint rationes fundandi, sicut actio, & passio fundant relationem.

Respondet S. Thomas quod qualitas rei in quantum huiusmodi non respicit nisi subiectum in quo est: unde secundum ipsam vna res non ordinatur ad aliam; nisi secundum quod qualitas accipit rationem potentiae passivae, vel activae, prout est principium actionis, vel passionis; vel ratione quantitatis, vel alicuius ad quantitatem pertinentis: sicut dicitur aliquid albius alio; vel sicut dicitur simile quod habet vnam aliquam qualitatem.

6 Ad secundam partem argumenti etiam respondet ibi S. Thomas, quod alia genera magis consequuntur relationem, quam possint relationem causare: nam *Quando*, consistit in aliqua relatione ad tempus: *Vbi* verò, ad locum: *Positio* autem ordinem partium importat: *Habitus* autem, relationem habentis ad habitum. Haecenus S. Thomas. Unde cum locis quaestione sequenti citandis dicit, quod inter omnia genera debilissimum, & vltimum est relatio, loquitur comparative ad genera absoluta, & quae non fundantur in ipsa, nec sunt relativa secundum dici, vt sunt substantia, quantitas, & qualitas vt plurimum.

§ II.

*Vtrum sint praedicamentalia?*

7 **C**irca haec tria genera relationum in communi, dubitatur vtrum omnes pertineant ad hoc praedicamentum?

Si credimus Mag. Cabero hic

tractatu 5. disput. 3. dub. 8. M. Lorca in manuscriptis dialecticis docuit solas relationes, quae in actione, & passione fundantur esse praedicamentales, nullamque aliam directe in praedicamento collocari. Idem sequitur Cabero dub. 7. & probat: nam coartari debet relatio praedicamentalis: quia cum distinguatur à fundamento, crescet nimium entitatum multitudo.

Secundò: quia in Deo realis personarum distinctio, realisque similitudo, nõ sunt reales relationes: unde non est cur in creatis esse relationes reales dicamus.

Tertiò: nã denominatio coexistentis, & distantis sunt denominationes extrinsecæ: ergo similiter denominationes diuersi, aut similis erunt extrinsecæ denominationes;

\*Et cum dubio 7. plane passus esset, se recedere à Philosopho, & S. Thoma, & communis sententia: tamen dubio 8. pronuntiat esse expressè in suam nuperam doctrinam, S. Th. in 1. dist. 9. in expositione literæ his verbis: *Relationes vocæ non possunt innasci realiter in aliquo nisi per motum: quamuis enim relatio non sit terminus motus per se, tamen consequitur motum, sicut augmentum sequitur aequalitas.*

8 Per oppositum P. Raphael Auerfa quaest. 19. sect. 7. nec relationes tertij, nec secundij generis arbitratur pertinere ad hoc praedicamentum; sed solum relationes primi generis. Nec diuisionem traditam n. 4. arbitratur esse de mente Philosophi: quia Aristoteles non tradit illam diuisionem ex parte

fundamenti : nec dixit relationes fundari in unitate, & sic de alijs, sed asseruit dici secundum unitatem: & unitatem accepit pro conuenientia quadam. Et specialiter de tertio genere non dixit fundari in ratione mensuræ: sed solum dixit quadam relatiua dici, vt mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum. Vbi potius hæc omnia tanquam distincta exempla apposuit; & non quasi vellet scibile, & sensibile contineri sub mensurabili. Et Philosophus non posuit in tertio genere scientiam, & sensum; sed posuit scibile, & sensibile, illa scilicet, quæ non per se dicuntur ad aliud; sed solum denominantur, eo quod alia dicuntur ad ipsa.

9 Dico tamen tertio: omnia genera relationum iam recensita, continentur directe tanquam species generalissimi generis relationis prædicamentalis. Ita S. Thomas 5. Metaph. lect. 17. & ibi omnes Interpretes, præcipue Flandria q. 16. per septem articulos. Suarez disp. 47. Metaph. sect. 10. & alijs quinque sequentibus. Theologi omnes 1. p. q. 28. art. 4. & communiter Dialectici in presenti: que probatio ab authoritate in his materijs sufficere deberet; sicut sufficit ad notariã numerũ prædicamentorum admittendũ, quauis sola probabili coniectura nitatur.

Ratio est facilis ex dictis: quia dantur relationes reales prædicamentales: & illæ sunt tales, quæ habent conditiones relatas quæ est. 21. concl. 3. Sed nulla est assignabilis ratio cur in secundo, vel primo ge-

nere istæ conditiones reperiãtur, & nõ in omnibus relatis: ergo vel omnes, vel nullæ erunt relationes prædicamentales.

### §. III.

#### *Soluuntur argumenta.*

10 **A**D primũ in contrariũ dicitur, quod distinctio relationis à fundamẽto minus recepta sententia est, quã quod istæ relationes sint prædicamentales: vnde si altera erat negãda, erat illa: quia fere tot sectatores habet pars affirmatiua, ac negatiua; & non ista, quæ ab vno, vel altero cõtra torrentẽ Doctorum leuiter negatur; & sine firmo fundamẽto. Multiplicare autẽ entia tam minima, multi non reputant incomueniens: & alij id vitare conantur, de quo postea quæst. 23. & hic num. 26.

Ad secundũ dicitur, quod etiã in creatis distinctio, & oppositio ipsius relationis, non est relatio ipsi superaddita: *ne relationes multiplicentur in infinitum*, vt ait S. Th. 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. & q. 35. art. 3. ad 2. ait. *relationes, cum hic ipsarum quod sunt, ad aliquid dicuntur, non referuntur per aliquas alias relationes, sed per se ipsas.*

11 Ad tertium, vel potest admitti illas esse relationes reales; & pariter dextrã, & sinistrã in animalibus: quia in illis habent determinatas virtutes, in quibus fundentur; secus vero in rebus inanimatis: quia in illis sunt denominationes pure extrinsecæ. ¶ Vel potest negari esse relationes secundũ esse: quia simul esse,

non dicit habitudinem ad aliud, nisi ex modo significandi: & reperitur in Deo, & in angelo, & in omnibus entibus: & ita videtur respectus rationis, vel transcendens.

12 De mente autem S. Thomæ gratis dubitatur, cum expresso nostram conclusionem doceat illa lect. 17. & 1. p. quæst. 28. art. 4. & in 1. dist. 26. quæst. 2. artic. 2. ad 4. & in 3. distinct. 5. artic. 1. & distinct. 8. art. 5. & 4. contrag. capite 24. & quæst. 7. de Potentia artic. 9. & 10. & quæst. 8. artic. 1. alibi que sæpe. Sed quid opus est auctoritates congerere, cum in ipsa, quæ obijcitur, ipsi obijcitur è diametro opponatur? Ibi enim docet S. Thomas, quod ad relationem non datur ipse motus; sed quod motus est directe ad aliud prædicamentum; & inde resultat relatio: *sicut* (inquit) *augmentum sequitur æqualita*. Hæc est relatio fundata in quantitate, quæ est relatio primi generis, ad quam motus se habet antecedenter; ergo oscitanter legerunt S. Thomam, qui ex isto loco conclusionem illi expresse repugnantem, deduxerunt.

13 Secunda etiam sententia nullo firmo nititur fundamento, nec auctoritatis, nec rationis; ideo gratis asseritur; & non gratis deseritur. Ponderationes illas ad eleuandam auctoritatem Philosophi, iam tetigerat Suarez tota lect. 13. sed tamen. n. 8. non audeat à communi sententia discedere.

Sed descendamus ad eas in particulari; primum fundamentum posuit Philosophus cōprehendere, quæ ad ali-

quid dicuntur *secundum numerum*, & *quantitatem*. Et cum latissime explicuisset, quæ ad aliquid dicuntur secundum numerum, & secundum passionem numerorum, quæ sunt comensuratio, proportio, & huiusmodi: postea proponit *relatiua, quæ accipiuntur secundum unitatem*. Et deinde ait: *quæ ut ea omnia dicuntur ad aliquid, secundum numerum quidem, sed non eodem modo*. Quorum verborum planus sensus est; quem ibi declarat S. Thomas lect. 17. littera c. nam primæ relationes erant secundum numerum ad numerum, vel secundum numerum ad unum; hoc autem secundum unum absolute. Ex quo patet, quod multis retro sæculis textus Philosophi est à Sancto Thoma, & alijs manifeste intellectus.

14 Ad id quod ponderatur tertio genere, bene respondet Mag. Ioannes à S. Thoma quæst. 17. art. 3. difficult. 2. in fine. Quod Philosophus prius in genere docuit fundamentum esse mensuram, & mensurabile, postea subiecit exempla; & incepit ab illis, in quibus non est relatio realis, ut declararet relationem esse non mutuam: quod expressius fiebat explicando extrema, ex parte quorum relatio non datur. Et hoc clare declaratur in ipso textu, & in D. Th. littera e. nã constituitur differentia inter relatiua tertij generis, & alia: *nam ista dicuntur talia propter relationem alterius ad ipsum*. Videatur S. Thomas 1. p. quæst. 13. articulo 7. & multis alijs locis relatis in tabula aurea v. *relatio numero* 43.

15. Fateor tamen non semper relationes, de quibus mentionem facit Philosophus; habere omnes condiciones requisitas ad relationes prædicamentales: nam in relationibus secundigenis, ut notat S. Thomas lect. 17. littera d. in illis, quæ dicuntur secundum potentiam actiuam, & passiuam, attenditur diuersitas secundum diuersa tempora: quædam enim dicuntur secundum tempus præteritum, & quædam secundum futurum: & tamen docet S. Thomas libro 2. contragent. capite 12. ad 3. quod omnis relatio ad ens tantum in potentia, est relatio rationis tantum. Etiam diximus ex D. Thoma in 1. distinct. 30. artic. 1. quod relatio secundum actum requirit duo extrema actu existere: vnde ad præteritam, & futuram, in quantum huiusmodi, non est relatio realis, prædicamentalis.

16. Deinde in eadem lectione 17. docet S. Thomas, quod ad hoc genus relationum reducuntur illæ relationes, quæ dicuntur secundum priuationem potentia, ut impossibile, & inuisibile: dicitur enim aliquid impossibile huic, vel illi, & similiter inuisibile. Constat autem istas potius esse denominationes extrinsecas, vel relationes secundum dici, quam relationes reales prædicamentales: quia fere nullam conditionem obseruant, ut consideranti patebit. Per quod non collitur, quod per se loquendo, & seruatis seruandis, ista tria genera sint species relationum prædicamentali-  
 mentalium: quod solum intendimus in conclusione.

§. III.

*Vtrum aliqua relatio prædicamentalis possit immediate fundari in substantia?*

17. **L**icet omnium relationum fundamenta, & distinctio- nem sigillatim exponere ad Metaphysicam attineat, & ideo hic omittenda illorum exacta disputatio: non potuimus tamen ab hac difficultate hic abstinere, quia non parum lucis affert dicendis sequenti questione.

18. Affirmatiua sententia est satis probabilis. Primo; quia est fere communis: quia eam tenent Flāndria 5. Metaph. quæst. 16. art. 16. Sanchez lib. 5. quæst. 32. & alij quos citant, & sequuntur PP. Carmelit. disput. 14. quæst. 4. num. 29. & 43. Suarez disput. 47. sect. 7. & Rubio questione. 10. & alij apud ipsos.

19. Secundo suadetur ex Philosopho, & S. Thoma libro 5. Metaph. lect. 17. littera c. dicentibus: *eadem sunt quorum substantia est vna: similia, quorum qualitas est vna, equalia, quorum quantitas est vna.* Ergo sicut relatio æqualitatis est realis prædicamentalis, immediate fundata in quantitate, ita identitas, Vnde opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 5. cap. 4. expresse dicitur: *Nihil tamen obstat, quin relatio possit*

*immediate fundari in substantia : nam in vno in substantia fundatur identitas, in vno in quantitate fundatur aequalitas, in vno in qualitate similitudo. Quod amplius declarat S. Thomas 1. p. quæst. 28. artic. 1. ad 2. docens identitatem numericam esse relationem rationis; at vero identitatem specificam, & genericam esse relationem realem. Quod, & docet libro 5. Metaphys. lectione 11. in fine.*

Deinde S. Thomas quæst. 7. de Potentia artic. 9. ad 4. & in 3. distinct. 5. quæst. 1. artic. 1. docet sub primo genere relationis comprehendere: quæ induant modum quantitatis, secundum quod in eis attenditur unitas, vel multitudo: ad quod sufficit unitas transcendentalis substantiæ.

20 Præterea: relatio creationis est prædicamentalis, vt docet S. Thomas 1. p. quæst. 45. artic. 3. ad 3. & quæstione 2. de Potentia artic. 3. sed ista immediate fundatur in substantia, vt expresse docet S. Thomas quæst. 7. de Potentia artic. 9. ad 4. vbi ait: *creatura refertur ad Deum secundum suam substantiam, sicut secundum causam relationis; secundum vero relationem ipsam formaliter, sicut aliquid dicitur simile secundum qualitatem casualiter, secundum similitudinem formaliter: ergo non solum in primo, sed etiam in secundo genere, relationes prædicamentales immediate fundantur in substantia: & relatio immediate conuenit substantiæ, quæ à patre procedit.*

*De tertio fundamento, idem conf*

*tat: nam relationes illæ, quæ Angelis, aut animalia dicunt ad primū Angelum, & animal, tanquam ad mensuram suæ perfectionis essentialis, facis constat fundari in ipsa substantia eorum.*

21 Potissima omnium ratio est: quia non apparet aliqua ratio, cur quantitas, & actio fundent relationem prædicamentalem, & non ipsam possit fundare ipsa substantia? ¶ Dices, rationem esse, quia debet dari aliqua ratio fundandi distincta ab ipso subiecto quod.

Sed contra: quia relatio ex propria ratione solum exigit realem distinctionem inter terminos, inter quos exercetur oppositio relativa: ceterum quod requirat distinctionem inter rationem fundandi, & subiectum, nullæ ratione probatur: & ita gratis asseritur. Deinde, licet substantia seclusa relatione non sit ad aliud; ipsa tamen relatione immediate sibi adueniente, iam erit formaliter ad aliud: ergo relatio irealis prædicamentalis potest immediate fundari in substantia.

§. V.

*Probabilius est relationem prædicamentalem non posse immediate fundari in substantia.*

22 **N**ihilominus opposita sententia maiore habet probabilitatem; quia erat apud antiquos ita communis, vt Mag. Socrinas libro 5. Metaph. quæst. 31. ad 4. oppositam

tam rēatur solum d' sputatiue; licet nō assertiue. Et hanc admittit M. Ferrara libro 4. contragentes cap. 14. ratione nona, ad primum dubium in prima solutione. Et tenet Magist. Thomas Mercado cap. de Relatione quæstione vnica, qui docent nullam relationem realem prædicamentalem esse immediate in substantia vt in ratione fundandi; sed si nullum mediet accidens, erit solum relatio transcendentalis, vt volunt authores relati, vel relatio rationis, vt contendit P. Fonseca libro 4. Metaph. cap. 2. quæst. 7. sect. 8. & libro 5. cap. 1. quæst. 1. sect. 7. sed quidquid sit de hoc; id in quo omnes conueniunt.

23 Probaturo primo, ex D. Thoma libro 3. Physicorum lectione 1. littera c. dicente: *cum relatio habeat debilitissimum esse, quia consistit tantum in hoc quod est ad aliud se habere, oportet quod super aliquod aliud accidens fundetur: quia perfectiora accidentia sunt propinquiora substantia, & eis mediantibus, alia accidentia substantia in sunt.* Quæ autoritas expressa videtur: quia loquitur de omni relatione prædicamentali, vt ex contextu constat: & non loquitur de mediatione solum ex modo significandi, sed de medio realiter à substantia distincto, vt patet ex illis verbis: *oportet quod super aliquod aliud accidens fundetur.* Et ratio sumpta ex debilitate entitatis relationis, hoc idem declarat. Repetit idem S. Thomas lib. 12. Metaphysicæ lect. 4. littera b. dicens, ea quæ sunt ad aliquid remotiora videntur esse à substantia, quam alia genera, ex eo quod sunt

debilioris esse: vnde, & substantia interuenientibus alijs generibus, &c. Hoc ideo quia substantia est per se existens; quantitas autem, & qualitas sunt entia in alio; sed relatiua non solum sunt in alio, sed ad aliud: Hæc ibi.

Idem habetur in D. Thoma lib. 4. contragentes capit. 14. ratione nona, vbi ita dicit: relatio realiter substantiæ adueniens, & postremū, & imperfectissimum esse habet: *postremum quidem, quia non solum præexistit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio, &c.* De sumpta que videtur hæc doctrina ex D. Damasceno cap. 50. suæ Dialecticæ.

24 Præterea idem esse de mente Philosophi 5. Metaph. constat ex D. Thoma ibi lect. 17. vt retulimus num. 5. & 6. nam non dubitaret, cur in substantia, & qualitate nō fundetur relatio; & fundetur in quantitate, & actione; si existimaret in omnibus istis fundari.

Quod vrgentissime probatur, ex D. Thoma 1. p. quæst. 28. artic. 4. dicente: *secundum Philosophum in 5. Metaph. relatio omnis (loquitur de prædicamentali mutua) fundatur, vel supra quantitatem, vt duplum, & dimidiū; vel supra actionem, & passionem, &c.* Ergo ex mente D. Thomæ, & Philosophi, nulla relatio prædicamentalis fundatur immediate in substantia. Id que docet S. Thomas locis relatis num. 12.

Dices, ipsum S. Thomam se explicuisse quæst. 7. de Potentia artic. 9. docens, quod in substantia prout in ea consideratur aliqua ratio quantitatis prout

*prout vnum in substantia facit idem, pos-  
sunt fundari relationes reales.*

25 Sed contra primo: nam ibi  
clare loquitur de relatione secun-  
dum dici, vel transcendentali, quæ  
habet aliquam similitudinem cum  
prædicamentali: nam præmiserat:  
*per substantiam autem, & qualitatem or-  
dinatur aliquid ad se ipsum tantum, non  
ad alterum, nisi per accidens:* ergo so-  
lum per accidens, seu per aliud, &  
medijs alijs accidentibus, substan-  
tia fundat relationem.

Secundo vrgentissime replica-  
tur: nam admissa illa expositione,  
ratio S. Thomæ in illa quæst. 28.  
nullius esset roboris: quia ex eo  
quod *quantitas non est in Deo*, infert,  
*quod realis relatio in Deo esse non possit,  
nisi super actionem fundata.* Quæ illa-  
tio, nec apparens esset, si quantitatis  
nomine, intelligeretur quantitas  
perfectionis, & substantiæ: quia ista  
propriissime est in Deo: Qua pro-  
pter hæc secunda sententia videtur  
priori præferenda; quia magis ad  
mentem S. Thomæ.

26 Præter rationem D. Tho-  
mæ, desumptam ex debilitate enti-  
tatis relationis, extant alia non le-  
uis momenti. Primum, quod me-  
maxime mouet, est quia reputo ex-  
pressam sententiã D. Thomæ, quod  
relatio realiter distinguitur à sub-  
stantia, & si in illa posset immediate  
fundari relatio, cresceret numerus re-  
lationum, ultra quam credi potest:  
vt facili patet consideranti: quod  
inconueniens, licet multi paruipen-  
dant; non tamen ita facile videtur  
de vorandum: quia sine vrgenti ne-  
cessitate entitates non esse multipli-

candas, per se notum est. ¶ Iterum  
sequitur, quod verum accidens præ-  
dicamentale inhæreat immediate  
materiæ primæ, contra ea quæ do-  
cet S. Thomas locis relatis 2. p. Me-  
taph. Controu. 3. quod nullum ac-  
cidens immediate in est materiæ pri-  
mæ. Probat sequela: nam distinc-  
tio est relatio, & materia, vt distinc-  
ta à forma, non posset non hanc re-  
lationem habere: item, conuenit  
specie, vel differt vna materia ab  
alia. Alij faciunt argumentum de  
relatione vnionis, quæ est inter ma-  
teriam, & formam: de qua tamen  
alia est ratio, vt vidimus loco cita-  
tato in Metaph. controu. 5. nume-  
ro. 52.

27 Tertium inconueniens est:  
quia si relatio immediate potest fun-  
dari in substantia, quia ipsæ substan-  
tiæ se ipsis distinguuntur, & sunt em-  
denti, vel diuersæ speciei, pariter in  
ipsis relationibus poterunt aliæ re-  
lationes fundari: quia etiam sunt  
eiusdem speciei, & dissimiles alijs  
à quibus specie differunt: sed hoc  
est falsum, & non cõsonã doctrinæ  
S. Thomæ relatæ num. 10. ergo  
nec dicendam est, relationes præ-  
dicamentales immediate fundari in  
substantia.

Responderi potest ex D. Thoma  
quæst. 7. de Potentia art. 9. ad 3.  
quod relationes ipsæ non referun-  
tur ad aliud per aliam relationem;  
sed per se ipsas; quia essentialiter re-  
lationes sunt. Non autem est simile  
de his, quæ habent substantiam ab-  
solutam: vnde non sequitur proces-  
sus in infinitum. Hæc S. Thomas:  
vnde ex eius mente, videtur in

conueniens prædictum non sequi.  
 28. **Hæc doctrina S. Thomæ**, vt ab ipso intenditur, euidentis est: quia ratio, formaliter vt ratio, non refertur alia relatione; ne detur processus in infinitum: at vero hoc inconueniens non sequitur, si substantia dependentia à creatore, sic ratio superaddita ipsi substantia. Cæterum argumentum procedit de relatione materialiter; & intendit probare, quod in illa superaddatur alia ratio similitudinis, & alia dissimilitudinis; quæ videtur innumera relationum multiplicatio: & omnino necessaria; quia in ista ratione ratio non exercet formaliter munus relationis.

29. Non me latet hoc non reputare inconueniens. Scorum in 2. distinct. 1. quæst. 4. & 5. & in 4. distinct. 6. quæst. 10. & Suarez disput. 47. sect. 11. num. 5. & Rubio, quæst. 11. & ex Thomistis Sanchez libro 5. quæst. 34. concl. 3.

30. Cæterum nobis sufficit, quod oppositam sententiam docent frequenter. D. D. 1. p. quæst. 42. artic. 3. & in præsentia testantur esse *communem Doctorem PP.* Carmelitani disput. 14. quæst. 4. num. 31. & M. Ioannes à Thoma quæst. 17. artic. 3. difficultate 1. qui 9. *Ad oppositum* docet relationes eiusdem speciei habere similitudinem, & conuenientiam quasi transcendentalem, non relatiuam prædicamentalem; ne sequatur processus in infinitum. Et subdit, quod huius ratio à priori sumitur ex debilitate relationis. Et addo quod S. Thomas quæstione 3. de Potentia art. 3. ad 2. vniuer-

saliter loquitur dicēs: *nulla relatio refertur alia relatione, vt Auicenna dicit.* ergo pariter substantia non fundabit relationem prædicamentalem: quia se ipsa specie differt ab alia.

31. Præterea: sic se habet vnitatis ad numerum, sicut res distinctæ se habent ad relationem distinctionis; sed ostensum est supra ex D. Thoma 1. p. quæst. 30. artic. 3. & quæst. 50. artic. 3. & quæst. 11. quod in rebus spiritualibus non est numerus, qui est species quantitatis, sed est multitudo transcendentalis: ergo pariter distinctio sola substantiarum, non erit ratio prædicamentalis, nisi alias conditiones requisitas ad hoc habeat: nec ad hoc sufficiunt prædicata transcendentalia. Vnde sicut vnum est de transcendentibus; ita, & distinctio, & similitudo essentialis. Et in hoc insinuata est ratio à priori.

Et omnibus istis rationibus, & auctoritatibus ad minus depromemus maximam huius sententiæ probabilitatem: nam opposita de rogare nolumus, sed permitimus hoc esse problema dialecticum; in quo vnusquisque poterit in suo sensu abundare. Quia tamen magis in hanc secundam sententiam inclina-

mus, oportet vt argumenta solvamus.



## §. VI.

*Soluuntur argumenta.*

32 **A**D omnes authoritates S. Thomæ adductas num. 19. respondemus, omnes illas esse quidem reales relationes; sed non prædicamentales, & secundum esse; sed solum secundum dici, & transcendentales: quia iam ostendimus num. 25. sic se explicuisse S. Thomam. Et num. 16. & 16. habentur alix relationes secundum dici, quarum meminit ibi, cum Philosopho, S. Thomas, vel quia committantur illas aliquæ relationes reales prædicamentales, vel quia transcendentales habent aliquam similitudinem cum veris relationibus.

33 Ad authoritatem, quæ obijcitur num. 20. fatemur relationem, qua creatura refertur ad creatorem, esse prædicamentalem, & fundari, vt in subiecto *quod*, in substantia; ceterum proxima ratio fundandi est dependentia creaturæ, vel creatio passiva, quæ est in creatura vt accidens eius, & ita ait S. Thomas quæst. 3. de Potentia art. 3. ad 3. quod secundum quod *ex actione agentis inascitur prædicta relatio, sic est quoddammodo prior subiecto, sicut ipsa diuina actio, quæ est eius causa proxima*: fundatur ergo hæc relatio in dependentia effectus, ex actione Dei prouenientis; & hoc est proxima ratio fundandi: & pariter dicimus de a-

lij effectibus. Videatur S. Thomas in 3. distinctione 5. articulo. 1. quæst. 1.

34 Ad aliud argumentum de relatione mensuræ, dicimus, quod sicut quantitas perfectionis, est quantitas analogice; ita solum analogice est mensura: nam vt ait S. Thomas in 1. distinct. 8. quæst. 4. art. 2. ad tertium, *mensura proprie dicitur in quantitatibus*: dicitur enim mensura illud per quod innotescit quantitas rei. Et ex inde transumptum est nomen *mensura ad omnia genera*; vt illud quod est primum in quolibet genere, & simplicissimum, & perfectissimum dicatur *mensura omnium*. Et sic mensura est relatio transcendentalis, quia per omnia prædicamenta diuagatur. Solum autem pertinent ad tertium genus relationis prædicamentalis, cum sunt perfectiones specificatæ, & mensuratæ ab extrinseco, & tunc ad illud dicunt, seu fundant relationem. Et sic ait S. Thomas libro 5. Metaph. lectione 17. littera 3. Quod tertius modus relationis prædicamentalis est secundum mensurationem esse, & veritatis: veritas enim sciëntiæ mensuratur à scibili: & similiter imago dicitur ad id cuius est imago, tanquam mensurabile ad mensuram: veritas enim imaginis mensuratur ex re cuius est imago. Ex quo potius roboratur nostra doctrina; quia sola substantia sine accidente, non specificatur, nec mensuratur ab extrinseco.

35 Rationi obiectæ num. 21. satisfaciunt rationes nostræ conclusionis, partim ab inconuenientibus:

bus: & à priori, quia relatio est debilissimæ entitatis, & remotissimæ à substantia, & ideo à ratione fundandi accipit quod insit, & ratione illius consequitur respectus ad extrinsecum: quia per substantiam nõ ordinatur quis ad alterum nisi per accidens, vt diximus ex S. Thoma; & ideo mediat ratio fundandi, & respectus adueniens ratione illius, est ratio referendi.

nus 1. p. quæst. 28. artic. 2. Alios duodecim Thomistas referunt, & sequuntur PP. Carmelitani disp. 14. quæst. 5. In super Scotum in 3. distinct. 3. quæst. 1. (quamuis reuera Scotus, non loquatur vniuersaliter de omni relatione) Molinam 1. p. quæst. 13. artic. 7. Valentiam, & alios: quos nouissime sequuntur Ortiz tractatu 5. conferentia 4. conclus. 2. Lerma libro 7. quæstione 22.

QVÆSTIO XXIII.

*Virum relatio predicamentalis distinguatur realiter à subiecto, vel à ratione fundandi?*

3 Alia sententia huic affinis, vel alius modus eandem sententiam defendi, asserit relationem, & fundamentum distingui tamquam rem, & modum rei. Ita videtur tenere Mag. Soto hic quæst. 2. conclus. 2. & ad 4. si conferantur cum his, quæ docet 3. Physicorum q. 2. in probatione 3. conclus. quamuis quæst. 2. de Quantitate, & sæpiissime alibi satis indicet solam interuenire distinctionem rationis cum fundamento in re. Sed distinctionem modalem expresse admittunt Vazquez 1. p. disput. 173. cap. 4. Rubio hic quæst. 14. Mag. Ioannes à S. Thoma quæst. 47. artic. 4. conclus. 2. & alij.

1 **Q**uæstio hæc multis retro sæculis est celebris, magna partium contentione agitata, adhuc inter ipsos Thomistas: quia, vt animaduertit Mag. Soncinas libro 5. Metaph. quæst. 28. circa hanc quæstionem nullibi expresse habetur, quid senserint Philosophus, aut S. Thomas; & ideo eorum discipuli varie sunt opinati.

§. I.

*Opiniones Authorum.*

2 **M**ulti censent omnem relationem realem predicamentalem distingui realiter entitative à fundamento, seu ratione fundandi. Ita Capreolus in 1. distinct. 30. quæst. 1. Flandria 5. Metaph. quæst. 16. artic. 18. & 19. Caieta-

4 Tertius modus eandem sententiam defendendi docet relationem distingui à fundamento formaliter ex natura rei, seu realiter metaphysice. Ita Bañez 1. p. quæst. 28. artic. 2. dubio 2. Araujo lib. 5. Metaph. quæst. 5. art. 5. citans multos, qui non hanc, sed vnam ex relativis, vel referendis opinionibus docent. Huic subscribit Fonseca libro 5. Metaph. capit. 15. quæstione 2. sect. 5.

5 Per oppositum alij è diamet-  
tro opponuntur primæ opinioni, do-  
centes relationem, non realiter,  
nec entitative, nec modaliter, nec  
ex natura rei distingui à proxima  
ratione fundandi, sed solum ratione  
ratiocinata. Ita ex Thomistis Her-  
ueus in 1. dist. 30. quæst. 1. & Quod  
lib. 7. quæst. 15. & Quodlib. 10.  
quæst. 1. Syluester in Conflato que-  
stione 28. dub. 1. Soncinas relata  
quæst. 28. Iauellus 5. Metaph. quæst.  
22. Zumel 1. p. quæst. 28. artic. 2.  
quæst. 6. Quamuis autem à non-  
nullis in alias trahantur sententias;  
sed contra eorum expressam men-  
tem, vt legenti constabit: & vt di-  
xi. valde fauet M. Soto. Docuerunt  
idem Ocham in 1. dist. 30. quæst. 1.  
Greg. dist. 28. quæst. 2. quos refert  
& sequitur Suarez disp. 47. sect. 2.  
Conimbric. hic quæst. 1. artic. 4. &  
cõmuniter Recentiores extra Scho-  
lam S. Thomæ.

6 Diuiduntur huius opinionis  
defensores in duos dicendi modos:  
nam quidam dicunt relationem  
prædicamentalem consistere in so-  
lo fundamento connotante termi-  
num extrinsece, & in obliquo. Ita  
expresse Herueus, & Iauellus vbi  
supra, & Suarez num. 22.

Afferunt alij relationem in re-  
cto dicere entitatem fundamenti,  
& termini simul. Ita Soto quæst. 2.  
de Relatione solut. ad 5. latius  
Hurtadus disput. 6. Metaph. sect.  
3. subsect. 7. Arriaga disput. 12.  
Logicæ sectione 8. & passim mo-  
derni.

Circa adeo distincte opinio-  
nes referre, quia confuse, & sine

defectu authores coacervantur, &  
postea eos legentes, potius confun-  
duntur, quam instruantur. Restat  
vt de eis nostrum qualecumque iu-  
dicium proferamus.

## § II.

*Probaturs distinctio realis relatio-  
nis à substantia.*

7 **D**Ico primò: omnis relatio  
prædicamentalis distingui-  
tur realiter entitative à substantia.  
Colligitur manifeste ex D. Augusti-  
tino tomo 3. libro 5. de Trinitate  
cap. 5. dicente: *in rebus autem creatis,  
atque insubstantiis, quod non secundum  
substantiam dicitur, restat vt secundum  
accidens dicatur: omnia enim accidunt  
eis, quæ vel amitti possunt, vel minui; &  
magnitudines, & qualitates, & quod di-  
citur ad aliquid, &c.* Vbi docet rela-  
tionem esse accidens ita distinctam,  
& separabile à substantia, sicut quan-  
titates, & qualitates; quas constat  
realiter à substantia differre: vt e-  
idem S. Augustinus libro 7. de Tri-  
nitate cap. 1. in medio ait: *omnis essen-  
tia, quæ relatiue dicitur, est etiam ali-  
quid excepto relatiuo.* Idem fere habet  
S. Damascenus in Dialectica capi-  
te 50.

8 Hanc conclusionem clare ha-  
beri in D. Thoma diligenter pro-  
bat Ferraralibro 4. contrag. cap. 14.  
ratione nona §. *ad secundum dubium,*  
& in primis hoc constat ex D. Tho-  
ma 1. p. quæst. 28. artic. 2. ad 2. di-  
cente: *id quod inuenitur in creatura,  
præter id quod continetur sub significa-  
tione nominis relatiui, est alia res; in Deo*

autem non est alia res; sed una, & eadē. Quod discrimen esset nullum, si nō loqueretur S. Thomas de distinctione reali ante operationem intellectus.

Secundō idem docet libro 4. contragentes cap. 14. ratione 9. illis verbis: *in nobis relationes habent esse dependens; quia enim esse est aliud ab esse substantia.*

9 Tertio, in lib. 1. sent. dist. 4. q. 1. art. 1. ad 3. ait; *nulla relatio est substantia secundum rem in creaturis.* Et ibi dist. 20. q. 1. art. 1. *relatio, quae habet esse in creatura, habet aliud esse, quam sit esse sui subiecti. Unde est aliquid aliud à suo subiecto.* Rursus dist. 21. q. 1. art. 2. *In creatis per paternitatem additur nouum esse, quod est esse accidentale, & non idem, quod est subiecti.* Denique ibi dist. 33. quaest. 1. artic. 1. ait: *In realibus relationibus in creaturis existentibus est aliud esse relationis, & substantia, quae refertur; & ideo dicuntur in esse; & secundum quod insunt compositionem faciunt accidentis ad subiectum; quod non conuenit in diuinis relationibus.* Hæc ibi.

10 Et ut fere per omnia genera scriptorum S. Thomæ percurramus, idem docet S. Thomas quaest. 8. de Potentia artic. 2. ad 1. Dicendū, inquit, quod *in substantia, quae est in genere, potest esse relatio: quia est definita ad unum genus, & per consequens excluditur ab alio genere, id est, substantia creata non potest esse accidens, ut ponderatum est supra quaest. 7. num. 5. Unde quaest. 9. immediata, artic. 4. ad 11. ait S. Thomas, quod *ista propositio; nulla relatio est substantia, est immediata, si accipiatur relatio,**

*& substantia, quae sunt in genere, &c.* Fauet etiam libro 4. Metaph. lect. 2. littera c. dicens: *Nihil quod est in determinato genere, videtur consi- quere omnia entia: Unde cum relatio sit indeterminato genere accidentis, distinguitur ab ipso genere substantia.*

Duas euasiones, quæ his auctoritatibus possent adhiberi, refert, & docte impugnat Ferrara; plures aliàs Flandria toto artic. 19. sed in re manifesta non expedit immorari. Unde illud dictum Soncinatis relatum num. 1. non admittimus in sensu huius conclusionis; licet iuxta tenorem sequentis suam habeat probabilitatem.

11 Ratione probatur primo ut gendo rationem S. Thomæ illa quaest. 8. de Potentia: nullum accidens prædicamentale identificatur cum substantia creata, quæ est in prædicamento: sed relatio, quæ est in genere ad aliquid est verum accidens prædicamentale: ergo relatio realiter differt à substantia. Minor videtur manifesta: quia substantia est cui debetur esse per se; accidens cui debetur esse in alio: idem autem ens finitum non potest tam diuersas rationes contingere ut sit simul per se, & in alio: ens autem infinitum non est in alio, quia est independens. Minorem autem iam ostendimus tota quaest. 20. consequentia autem probatione non eget.

12 Posset responderi cum Recentioribus, quod relationes aliquæ sunt accidentia, & insunt proprie; aliæ verò sunt relationes, quæ insunt, improprie: relationes, quæ  
iden

identificantur cum substantia, improprie dicuntur inesse, quia reuera sunt substantiæ, & solum ex modo significandi sunt accidentia: relationes vero, quæ proxime fundantur in alijs accidentibus, ratione illorum dicuntur proprie inesse.

Sed contra: nam iuxta hanc evasionem, nulla erit differentia inter relationem transcendentalem, quæ vagatur per omnia genera, & relationem prædicamentalem, quæ est in genere determinato: sed consequens esse falsum, patet ex dictis: ergo id ex quo sequitur non potest esse verum. Maior patet, quia iuxta solutionem, relatio, quæ appellatur prædicamentalis, est reuera aliquid absolutum relative significatû, quod in omni genere reperitur: quæ est descriptio relationis transcendentalis.

Secundo impugnatur solutio: omnia, quæ sunt in vno prædicamento, vniuoce conueniunt, & quid dicitur: quia genus generalissimû inquit, & vniuoce de omnibus in linea recta contentis prædicatur: sed enti inhaerenti proprie, & improprie, non datur aliquid commune vniuocum; sicut nec substantia, & accidens vniuocantur in ratione entis: ergo vel omnes relationes prædicamentales improprie insunt; & sic non constituent prædicamentum accidentis; vel nullæ relationes prædicamentales insunt improprie: & sic erit solutio nulla.

13 Præterea probatur conclusio: si relatio prædicamentalis non differt ante operationem intellectus à substantia, sequitur, quod non den-

tur relationes prædicamentales: quod iam est reiectum; & ipsi contra quos nunc disputamus, non excedet: siquidem admittunt decem prædicamenta. Probatur sequela: quia qui negant relationes prædicamentales, non negant dari duas substantias simul; nec negant dari aggregatum duarum quantitatum; quia ista dari ad sensum apparet: ergo solum negant respectum superuenientem, à substantia distinctum: ergo qui concedit, à substantia ante operationem intellectus relationem non differre; in re ipsa negat relationem prædicamentalem dari.

14 Quod confirmatur primo: quia entitas fundamenti est quid absolutum, vtpotè substantia, vel qualitas, aut quantitas; pariter entitas termini est absoluta: ambæ entitates simul etiam sunt absolutæ; quia in eodem genere est vnus homo, & duo homines: ergo si non confurgit realis respectus in vtroque, reuera negatur realis prædicamentalis relatio; & solum admittitur transcendentalis, aut denominatio extrinseca rationis.

15 Confirmatur secundo ad homines: nam P. Suarez disput. 41. sect. 2. num. 16. ideo probat numerum quantitatum non esse propriam, & peculiarem speciem entis, quia in re non est aliud, quam collectio entium, seu accidentium: quod sequuntur fere omnes, qui relationem non distinguunt à fundamento, & dicunt relationem in re ipsa non esse aliud, quam entitatem fundamenti, & entitatem termini; vel simul, & ex æquo; vel vnum

in recto, & aliud in obliquo. Ex quo euidenter videtur inferri, quod vel consequenter non loquantur, vel debet re ipsa negare relationes esse peculiare genus entis: quia si ordo quantitatem non facit numerum esse vnum nouum ens in genere discreto, nec habitudo, & comparatio duorum entium faciet relationem esse in illis aliquod nouum ens, si relatio, nec à substantia realiter distinguitur.

### §. III.

*Suadetur distinctio relationis à ratione fundandi.*

16 **D**ico secundo; probabilius est, quod relationes prædicamentales distinguuntur actu ante operationem intellectus à proxima ratione fundandi. Sic loquor, quia nec authoritates, nec rationes ita vrgent, quod solui non possint sine magna difficultate: sed quia hæc est communior Thomistarum, & magis illi fauet S. Thomas; ideo hanc præfero alteri; quamuis eam relinquendo in sua probabilitate; dum tamen prima conclusio in via Diui Thomæ, vt indubitata habeatur.

17 Solent ad hanc conclusionem probandam afferri authoritates relatæ pro prima, sed nota ait bene Ferrara, solum illam, & non istam probare; & cõtextus ipse non aliud exigit, vt consideranti patebit.

Rursus Caietanus, & multi alij, ex eo arbitrantur hanc conclusionem conuinci, quia relatio perti-

net ad distinctum prædicamentum: & omnia prædicamenta sunt primo diuersa, & realiter distincta. Cæterum principium hoc vniuersaliter prolatum, nec esse verum, nec de mente S. Thomæ, ostendimus hoc libro quæst. 7.

18 Melius probatur ex D. Thoma libro 4. contrag. cap. 14. ratione 9. dicente: *Relatio non solum præexigit esse substantiæ; sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio: sicut vnum in quantitate, causat aequalitatem, & vnum in qualitate, similitudinem: sed causa realiter distinguitur ab effectu, quia vt ait S. Thomas 1. p. quæst. 33. artic. 1. ad 1. causa importat diuersitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero: quod, & docet quæst. 7. de Potentia artic. 8. & quæst. 10. artic. 1. ad 8. ergo ex mente D. Thomæ relatio realiter distinguitur à ratione fundandi, tanquam effectus à causa, vt etiam docet S. Thomas quæstione 7. de Potentia articulo 9. ad 7.*

19 Secundò: nam libro 12. Metaph. lectione 4. littera b. ait S. Thomas: *ea que sunt ad aliquid, remotiora videntur esse à substantia, quam alia genera, eo quod sunt debilioris esse: vnde, & substantia inhereat mediantibus alijs generibus, &c.* Et in 4. ad Anib. distinctione 4. articulo 1. ait Sanctus Thomas, *de natura relationis est, vt semper fundetur in aliquo alio genere entis, vt vult Philo'sophus. Sed id respectu eiusdem non est mediatum, & immediatũ; ergo relatio non distinguitur solum à substantia, seu subiecto quod; sed*

sed etiam à ratione fundandi, seu subiecto *quo*.

Dices S. Thomam non loqui de vera, & reali causa; nec de mediatione reali; sed de mediatione formali; sicut dicit S. Thomas 1. p. quæst. 16. artic. 4. & quæst. 21. de Veritate artic. 3. quod prius est ratio entis, quam ratio veri, & ratio veri, quam ratio boni; licet in re nõ differant.

20 Sed contra: nam clare loquitur S. Thomas de reali inhærentia accidentalis relationis in substantia medio alio accidente ergo non de sola mediatione formali. Secundo: nam hanc indigentiam probat ex debilitate relationis in inhærendo: quod est esse physicum, & reale. Et deinde, esse substantiæ physice differt ab esse accidentis: sed eodem tenore loquitur S. Thomas de distinctione à substantia, ac de distinctione à ratione fundandi, seu causa proxima: ergo etiam ab ista realiter differt relatio.

21 Ratione probatur primo: omne ens vere absolutum realiter differt ab ente relatiuo: sed ratio fundandi est ens absolutum, & relatio fundata est relatiua: ergo realiter distinguuntur. Probatur maior: omne absolutum, vel est per se, vel in se, omne relatiuum est *cuius terminum suum esse est ad aliud se habere*: sed implicat, quod id quod est per se, vel in se, totum sit ad aliud; vt ex terminis patet. ergo ens absolutum, non est secundum rem respectiuum.

22 Explicatur vis huius rationis: nam positis duabus quantitati-

bus eiusdem extensionis, vel resultat; aut causatur aliquid, quod non sit de genere quantitatis, vel nihil causatur? si hoc secundum dicatur; iam non datur peculiare genus entis; quod sit relatio: si primum; ergo respectus, qui antea erat in radice, seu in causa, iam est formaliter: & cum quantitas non sit respectus, quia quantitas est extensio; iam respectus, seu relatio erit aliquid ante operationem intellectus a quantitate vtraque distinctum.

23 Obijcies rationem hanc instari: primo, quia cum dicimus, *hoc ens est vnum, est verum, est bonum*, non addimus enti aliquid ab ipso distinctum; & tamen constituunt illæ rationes transcendentia rationes peculiæres, sufficientes ad specificandas distinctas potentias: ergo etiam si relatio nõ addat aliquid nouum realiter supra fundam. 23; rationis distinctio fundata in re sufficit, vt relatio peculiariter constituat genus speciale.

Secundo: multa ex sex prædicamentis vltimis non differunt realiter ab alijs, vt diximus quæst. 7. & tamen constituunt peculiare genus entis: ergo ex eo, quod relatio constituat peculiare genus entis, non sequitur realiter differre à ratione fundandi.

24 Respondetur, quod propter transcendentiam entis, & illorum prædicamentorum, illa non contrahunt ens applicando ad peculiare genus; sed solum explicando aliquid secundum rationem, quod nomine entis non exprimitur, vt late S. Tho-

mas quæst. 21. de Verit. artic. 1. & quæst. 1. artic. 1. at verò cum quantitas, & relatio non sint tantæ transcendentia, *contrahunt ens applicando ad aliquam quidditatem, seu naturam*, vt ait S. Thomas 1. p. quæst. 5. art. 3. ad 1. Vnde si relatio contrahit ad peculiare genus, quod est ad aliud; debet realem addere respectum, realiter ab alijs distinctum, vt totum additum sit ad aliud; cum tamen subiectum sit per se; & quantitas solum insit, & non ad aliud transeat.

25 Ad secundum respondetur, quod sex vltima prædicamenta sunt respectiua quodammodo; & solet eorum ratio fundandi etiam esse respectiua: vnde non transferunt ad lineam, & classem ita nouam, & diuersam sicut quatuor priora genera: vnde licet ista quatuor priora genera realiter differant à substantia, & inter se; non sequitur idem dicendum de omnibus prædicamentis; cum in omnibus non militet æqua ratio. Vnde tantum de quatuor primis, quoad distinctionem, meminit S. Augustinus relatus num. 7.

26 Secundo probatur conclusio: nam si relatio realis non differt realiter à ratione fundandi, sequitur, quod Deo ex tempore adueniant relationes: quia ab æterno est in illo potentia, & in tempore ponitur terminus. Consequens, licet admittatur à Nominatibus, & ab Hurtado vbi supra; tamen est contra D. Thomam 1. par. quæst. 13. artic. 7. & libro 2. contragen. capit. 12, & communem Theologo-

rum, quos citat ipse; Suarez disp. 47. sect. 15. num. 17. à qua non audeat recedere num. 22. & merito: nam S. Thomas libro 1. sentent. dist. 30. quæst. 1. artic. 3. ait: *Secundum Theologos, & Philosophos, verum est communiter, quod relationes, quibus Deus ad creaturam refertur, non sunt in Deo secundum rem, sed secundum rationem tantum.* Ergo relationes reales nouum accidens superaddunt rationi fundandi, ne dicamus Deo aduenire sine sui mutatione. Quod latius disputandum Theologis relinquimus.

#### §. IV.

##### *Communis ratio ponderatur.*

27 **T**ertio probatur conclusio: quæ realiter separatur, realiter distinguuntur: sed relatio realiter separatur à ratione fundandi: ergo realiter ab illa distinguitur. Probatur minor: nam si existente patre, moriatur filius, ex parte patris erat ratio fundandi, quæ erat antea; & tamen relatio destruitur: quia sine termino in actu esse non potest: ergo relatio distinguitur à ratione fundandi.

Respondet Suarez num. 23: quod relatio non separatur a fundamento secundum aliquid reale ei intrinsicum; sed destructo extrinseco termino, cessat relatiua denominatio; non quia aliquid rei, vel realis modi auferatur ab ipso relatiuo; sed quia denominatio relatiua includit aliquò modo terminum, sine quo non manet ac-

tualiter, sed fundamentaliter tantum, seu in proxima aptitudine.

28 Sed contra: nam illa denominatio relatiua, quæ cessat, vel est aliquid reale, vel aliquid rationis? si est aliquid rationis; relatio non constituet speciale genus entis realis, vt deduximus quæst. 20. num. 15. si est aliquid reale, quod destruitur fundamento manente; ergo fundamento aliquid reale additur vt sit formaliter relatiuum.

Secundò: relatio in potentia proxima, & fundamentaliter, & relatio in actu, & formaliter; vel ante operationem intellectus distinguuntur; vel sunt idem realiter? si primum; habetur intentum, de distinctione relationis à ratione fundandi. Si secundum; ergo idem realiter ens manet, & destruitur realiter: quod implicat: quia realiter non erit, eo quod est destructum; & realiter erit; quia est eius fundamentum, cum quo realiter identificatur.

29 Quæ propter Arriaga sect. 7. & 8. & 9. latissime contendit, quod relatio, nec distinguitur à fundamento, & termino, nec ab illis simul diuinitus separari potest: & concedit, quod in re idem est Petrum esse similem Paulo, & Paulum esse similem Petro, & sola est differentia in modo concipiendi: & quod pater, vt relatiuum, denominatur à filio, & filius ab ipso patre, quia ambo sunt partes relationis.

Huic tamen doctrinæ opponitur S. Thomas in 1. distin. 27. quæstione 1. artic. 1. ad 2. dicens: *Quidam dixerunt, vt Amicus, quod*

*eadem numero relatio est in utroque extremorum, Quod non potest esse, quia vnus accidens non potest esse in duobus subiectis &c.* Præterea: est commune axioma, quod posito fundamento, & termino, resultat relatio: quod iuxta hanc solutionem verificari nequit.

30 Deinde, esset circulus vitiosus in assignatione denominationū relatiuarum; quia si inquiratur, quare est pater aliquis? dicitur, quia est filius. Et si inquiratur, quare est filius? respondetur, quia est pater; quod est ad idem formaliter reddere: ergo ad hoc vitandum, dicendū relationem esse intrinsece, & subiectiue in patre; & in filio non nisi terminatiue, & extrinsece: & ita nō est circulus, in nostra sententia; nā vt ait S. Thomas libro 2. contrag. cap. 13. *non denominatur a liquis pater, nisi à paternitate, quæ ei inest: & sic est diuersitas formalis termini, & fundamenti.*

31 Rursus, sequitur quod relatio maternitatis Beatissimæ Virginis Mariæ non differat realiter à æquate à persona diuini Verbi eius filij; sicut etiam sequitur, quod relatio Patris æterni non differat à æquate à relatione filij, seu Verbi: hæc autem esse absurda Theologi docent; quia sequitur dignitatem Matris Dei esse tam simpliciter infinitam, ac est persona filij; & quod eius opera erunt infiniti valoris simpliciter: & quod in Patre æterno relatio paternitatis nō est intrinseca. Quæ sufficiat attigisse, vt Logici timeant à communi via diuertere, ne in hæc incidant inconuenientia.

32 Sed instabis: nam in sententia plurium Thomistarum, quam nos sustinimus 2. p. Metaph. Controu. 5. num. 38. vnio non distinguitur realiter ab extremis; & tamen realiter ab illis separari potest, vt constat in morte hominis: ergo etiã si relatio separari possit à fundamēto, non sequitur, quod ab illo distinguatur.

Respondetur, quod vnio, vt relatio, etiã differt realiter ab extremis, vt ibi ostendimus art. 2. §. 2. & videatur S. Thomas in 3. dist. 30. quæst. 1. artic. 2. ad 4. Vnio verò fundamentalis, non differt per aliquid intrinsecum substantiale ab extremis; exigit tamen actionem agentis, & passiuam immutationem, & ab his omnibus implicat vnionem separari: vnde nunquam affertur instantia, vel exemplum, in quo verificetur, quod aliqua separentur realiter, & realiter non differant, siue mutua distinctione, siue non mutua, vt quidam loquuntur.

33 Urgebis: nam pater, qui habet plures filios, ad omnes vnã tantũ habet realem relationẽ, quod probat S. Tho. 3. p. q. 35. art. 5. & Quodl. 1. ar. 2. & 4. Quodl. 9. ar. 5. quia plures forma eiusdem speciei non possunt simul esse in eodẽ subiecto. Quod, & concorditer docent Thomistæ, quorum catalogum recensent PP. Carmelitani disput. 14. quæst. 7. §. 4. & tamen in illo euentu ratio nostra instatur: quia mortuo secundo filio, perditur relatiua denominatio realis ad illum, & non perditur entitas relationis; & similiter

cum natus fuit secundus filius, ante operationem intellectus, qui eum genuit, dicitur de nouo realiter eius pater: ergo pariter dici potest, quod entitas fundamenti, posito extrinsecò termino, denominabit relatiue, & eadem illo ablato, solum denominat absolute.

Respondetur admittẽdo illam esse doctrinam Sancti Thomæ, & veram. Sed est dispar ratio in illo casu, & nostro: ibi enim est nouitas materialis, & extensiuã intra eandem speciem: vnde non opus est noua forma intrinsecã; sed sufficit noua extensio extrinsecã per appositionem termini: in casu verò præsentis relatio est denominatiõ alterius lineæ, vel ordinis; & ideo cum fundamentum esset absolutum, opus est forma relatiua: quia denominatio formaliter specie distincta à fundamento, aduenite nequit de nouo, si noua nõ superaddatur forma. De quo late Ortiz vbi supra ante secundam conclusionem, & ad primum.

## §. V.

### *An distinctio sit entitatiua, vel modalis?*

34 **S** Ed videndum restat, vtrum distinctio relationis à fundamento, & à ratione fundandi sit realis entitatiua; an verò alia distinctio realis minor entitatiua?

Loquendo de distinctione relationis à substantia; authoritates, & rationes omnes prioris sententiæ manifeste videntur probare esse distinctionem entitativam. Quod in sententia asserente relationem prædicamentalem non fundari in substantia nisi medijs alijs accidentibus; difficultate vacat: quia, quantitas, & qualitas realiter entitative differunt à substantia, ac proinde, realiter etiam differt relatio in illis accidentibus fundata. Et vniuersaliter omne accidens realiter inhaerens realiter differt à substantia, quæ est ens per se, vel quidditas cui debetur esse per se.

35 Comparando autem relationem cum ratione fundandi; in primis non distinguitur solum ex natura rei: quia talis distinctio non datur in rebus, nisi virtualiter, vt explicuimus libro 1. quæst. 13. num. 6. Secundo: nam, quæ realiter separantur à parte rei, plusquam formaliter distinguuntur: est ergo absolute hæc distinctio dicenda realis.

An vero dicenda sit modalis, vel entitativa distinctio? Multum habet quæstionis denomine, vt iam diu notarunt authores, quos retuli illa quæst. 13. num. 5. quare vnusquisque poterit in suo sensu abundare.

36 Qui dicunt distingui, vt rem à re, fundatur in eo, quod relatio constituit prædicamentum: in prædicamento autem non ponuntur nisi res perfectæ, & completæ: & sic dicuntur decem genera rerum.

Secundo: nam modi non datur

modus: ipsius autem relationis modus est inhaerentia, & alijs similes.

Demum: nam modi non sunt in prædicamento, nisi reductiue, vel sunt post prædicamenta.

37 Alij vero, qui contendunt esse modum, probant ex D. Thoma 4. contragent. & 12. Metaph. & alibi sæpe dicente relationem esse *minima, & debilissima entitatis*: & cum aliqua genera sint modi, vt vbi, & situs, non est cur relatio sit res.

Secundo: relatio potest fundari in modis: fundamentum autem perfectius videtur, quam id quod in illo fundatur.

Tertio: nam relatio non potest esse separata à subiecto, & termino & ita illi videtur conuenire definitio modi.

38 Possent is dirimi, notando cum D. Thoma 1. p. quæst. 50. art. 1. ad 1. quod medium comparatum ad vnum extremum, videtur alterum extremum, sicut tepidum comparatum calido, videtur frigidum, & comparatum frigido, videtur calidum. ¶ Relatio comparata substantiæ, & quantitati, & similibus, videtur modus, propter posteriores rationes: si vero conferatur, cum prædicamento, Quando, Vbi, & Habere, & post prædicamentis, videtur esse res: quia vt dicit S. Thomas 5. Metaph. lect. 17. littera. a. in fine: *genera ista magis consequuntur relationem, quam possint relationem causare.*

39 Nec video quo possit probari, quod modi substantiæ non possint directe collocari in genere accidentis: nam inter ipsos modos

alijs

alij sunt completi, & alij incompleti metaphysice, & physice. Et similiter vnus modi potest alius dari modus: sicut etiam vnus qualitatis datur alia qualitas; cum scientia sit in intellectu; & distantia fundetur in vbi, vt ait, ex Capreolo, Ferrara dicto capit. 14. §. Potest. Et si in vocabulo vim facimus, S. Thomas in 1. distinctione. 2. quaestione prima articulo. 5. ad secundum ait, quod res est de transcendentibus; & ideo se habet communiter ad absoluta, & ad relata: & ex contextu non constat, quod loquatur de re abstractissime, vt comprehendit etiam modum: vnde relatio est res.

## §. V.

*Soluuntur argumenta*

40 **P**rimo arguit M. Soto ex opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 5. cap. 2. vbi dicitur quod similitudo sortis non est aliqua res alia ab ipsa albedine, &c. Et S. Thomas 5. Physicorum lect. 3. dicit: nihil aduenit mihi de nouo, per hoc quod incipio esse alteri equalis per eius mutationem. Et 3. p. quaest. 16. artic. 6. ad 2. concedit relationem conuenire nulla facta, in ipso cui conuenit, mutatione. Quod, & docet S. Augustinus libro 5. de Trinitate capite ultimo, & S. Anselmus in Monologio capit. 25. & omnes in vniuersum Philosophi.

41 Putant aliqui has auctori-

tates seu adi dicendo, solum illis negari mutationem entitatiuam; non vero negari mutationem, quæ fit per resultantiam modi.

Sed contra: nam in istorum sententia, ad vbi datur per se motus; & vbi est modus, secundum ipsos: ergo discrimen Philosophi, & S. Thomæ esset nullum.

42 Quare aliter, sigillatim respondendo dicitur, quod opusculum illud non esse D. Thomæ sæpe monuimus, & constat ex editione Romana, & ex S. Antonino, & omnibus scriptoribus vitæ S. Thomæ, & ex stylo, & doctrina ipsius opusculi.

43 Auctoritatem illam ex 3. Physicorum bene exponit Ferrara §. Ad primum itaque docens, quod aliquando est mutatio acquisitiua relationis quantum ad fundamentum, & quantum ad ipsam relationem; & aliquando est mutatio solum acquisitiua ipsius relationis: S. Thomas intendit, quod quando aliquis habens quantitatem, acquirit relationem, non mutatur quoad causam; bene tamen quoad ipsam relationem: & sic; non mutatur per se; bene tamen mutatur per accidens, vt docet ipse S. Thomas in 1. distinct. 9. in expositione litteræ.

Secundo respondet Ferrara; quod loquitur S. Thomas, quando iam erat relatio predicamentalis, & solum extenditur materialiter ad aliud simile; quia tunc nulla entitas additur de nouo, iuxta dicta numero 33. & quod hæc sit mens

mens S. Thomæ, colligitur ex eo, quod ibi ait; littera c. infine: *quod habeo talem quantitatem, competi mihi, quod sim æqualis omnibus illis, quæ eandem quantitatem habent; cum ergo aliquis de nouo accipit illam quantitatem, ista communis radix, æqualitatis determinatur ad istum.*

Vel dicatur, quod est inuatio metaphysica per resultantiam; non physica per actionem per se terminatam ad relationem.

44 In illo autem loco 3. partis non loquitur S. Thomas de relatione prædicamentali, sed de denominatione reali extrinseca: quia in tempore Deo non aduenire relationes reales, docet S. Thomas in numeris locis relatis in tabula aurea verbo *relatio* numero 92. & 93. & de istis ibi loquitur Sanctus Thomas: & tamen libro 2. contragentes capit. 12. infine ait, quod si relatio Deo de nouo adueniret, quod *mutaretur, vel per se, vel per accidens.* Et similiter de huiusmodi relationibus extrinsecis; quæ solum ex modo significandi sunt relationes, est sermo in D. Thoma in 1. distinctione 26. quæstione 2. articulo 1. ad 3. & alijs locis relatis in tabula verbo *relatio* num. 57. Qua expositione declarantur authoritates PP. qui, vt vidimus, nostram conclusionem docent, loquendo de relationibus prædicamentaliibus in hærentibus. Alia solutio sumitur ex dictis quæstione 21. numero 21. & 22. quam non oportet repetere.

45 Secundo arguit Magister

Soto ab inconuenienti: quia per hoc quod aliquis incipiat in India esse albus, est incredibile, quod in omni albo, qui est in Hispania resultet aliqua entitas: imo pululabunt innumera entitates, seu modi: nam incipiunt esse illi distincti ab eo, esse illi similes, maiores, &c. Imo quotiescumque res aliqua mouetur localiter, in quocumque instanti motus, & in re illa, & in omni corpore mundi, producentur nouæ entitates: nam in quocumque instanti res illa respectu omnium corporum mundi, fit magis, aut minus propinqua: quod ille credat, qui capere potest.

Respondetur quod multæ relationes sunt transcendentales, & istæ non distinguntur à fundamento; aliæ supponunt terminum ad quem iam referebatur, & sic cum in vno subiecto non dentur plures numero relationes, non tantum crescit entitatum multitudo. Et cum relatio distinctionis, & illæ quæ conueniunt immediate substantiæ, & omnibus entibus, sint transcendentales, iam ex parte ouiamus inconuenienti; & non ex toto devoratur, vt non nulli faciunt, propter minimam entitatem relationis. Videantur, quæ diximus quæstione 22. numero 26. & numero 10. nam eo modo quo nos explicuimus fundamenta, & conditiones requisitas ad relationes reales prædicamentales, non est incredibile

relationum prædicamentaliū numerus: cum sæpe deficient aliquæ rationes fundandi, vel conditiones ad hoc requisitæ.

46 Præterea arguit Mag. Soto argumento illo vulgari: si relatio esset res distincta à fundamento, & termino, posset Deus eam ab illis separare: quia relatio illa super adita ipsis non est de ipsorum essentia: sed tunc duæ quantitates eiusdem extensionis erunt æquales, sicut sunt modo, & duæ qualitates erunt similes: ergo ad nil deseruit illa, quæ additur entitas, & ita relatio à fundamento, & termino non distinguitur.

Solet responderi, quod si diuinitus impediretur relatio, manerent illa duo alba fundamentaliter similia, non vero essent similia formaliter.

Sed instat Arriaga sect. 5. num. 20. primo *evidenter* (vt ipse loquitur) quia vnde potes tu fundamentum habere, vt ponas aliam similitudinem, præter illam, quam fundamentalem dicis? Non quidem experientiam; quia nec illa formalis similitudo in se ipsa a te videri potest, nec ab ea vllus procedit effectus, ex quo à posteriori noscatur; cur ergo illam ponis?

Secundo: ex eodem fundamento posset fingi humanitas quædam fundamentalis constans corpore, & anima vnitis; & alia formalis ex alio ente super addito constans.

Tertio probat: quia formaliter æqualia sunt, quorum quantitas est vna: quod est formaliter ante relationem; quis enim negabit esse æ-

qualis ponderis dua s libras inter se sic careant illis modis, vel super additis relationibus? Et quis negabit album, & nigrum, sine vlllo modo sibi superaddito esse inter se differentia, vel diuersæ rationis? Hæc argumenta transcribunt alij recentiores, & ante eos obiecerant Aureolus, & alij antiquiores.

47 Respondetur, quod excessit iste author euentiam iactans in opinione, de qua inquit P. Molina 1. p. quæst. 13. artic. 7. quod *aperte est contra Aristotelem*. Et Arriagæ solutionem referens P. Rubio hic quæst. 14. num. 131. ait: *hæc tamen solutio verba solum continet, & nihil aliud*. Et P. Fr. Didacus à Iesu disp. 14. quæst. 4. dicit nostram conclusionem *probari demonstratiuo argumento*. Et Mag. Cabero disp. 3. dub. 5. num. 10. miratur quomodo Dialectici, & Metaphysici omnes nostra ratione victi contrariam non dereliquerint sententiam. His tamen omisis.

48 Dupliciter responderetur, primo negando maiorem: quia propter essentialem dependentiam non potest poni fundamentum, & terminus, & non poni relatio. Ita respondent Scotus in 4. distinct. 12. quæst. 1. Capreolus in 1. distinct. 30. quæst. 1. Caietanus. 1. p. quæst. 28. artic. 2. & communiter Thomistæ. Et in multis casib' solent aliqua realiter distincta non posse realiter separari, vt ostendimus 1. p. Metaph. Controu. 7. n. 73.

49 Secundo dicitur, quod admissio, disputationis gratia, illo casu impossibili, vera est solutio in

argumento relata; sicut si separaretur propria passio ab homine, esset intellectiuus in potentia remota, vt ex ipso Mag. Soto docuimus lib. 1. quæst. 27. num. 21. videatur etiã S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 4. ad 4.

Ad primam replicam respondent rationes nostræ conclusionis; & cum relatio sit valde minimæ entitatis, & ad aliud se habens, non est probanda sensu, sed intellectu, ex relationibus diuinis, ex eo quod est accidens, & ex eius separatione à subiecto, vt iam abunde probata est.

50 Ad secundam replicam dicimus, quod humanitas tota est substantia; at vero fundamentum relationis est quid absolutum in se, & relatio est quid respectuum; & absolutum est relatiuum secundum dici, & transcendentale; at relatio formaliter est respectus; & ideo non mirum, quod vtrumque vocetur simile; vel æquale, vnum entitatie, aliud vero relatiue. Et hanc distinctionem necesse est ipsos admittere: quia cum est tantum pondus vnius libræ, non fundatur denominatio extrinseca, seu relatio æqualitatis; & cum producitur pondus alterius libræ, est talis denominatio: ergo antea erat æqualitas fundamentalis, & postea est æqualitas formalis relatiua: ergo velint nolint, iam dantur illæ duæ acceptiones æqualitatis fundamentalis, & formalis.

51 Deinde, ipsi contra communem PP. & Theologorum sententiam, fingunt in diuinis personis quasdam relationes intrinsecas, &

super illas ponunt alias relationes partim intrinsecas, & partim extrinsecas; & ita primæ erunt fundamentaliter relationes, & secundæ formaliter; ergo cum maiori fundamento nos cum Philosopho, & S. Thoma ponemus, quod quantitas est æqualitas solum causaliter, & non formaliter: & ideo sublato respectu, tollitur relatio *quantum ad actum, sed remanet quantum ad causam*, vt ait S. Thomas quæst. 7. de Potentia artic. 9. ad 7. de quo in 1. dist. 26. q. 2. artic. 1. cor. & ad 3.

52 Ad tertiam dicitur, quod sicut exercitus, materialiter sunt ipsi homines, & formaliter est ordo in tali dispositione, & habitudine ad militandum; & domus; & reliqua entia artificialia, materialiter sunt substantiæ; & formaliter sunt in genere qualitatis, vel figuræ: ita pondus, similitudo, & dissimilitudo, entitatie sunt ipsæ quantitates, vel qualitates; & si aliud non superaddatur, erunt solum prædicata transcendentalia, & non erit peculiare genus entis, quod est relatio, seu formalis habitudo, & respectus vnius ad aliud, & ideo illæ definitiones, vel intelliguntur causaliter; vel ponitur subiectum loco generis, vt in definitione accidentium in concreto

iuxta dicta libro

1. quæst.

18.



## QVÆSTIO XXIII.

*Vtrum relatio terminetur ad respectivum?*

§. I.

*Status questionis.*

1 **L**Oquimur de termino formaliter in ratione termini, quia realiter, & materialiter loquendo, nulli dubium, quod aliquid absolutum est terminus relationis.

Distinguit autem Philosophus 5. Metaph. textu 20, & S. Thomas ibi lect. 17. littera e. & libro 10. lectione 8. littera g. quod relatiua alia sunt mutua, alia non mutua; sub primo membro comprehenduntur relatiua primi, & secundi generis; & relatiua tertij generis sunt non mutua. Quod declarat S. Thomas quaest. 8. de Potentia art. 8. ad 1. dicens, illa relatiua sunt simul natura, quæ pari ratione mutuo referuntur; sicut pater ad filium, dominus ad seruum, duplum ad dimidium: illa vero relatiua, in quibus non est eadem ratio referendi ex vtraque parte, non sunt simul natura, sed alterum est prius naturaliter. sicut Philosophus dicit, de sensu, & sensibili, scientia, & scibili.

2 Iuxta hoc ergo sunt in hac quaestione tres opiniones authorum. Quidam absolute negant relationem formaliter terminari ad respectivum, nisi committanter, & materialiter. Ita Scotus in 1. dist.

30. q. 1. Vazquez. 1. p. disp. 1597 cap. 6. & late Suarez disp. 47. Metaph. sect. 16. Didacus à Iesu disp. 14. 1. p. quaest. 1. & alij multi.

3 Per aliud extremum alij affirmant omnem relationem prædicamentalem formaliter terminari ad relatiuum. Ita Caietanus in capite de ad aliquid, & 1. p. quaest. 13. art. 7. ibi Bañez, Zumel, & Nazarius, & alij quos citant, & sequuntur Araujo 5. Metaph. quaest. 5. art. 7. PP. Carmelitani disput. 14. quaest. 6. Ortiz tractatu 5. confer. 5. Lerma lib. 7. quaest. 23. & Fonseca libro 5. Metaph. cap. 15. q. 5. sect. 4.

4 Media via alij procedunt, docentes relationes non mutuas terminari ad absolutum; mutuas vero ad relatiuum. Ita late Ferrara libro 2. contragent. cap. 11. Masius hic sect. 2. q. 2. Nauarrete 1. p. controu. 28. d. 3. Ioan. à S. Thoma in Logica quaest. 17. art. 5. & alij plures Thomistæ. Item Valentia. 1. p. quaest. 13. disp. 1. puncto 4. circa finem. Et Rubio hic quaest. 7. & alij.

5 Hæc vltima sententia, eo modo quo declaratur à Mag. Ferrara; videtur mihi omnino vera, & ad mentem Sancti Thomæ; pro qua exponenda notat, quod dupliciter terminus relatiui considerari potest: vno modo absolute, & realiter, pro eo ad quod in re formaliter dicitur relatiuum, & in re est eius terminus: alio modo prout à nobis concipitur per modum termini definientis relatiuum, seu de correlatiuo prout in nostra cognitione.

## §. II.

*Qualiter à nobis explicetur terminus relationis ?*

6 **D**ico ergo primo; terminus relatiuis semper à nobis intelligitur vt quid relatiuum; in relatiuis primi, & secundi ordinis, realiter; in relatiuis tertij ordinis, solum secundum rationem. Ita sumitur aperte ex D. Thoma libro 2. contragentes cap. 11. ratione prima dicente: *non potest intelligi aliquid relatiue dici ad alterum, nisi è conuerso, illud relatiue diceretur ad ipsum.* Et in 1. distinct. 30. quaest. 1. artic. 3. docet relationes Dei ad creaturas esse in Deo secundum rationem tantum: quia in intellectu noster non potest accipere aliquid relatiue ad alterum dici, nisi ipsum sub opposita habitudine intelligat. Quod latius declarat ibi ad 3. & hac de causa in 1. ad Amibaldum distinct. 30. artic. 1. ad 3. verificat S. Thomas; quod cuiuslibet relationi opponitur alia relatio, quæ quandoque est in re ad quam relatio terminatur; quandoque est in intellectu tantum, non sicut in relatione, sed sicut in intelligente aliquid sub relatione.

7 Probaturque ratione S. Thomæ: nam realitas relationis originaliter habetur ex causa, seu ratione fundandi, vt dictum est quaest. 22. sed sæpe contingit, quod ratio fundandi est actu solum in vno extremo, & in alio solum in potentia: ergo tunc relatio solum est in vno in actu, & in alio solum in potentia proxima.

Dices: intellectus intelligens

rem aliter ac est, fallitur: ergo si in re non est in correllatio relatio, fallitur intellectus eam ibi fingens.

Responderet S. Thomas, quod sufficit ibi esse relationem fundamentalem, ad hoc vt sine fictione formaliter sit in ratione, sicut diximus lib. 1. de relatione vniuersalis, & de abstractione intellectus: quia vt dicitur 2. Physicorum textu 18. *abstractum non est mendacium, & rationem assignat S. Thomas cur intellectus non fallatur: quia, vt inquit ad 1. habet aliquid respondens in re, quamuis non secundum modum, quo est in ratione.* Et sicut absque falsitate dicimus cæcitatem esse in oculo, quamuis in illo non sit ens rationis, sed eius fundamentum, scilicet, absentia visus, ita pariter in relatiuis.

8 Secundo probatur ex Philosopho in hoc capite docente, relatiua si recte assignentur, dici ad conuertentiam. Et Porphyrius capite de specie ex eo probat genus defini per speciem, quia sunt correllatiua: & idcirco necesse est in vtrorumque rationibus vtriusque vti. Quod clarius expressit S. Thomas 1. p. quaest. 4. artic. 3. ad 2. dicens: *manifestum est quod relatiua sunt simul natura, & intellectum in quantum verum est in definiere alterius.* Constat autem, quod res non definiuntur, nisi secundum quod à nobis cognoscuntur. ergo correllatiuum explicari à nobis non potest, nisi per relationem. Quod totum videtur de sumptum ex Philosopho 6. Topicorum cap. 3. & 4. & probat Caetanus capite de specie: quia vnumquodque secundum suum esse quidditatiuum definiendum est: sed relatiuum hoc

ipsum

*ipsum quod est, ad aliud est*: ergo per correlatiuum est definiendum: ergo terminus, vt conceptus per modum termini, relationem dicit, vel realem, vel rationis, vt iam explicamus. Aliam rationem huius conclusionis subiiciemus. n. 11.

### §. III.

#### *De relatiuis mutuis.*

9 **D**ico secundo: relatiua primi, & secundi generis, quæ dicuntur mutua, terminantur formaliter realiter ad respectuum. Colligitur ex D. Thoma 1. p. quæst. 40. art. 2. ad 4. dicente: *cum dicitur quod relatiui esse est ad aliud se habere, per ly, aliud, intelligitur correlatiuum, quod non est prius, sed simul natura.*

Probarique solet ratione theologica, quæ in simili vsi sumus quæstione 20. nam diuinæ relationes terminantur formaliter ad respectuum: alioquin distinguerentur, & opponerentur formaliter in aliquo absoluto: sed hoc habent formalissime ratione oppositionis, & distinctionis relatiuæ: ergo cum, (quoad hoc, relationes dentur in creaturis; etiam in illis terminus formalis erit relatio: quamquam, quoad alia, sit differentia notata à D. Thoma ista solutione ad 4. quod diuinæ relationes sunt subsistentes, non præsupponentes, sed secumferentes distinctionem suppositorum.

10 Secundo suadetur: nam ideo ista relatiua sunt mutua; quia in termino est eadem ratio, & causa relationis, quæ est in relatiuo ad ip-

sum terminato, vt patet in exemplis ex D. Thoma allatis num. 1. ergo sicut ex parte subiecti ratio referendi non est entitas absoluta, sed ipsa relatio in illa fundata; ita ex parte termini (vt sit correspondentia formaliter, & recte assignata) ratio formalis terminandi erit relatiua, & ideo dicitur correlatiua, id est, simul relatiua.

11 Tertia principalis ratio huius, & præcedentis assertionis est: nam relatio, vt relatio, includit oppositionem relatiuam: sed oppositio relatiua essentialiter includit rationes referendi, & terminandi: ergo relationis realis terminus est aliquid respectuum. Maior patet: quia relatio realis est realis respectus vnus ad alterum vt diximus quæst. 20. oppositio autem relatiua definitur à Philosopho in postprædicamentis, his verbis: *quæcumque vt relatiua dicuntur, ea ipsa, quæ sunt, oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ea*: ergo relatiua per ipsas relationes opponuntur. Et sic etiam est probata minor: quia in oppositione respectus vnus ad alterum perse includitur ratio referendi, & terminandi relatiua.

Explicatur vis huius rationis: nam in oppositis relatiue, illud perse primo respicitur ab altero, quod perse primo illi opponitur; seu illi contraponitur, vel è regione primo sibi correspondet; reliqua enim ibi se habent materialiter: sed quod relatiuo perse primo opponitur relatiue, est correlatiuum: ergo, vt correlatiuum formaliter respicitur à relatione: ac proinde, relatio

terminatur ad respectum formaliter.

12. Responder P. Suarez sect. 16. n. 39. & 40. quod duplex oppositio hic interuenit; alia inter relationem, & terminum eius; alia inter relationem vnā vnus extremi, & alteram correspondentem illi in alio extremo, seu inter vnū relatiuum, & correlatiuum eius: prior oppositio est communis omnibus relationibus, & exigit ahetatem, & distinctionem extremorū; posterior verò cōsistit in hoc, quod vna respiciat vt terminum id quod est fundamentum alterius. Vnde dici potest, quod relatio opponitur termino *terminatiue*; alteri vero relationi *relatiue*.

Sed contra primo: nā illa prior oppositio est generalis omni oppositio, etiam non relatiua, imò & transcendens omne ens; secundum quod ab alio distinguitur sed nunc loquimur de oppositione propria relatiuorum, vt relatiua sunt: ergo dicta solutione non eneruatur argumentum.

13. Deinde, vt docet S. Thomas 1. p. quæst. 42. artic. 1. ad 4. cum dicimus quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem, & filiationem; quia vtroque modo multiplicaretur in infinitum: ergo relationi, vt relatio est, essentialis est oppositio relatiua: ergo si vt opponatur relatiue, per se, & formaliter intrat relatio: vt terminet, per se, & formaliter intrat relatio.

Tertiò: inductione constat in alijs generibus oppositionum, quod

adequate oppositionis extrema sunt in eodem genere, vt cōtrarietas est in duobus contrarijs, & contradictionis: ergo & in genere relationis, est in eodem genere ratio referendi, & ratio terminandi. ergo oppositio terminatiua, & relatiua se habēt sicut includens, & inclusum: nam relatio adæquate dicit rationē referendi, & terminandi; & hæc duo dicit oppositio relatiua adæquate sumpta.

14. Sed obijcit Suarez nōm. 17: nam commune axioma est, quod posito fundamento, & termino, resultat relatio: ergo prius est terminus, quam resultat: ergo non terminatur ad relationem, sed ad aliquid, quod eam antecedit: ergo terminatur ad absolutum. Patet consequentia: quia quicquid antecedit relationem, est aliquid absolutum. Primū verò antecedens sequitur ex cictis quæst. 22. n. 2. & 3. quod fundamentum, & terminus sunt causa relationis, quod, & docet S. Thomas relatus q. 23. n. 18. & patet, quod respectus vnus ad aliud, ex positione fundamenti, & termini dependet, & inde causatur, vel resultat.

Respondetur, quod axioma verificatur de fundamento proximo, & de ratione proxima fundandi rationem terminandi: nam istis positis, confurgit relatio. Et istæ rationes respectu fundamenti, & termini remoti, videntur se habere formaliter: sed tamen comparative ad rationem formalem referēdi, & terminandi se habent præsuppositiue, & materialiter, & de istorum

oppositione, & terminatione nunc loquimur.

15 Præterea arguit idem author à num. 18. vsque ad 22. nam id quod in vnoquoque extremo est ratio fundandi propriam relationē, est ratio terminandi alteram correlationem: nam sicut ratio fundandi est illa per quam redditur proxima causa, ob quam talis res habet relationem ad aliud; ita ratio terminandi est illa per quam redditur causa proxima ob quam res talis ad ipsam refertur; hæc autem causa est aliquid absolutum, vt inductione patet: ergo omnis relatio terminatur ad absolutum.

Respondetur hoc argumentū eodem vitio laborare, ac præcedēs: quia cum deberet tria distinguere, nempe, fundamentum proximum, & remotum, & rationem referendi; tantum distinguit duo: vnde nos in termino, vltra rationem remotam, & proximam rationem fundandi terminationem; consideramus munus formale termini: vnde cum in genere relationis formalissime sit ratio referendi, & terminandi; sicut in subiecto supra rationem fundandi ponimus rationem referendi; ita ex aduerso, vltra id quod terminat per accidens, & vltra rationem fundandi terminationē, ponimus relationem, quæ di-  
recte opponatur alteri relationi,  
quæ est in alio extremo;

& inter istas est di-

recte oppositio  
relatiua.

(11.)

#### §. IV.

##### *De relatiuis non mutuis.*

16 **D**ico tertio; relatiua tertij generis ante operationem intellectus non terminatur ad respectiuum formaliter, sed solum fundamentaliter. Ita colligitur ex Philosopho cap. de Relatione textu 5. & libro 5. Metaph. textu 20. & ex D. Thoma ibi lect. 17. littera e. & libro 10. lect. 8. littera g. & h. vbi ait: *Et quia talis est natura horum relatiuorum, quod vnum potest esse sine alio, sed non è conuerso, &c.* Et S. Thomas 1. p. quæst. 13. artic. 7. expresse probat, quod quandoque relatio in vno extremorum est res naturæ, & in altero est res rationis tantum: & apponit exemplum in sensu, & sciētia, & in Deo, & creaturis: nam creaturæ realiter referuntur ad Deum; sed in Deo non est aliqua realis relatio ad creaturas. Et ibi ad 6. ait, quod scientia, & scibile non sunt simul natura. Quod & dicit quæst. 8. de Potentia verbis relatis n. 1. Relatiua autem, quæ non sunt simul natura, non oportet ad relatiuum terminari.

Dices: ideo ista non esse simul natura, quia non sunt recte assignata; quia scibile dicitur secundum potentiam, scientia autem secundum actum, vel habitum: quando autem recte assignatur, etiam in non mutuis admittit S. Thomas esse simul natura: vnde subdit: *Sed si accipiat scibile secundum actum, tunc est simul cum scientia secundum actum: nam sci;*

*scitum non est aliquid nisi sit eius scientia.*

17 Hac doctrina comprobatur prima conclusio; nihil tamen habetur contra hanc tertiam conclusionem: nam loquendo de similitudine reali relatiuorum; omnia ista, quae non ex a quo referuntur, non sunt simul natura: & hoc sufficit ad intentum praesens. At verò loquendo ex modo intelligendi, & significandi, est attendendum, ut inquit S. Thomas illa solutione ad 6. *ad significatiues ipsorum relatiuorum: si enim vñ in sui intellectu claudat aliud, & è conuerso tunc sunt simul natura: & hoc etiam in aliquibus tertij ordinis relatiuis contingit; in alijs vero solet vnum in sui intellectu aliud claudere, sed non è conuerso: & tunc non sunt simul natura: & hoc modo se habent scientia, & scibile; & ideo in istis potest vnum dici relatiue, etiã si in alio non sit relatio, etiam secundum rationem, quia scibile dicitur, quod potest sciri, scientia verò nominat habitum, vel actum: & ita non sunt simul.*

18 Habetur etiam nostra conclusio ex D. Thoma quaest. 7. de Potentia artic. 10. ad 4. vbi ait: hoc nomen dominus tria in suo intellectu includit, scilicet, potentiam coercendi subditos, & ordinem ad subditos, qui consequitur talem potestatem; & terminationem ordinis subditorum ad dominum: in vno enim relatiuo est intellectus alterius relatiui. *Saluatur ergo huius significatio nominis in Deo quantum ad primum, & tertium, non autem quantum ad secundum: ergo ex mente S. Thomae, est termi-*

*nus relationis sine alia relatione reali ei correspondente.*

Respondet Caietanus esse terminum fundamentaliter, quia non est in Deo relatio realis: cum quo tamen stat, quod Deus formaliter dicatur dominus à relatione alterius extremi.

Sed cõtra: terminare formaliter, est esse id ad quod dicitur relatiuũ formaliter: sed creatura dicitur ad Deum relatiue, etiã nulla relatione posita in Deo, cum hoc creaturae realiter cõueniat: ergo formalis terminus est suo modo in istis, etiã sine formali relatione.

16 Ratio fundamentalis conclusionis est: nam in relatiuis tertij ordinis in vno extremo nõ est relatio realis, sed rationis: sed realiter loquendo relatio alterius extremi est terminata ad illud: ergo hoc terminatur ratione alicuius absoluti. Maior patet ex dictis quaest. 20, & 22: nam tunc est relatio realis ex parte alicuius extremi, quando ex parte illius est realis ratio fundandi; nam ex causa relatio habet realitatem, & inhaerentiam. Minor verò probatur: quia vnius extremi relatio non solum inest, sed ad aliud se habet respectiue: ergo habet à parte rei terminum, quem respiciat. Prima verò consequentia constat, quia relatio rationis non est actualiter in re nullo intellectu cõsiderante; quia ens rationis est, quod habet esse solum obiectiue in intellectu.

20 [Respondet M. Bañez 1. p. quaest. 13. artic. 7. in fine, quod aliqua entia rationis sunt, quae habent extra intellectum vtrumque fun-

damentum, & remotum, & proximum, ut sunt privationes, & huiusmodi relationes: & ista absolute dicuntur esse ante operationem intellectus: quia non sunt in actu completo, sed in potentia proxima: & hoc satis est, ut ens rationis dicatur esse simpliciter in suo genere,

Hæc solutio non videtur satisfacere: nam vel loquitur de existentia formalis entis rationis; vel solum de fundamentali? si primū; assumit aliquid falsum, & impugnatū libro 1. quæst. 7. §. 2. Si secundum; reddit tota difficultas argumenti: quia à parte rei formaliter hæc relatio se habet ad aliud: ergo terminatur ad illud formaliter: & tamen relatio rationis non est formaliter à parte rei: ergo à parte rei terminatur ad absolutum.

21 Alter respondet M. Ortiz §. 5. in fine, quod relationes tertij generis sunt quidem reales ex parte unius extremi, sed tunc erūt transcendentales; & solum erunt prædicamentales, cum intellectus format relationem rationis in alio extremo. Nec est inconueniens relationem realem prædicamentalem exigere ad sui esse existentiam alicuius entis rationis: nam relatio transcendentalis scientiæ ad obiectum est magis perfecta, & specificatur ab ente rationis.

Minus placet hæc euasio, quam omnes alie: primo, quia ideo relatio prædicamentalis terminatur ad respectuum, quia genus relationis in propria linea includit oppositionem relatiuam, quæ coalescit ex ratione referendi, & terminandi, &

utraque hæc ratio per se est in genere relationis: sed ens rationis non est in genere entis realis prædicamentalis, ut diximus ex D. Thoma hoc libro q. 6. n. 3. & q. 20. n. 15. & q. 21. n. 19. ergo non verificatur, quod relatio prædicamentalis habeat rationem terminandi prædicamentalem.

22 Secundo: nam si hæc doctrina admitteretur, posset iuxta illam defendi, quod ens in actu ad ens in potentia, esset relatio realis prædicamentalis: sed cõsequens est falsum: ergo, & id ex quo sequitur. Sequela patet; quia ens in potentia potest actu habere esse obiectiue in ratione; & illo semel existente, cõsurget in alio extremo relatio prædicamentalis. Falsitas verò sequelæ patet ex D. Thoma lib. 2. contrag. cap. 12. ratio ne 3. dicente: eius quod est actu, ad id quod non est actu, sed potentia, non sunt relationes reales: alias sequeretur, quod essent infinitæ relationes actu in eodẽ; cū numeri infiniti in potentia sint maiores binario, quibus omnibus ipse est prior.

23 Præterea, eadẽ via posset defendi, quod respectus ad non ens esset relatio realis: quia non ens in re a natura accipitur ut ens in ratione: cū tamen S. Thom. sæpissime doceat, quod omnis respectus ad non ens est relatio rationis tantum, ut videri potest 1. p. q. 13. art. 7. & in 1. dist. 24. q. 1. art. 3. ad 1. & dist. 26. q. 2. art. 1. & q. 1. de Verit. art. 5. ad 16. & q. 3. de Potentia art. 1. ad 7. & art. 3. ad 5. & latius q. 7. art. 11. ¶ Nec est eadẽ ratio de respectu transcendentali. Tū quia iste in re est quid absolutum:

lutum: tum quia cognitio realis est non entis, & entis rationis in quantum representatur à ratione: realis autem respectus nõ est, nisi in utroque sit realis ratio fundandi, vt sæpe dictum est.

24 Verisimilior est solutio Caietani, Nazarij, & aliorum pluriũ, quod in relatiuis non mutuis ratio terminandi est relatiua denominatio à relatione alterius extremi proueniens, per quam constituitur formaliter terminus, & correlatiuum: & de istis inquit Philosophus 5. Metaph. & ex ipso S. Thomas 1. p. q. 13. art. 7. *quod non dicuntur relativi, eo quod ipsa referantur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa.* Quod alio modo intelligi nequit, nisi quia formaliter talia dicuntur ab extrinseca denominatione sumpta ab alio extremo. Istas autem denominationes extrinsecas dari, & esse aliquid reale, iam diximus lib. 1: quaest. 7. n. 7. per illas autem opponitur alteri relatiuo: & ita implicat vnum extremum denominari relatiue intrinsece, quin simul alterum denominetur extrinsece. De quo videndus S. Thomas 3. p. quaest. 35. artic. 5. & in 1. dist. 40. q. 1. art. 1. ad 2.

25 Adhuc tamen non videtur satisfacere hæc responsio; primo, quia S. Thomas libro 2. contrag. cap. 13. ratione 2. ait: *A relatione vero non inuenitur aliquid denominati quasi exterius existente, sed inherente: & inde infert, quod relationes Dei ad creaturas non sunt res aliqua extra ipsum: sed sunt in Deo solum secundum rationem.* Quod, & docet S. Thomas loco ipso 1. p. qui citatur in contra-

rium: nam ibi solutione ad 4. ait: *Nec est inconueniens, quod à relationibus realiter existentibus in re, Deus denominetur; tamen secundum quod cointelliguntur p. r. intellectu nostro opposita relationis in Deo; vt sic Deus dicatur relatiue ad creaturam, quia creatura referatur ad ipsum: Quod est dicere; id quod est formale in linea denominationis extrinsecæ, est causale, seu fundamentum relationis rationis, qua ibi cointelligitur, qua nos explicamus relationis oppositionem: tamen in re terminus est aliquid præcedens; ac proinde, quid absolutum.*

26 Secundo obstat huic solutioni: quia illa extrinseca denominatio est posterior ipsa ratione formali terminandi: nam resultat ex terminatione quasi passiuæ ipsius relationis ad terminum: sicut ex eo quod videam parietem, resultat denominatio visi; & prius concipio me videre, & obiectum passiuæ esse visum, quam quod consurgat illa denominatio. Et in relatiuis transcendentalibus clare apparet, quod non specificantur potentia, & habitus, & actus ex denominatione extrinseca ex actibus cõsurgente, sed ex fundamento illius, vt diximus 1. p. Metaph. Controu. 2. num. 33. Ergo in relationibus prædicamentalibus formalis terminus non est ipsa denominatio, sed illius fundamentum reale. Nã eat ergo quod realiter loquendo relatiue non mutua non terminantur ad relationem.

27 Obijcies rationes omnes secundæ conclusionis hanc destrueret; nam relatio, nõ precise quia mu-

tua, sed quia relatio, oppositionem relatiuam includit, & similitudinem naturæ, & dici ad conuertentiam, si recte assignentur termini: ergo vel dicendum est relationes tertij generis non esse prædicamentales, ut existimauit Henricus Quodlib. 2. q. 4. & alij quos iam reiecit quest. 22. s. 2. vel non dicitur relatio non mutua, ut arbitrat Gregorius in 1. dist. 28. q. 1. quod tamen est contra Philosophum, & S. Thomam, & communem omnium sensum.

Respondetur, quod Philosophus & S. Thomas 5. Metaph. lect. 17. & libro 10. lect. 8. littera g. dicunt ista relatiua non ex æquo referri sicut alia; & ita in re non sunt complete terminata; & ideo nec directe adæquate, & complete opposita: ac proinde, sunt reales, & prædicamentales ex parte vnius extremitatæ; non verò ex parte vtriusque, adhuc quando significantur ut oppositæ per rationem. Et ideo relatio, ut relatio, dicit oppositionem cum termino sibi ex æquo, & adæquate opposito; deficit tamen hæc perfecta oppositio, quando extrema non sunt eiusdem ordinis, nec è regione sibi correspondent: quia in vtroque non est ratio fundandi. Et ideo in re iste sunt non mutua; quamuis ratio reperiat fundamentum ut intrinsecam relationem in extremo

extrinsece denomina-

to fingat.

(†)

## §. V.

*Vtrum relatio incommuni habeat terminum?*

28 **V**idetur hæc difficultas oriri ex dictis: quia relatio est *crius totum suum esse est ad aliud se habere*, & diximus, quod per *ly aliud* intelligitur correlatiuum: ergo genus generalissimum relationis dicit ordinem ad aliud sibi æquale correlatiue è regione correspondens: ergo dantur duo genera relationum: ac proinde, prædicamenta erunt plura quam decem.

Ab huius argumenti difficultate facile se expediunt, qui negant relationem terminari ad relatiuum: concedunt enim relationem incommuni habere terminum; non tamen sequitur dari duo genera: quia non est relatiuum ut sic, sed quid absolute à rebus omnibus indistinctum. Ita Suarez disput. 47. sectione 17. num. 9.

29 Adhuc tamen videtur urgere difficultas: quia respectus non est, nisi vnius ad alterum; & si ex parte illius, quod refertur, datur vna ratio vniuoca, in qua omnia relata conueniunt, videtur desiderari ratio, cur etiam ex parte termini non possit assignari vna vniuoca ratio terminandi, in qua omnes termini conueniant?

30 Alij dicunt, quod relatio incommuni abstrahit à mutua, & non mutua; & ideo terminus incommuni abstrahit ab absoluto, & respectiuo; vel quia relationes non mutue

ter-

terminatur ad absolutum; vel quia  
relativa denominatio extrinseca nõ  
sufficit constituere nouum genus.  
Ita Rubio quæstione 3. in fine, &  
PP. Carmelitani disput. 14. quæst.  
6. in fine.

Sed quia de relatione communi  
ad omnes mutuas, videtur rella-  
tæ difficultas, an habeat terminum,  
& quæ? & omnis relatio si ex æquo  
referatur habet terminum; & ipsæ  
non mutua per terminum correla-  
tium definiuntur, & explicantur;  
ideo non pænitus videtur cessare  
difficultas, sed mutari.

31 Ad quã multi antiqui, quos  
referunt, & sequuntur Sanchez li-  
bro 5. quæst. 35. & Araujo libro 5.  
Metaphysicæ quæst. 5. artic. 8. ne-  
gant relationem incommuni habe-  
re terminum. Quod probant ex D.  
Augustino in libro Categoriarum  
cap. 11. & quia licet incommuni  
relatio sit referibilis; non tamen re-  
fertur nisi in singularibus. Quare vt  
ait Nazarius 1. p. quæst. 13. art. 7.  
Controu. vnica, relatio incommuni  
non dicitur ad aliud quasi vt *quod*  
& in actu exercito; sed tantum in  
actu signato, & vt *quo*.

32 Nec in hac doctrina alij  
quiescunt. Primò, nam S. Thomas  
cap. 7. de Ente, & essentia, verbis re-  
latis hoc libro quæst. 6. n. 14. gene-  
raliter docet, quod accidentia abs-  
tracte significata ponuntur in præ-  
dicamento; loquendo autem de ra-  
tione abstracta relationis, differt ab  
alijs generibus, quia est ad aliud: er-  
go vt sic definitur, seu describitur  
ad terminum. Secundò: ratio com-  
munis vniuoca debet continere in

potentia rationes particulares infe-  
riores: ergo si hæc, vel illa relatio  
habet istum, vel illum terminum;  
relatio vt sic habebit terminum. Sicut  
quia hic filius refertur ad hunc pa-  
trem, filius incommuni describitur  
per respectum ad patrem incommuni.

33 Facilius alij respondent con-  
cipi relationem incommuni, & ter-  
minum incommuni. Nec ideo dari  
duo suprema genera, quia relatio  
est respectus inter duo extrema; &  
ideo terminus reductiue spectat ad  
prædicamentum, vt respondet A-  
uersa quæst. 19. sect. 6. & M. Petro-  
nius libro 3. quæst. 1. artic. 8. quæ-  
stioncula 1. & 2. Vel quia sunt con-  
ceptus partiales continentes vnã  
totalem essentiam relationis, essen-  
tialiter quidẽ, sed inadæquate: quia  
sine vtroque non verificatur defini-  
tio relationis, cuius totum suum  
esse est ad aliud se habere. Ita Pe-  
tronius vbi supra quæst. 5. & ex ip-  
so M. Ortiz tractatu 5. confer. 5. §.  
3. videndus. Quod si volueris de-  
fendere solutiones relatas n. 31. Cõ-  
sule illarum authores, qui de hoc  
puncto late disputant.

34 Non immergi in arbore præ-  
dicamenti describenda; quia satis pa-  
tet ex quæst. 22. & quæ latius essent  
examinanda, excedunt captum Lo-  
gicorum. Proprietates breuiter ex-  
ponuntur opusculo 48. apud D.  
Thomam tractatu 5. cap. 5. & ma-  
iori ex parte patent ex dictis:

videatur Sanchez lib.

5. quæst. 39.

\*\*\*

## QVÆSTIO XXV.

*Quid sit Qualitas?*

**N**on immerito in dubium reuocabatur, quod Qualitas præferenda esset Relationi; & ideo cur post prædicamentum Relationis, ante sex vltima prædicamenta, de Qualitate tractetur, nulla est ambigendi causa, vt ait M. Soto, cum sit accidens intrinsecum prius, & nobilius alijs.

## §. I.

*Definitio Philosophi exponitur.*

**C**irca vocem notandum, quod Philosophus 5. Metaph. textu 19. & S. Thom. ibi lectione 16. plures referunt significationes huius nominis *Qualitas*. Ad nostrum intentum solum attinent tres acceptiones, quas ex Philosopho colligit Flandria 5. Metaph. quæst. 15. artic. 1. ad 1. & communiter Doctores. Primo accipitur pro *differentia substantiali*: & propter hoc differentia prædicatur in *quale*, & vt notat S. Thomas illa lect. 16. littera e. differentia substantiæ dicitur qualitas, quia per eam aliquid significatur informatum, & qualitatum: & ideo est qualitas ex modo significandi, & non secundam rem. Secundo accipitur qualitas generaliter pro omni accidente, quia omnia accidentia prædicantur in *quale accidentale*: & hic secundus modus dicitur per *analogiam*, & proportio-

nem ad primum: nam vt ait S. Thomas 1. 2. quæst. 49. artic. 2. sicut id secundum quod determinatur potentia materiæ secundum esse substantiale, dicitur qualitas, quæ est differentia substantiæ; ita id secundum quod determinatur potentia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis. Et hinc tertio præsius accipitur pro genere determinato accidentis, condistincto a quantitate, & à sex vltimis prædicamentis; & eius propriam rationem inquirimus.

3 Describitur autem à Philosopho hic, iuxta translationem Boetij: *Qualitas est secundum quam quales esse dicuntur*. In quo verbo primæ personæ notat B. Albertus insinuasse Philosophum qualitates corporales, & spirituales, quia ambæ sunt in hominibus: quod probat, & late declarat Didacus à Iesu disput. 15. quæst. 1. Quia tamen in Græco non est nisi tertia persona, & Argyropilus vertit: *Qualitatem vero dico qua quales quidam dicuntur*; ideo M. Soto censet ibi nullum latere mysterium; sed solum denotatur, quod qualitas est forma, qua dicuntur *quales*: sicut substantia est, qua dicuntur *quid*, & quantitas qua dicuntur *quanta*.

4 Videtur autem prædicta definitio, seu descriptio vnde quaque deficiens: primo, nam in definitione nõ debet dari circulus, vt docet Philosophus 6. Topicorũ cap. 3. datur autem hic, quia qualitatẽ defini per quale, & quale per qualitatẽ. Secundo: quia definitã ingreditur definitione: nec est notior definito; imò idẽ defi-

definitur per se ipsum: nam secundum rem abstractum, & concretum sunt idem.

5 Propter hæc Hurtado disp. 14. Metaphys. sect. 1. censet hanc esse non definitionem, sed inanem quandam negationem. Et Auerſa quaest. 20. Logicæ sect. 1. dicit Aristotelem hic, nec definire, nec explicare voluisse qualitatem; sed tantum coniungere abstractum, simul cum concreto.

6 Sed altius sentire debemus de tanto Philosopho. Quia propter Boetius hic, & expositores communiter, fatentur quidem hanc non esse quidditativam definitionem: quia generalissima, quæ non sunt composita ex genere, & differentia, quidditative definiri non possunt. Est tamen descriptio quædam, quæ datur per notiora quoad nos: nam ut ait Auerrois 1. Physicorum commentar. 3. compositum notius est quam forma; & ideo notius est album, quod videmus, quam albedo; & notior est nobis sapiens, cuius opera conspicimus, quam sapientia, quæ solo percipitur intellectu. Declaratis autem speciebus qualitatis, quale per qualitatem describitur, quia hæc est notior secundum se. Habetur hæc doctrina opusc. 48. apud D. Thomam tractatu 4. cap. 1.

7 Nec sine exemplo admittuntur huiusmodi descriptiones: nam Theologi in 4. distinct. 27. & Gratianus in Decretis 27. quaest. 2. definiunt *Matrimonium* dicendo, quod est *maritalis coniunctio*: & tamen in definitione *mariti* ponitur etiam ma-

trimonium: quia *maritus est qui est mulieri iunctus matrimonio*: sicut ergo descriptiones illæ non reprobantur, ita nec ista: & vtrumque optime explicat S. Thomas in 4. distinct. 27. quaest. 1. & habetur in additionibus ad 3. p. quaest. 44. artic. 3. ad 1. dicens, quod aliquando priora, ex quibus debet dari definitio, non sunt nota quoad nos; & ideo in definitione aliquorum ponuntur aliqua posteriora simpliciter, quæ sunt priora quoad nos; sicut in definitione Qualitatis ponitur Quale à Philosopho.

## §. II.

*Recentiorum definitiones excluduntur.*

8 **H**Æc licet ita sint; adhuc tamen expositores inquirunt, quæ sit propria ratio qualitatis? Admonet S. Augustinus libro Categoriarum; *non perne prudentia esse, qualitatem cum ceteris perne confusam, mentis vivacitate secerere*: & huic difficultati attestantur tam diversæ definitiones, quæ sunt excogitatæ, & quod inter illas nulla hucusque est assignata, quæ omnibus placeat.

9 Tres definitiones referunt, & impugnant PP. Carmelitani disp. 15. quaest. 2. & ultra illas aliæ sunt excogitatæ. P. Raphael Auerſa q. 20. sect. 1. ita definit: *Qualitas est forma accidentaliter univoca ens subiecto secundum certam aliquam denominationem, & indivisibiliter*: hoc est, quæ non reddit subiectum divisibile; licet ad divisionem quantitatis dividi possit.

De-



ria formam, quæ non sunt qualitates, vt naturalis locus, & motus in illum, & situs. Et multi putant quantitatem sequi formam: & saltem quoad terminum magnitudinis, seu paruitatis, id est clarum, præfertur in uiuentibus.

Obijcit rursus Auerfa: nam S. Thomas 3. p. q. 77. art. 2. ad 3. expresse docet, quod rarum, & densum sunt quædam qualitates consequentes corpora, ex hoc quod habent multum, vel parum de materia subdimento: nō: ergo non est verum vniuersaliter, quod omnis qualitas consequatur formam.

Denique obijcit idem author: nam in Angelis sunt qualitates; & tamen in eis non est forma, quia sunt substantiæ simplices.

15 Quia tamen solutio obiectionum, definitionis expositionem exigit, & hæc pendet ex alijs duabus definitionibus; ideo eas oportet præmittere. Secundi ergo definitio sumitur ex D. Thomæ 1. p. quæst. 28. artic. 2. nempe, *qualitas est accidens dispositum substantiæ*, sicut propria ratio quantitatis est esse mensuram substantiæ. Tertia trahitur ab eodem D. Thomæ 1. 2. quæst. 49. artic. 2. dicente, quod *propria qualitas importat quemdam modum substantiæ*. Seu importat quandam determinationem secundam aliquam mensuram.

16 Contra hanc definitionem obijcit Suarez num. 3. quia vel accipitur *modus* rigurose; vel late? Primum est falsum: quia qualitas non est modus. In secundo vero sensu est aliquid comune omni accidenti. ¶ Indeque possumus argumentari

contra secundam definitionem: quia etiam quantitas est dispositio substantiæ: nam vt S. Thomas relatus initio q. 13. *prima dispositio materia est quantitas diuersa*: ergo per rationem dispositionis non est declarata essentia qualitatis.

Contra vtramque obijcit Auerfa: nam vtraque explicatio videtur obscura: quia non apparet, quæ sit ista ratio dispositionis propria qualitatis, ad differentiam aliorum accidentium: nec quæ sit ratio mensuræ, & determinationis: nec quomodo sit propria qualitatis, alijsque generibus accidentium non conueniat.

17 Conatur P. Suarez à num. 5. vsque ad 8. hæc exponere, & ad concordiam redigere, dicendo, quod qualitas per se primo instituta est ad ornandum intrinsicè, & perficiendam substantiã, vt conuenienter affecta sit in suo esse, vel in virtute agendi; & quia forma complet, & perficit; ideo dicitur consequi formam, siue per emanationem, siue per quandam conuenientem perfectionem. Et in isto sensu est *modus* & dispositio substantiæ.

18 Sed contra: nam vel *ornatus* sumitur generaliter; & sic est communis omni accidenti, vel peculiariter; & sic nō conuenit omni qualitati: nā aliquibus qualitatibus non ornatur, sed deturpatur subiectū, vt vitijs, & erroribus, & morbis. Et alia entia, quæ non sunt qualitates, etiã ornant, vt ornatus cæli, & terræ, de quo est mentio Genes. 2. & prædicamentū *habitus*, per ornatū explicatur à D. Th. 1. 2. quæst. 49. art. 1.

Dices; nomine *ornatus* intelligi etiam contrarium ornatus; & nomine nobilitationis, intelligi contrarium nobilitationis: vt exponit M. Ioannes à S. Thoma quæst. 18. artic. 1.

19 Hoc tamen vt cumque sustineri posset, si ratio definita solum analogice diceretur de membris diuisidentibus; quia tamen genus supremum vniuoce prædicatur de omni contento in recta linea qualitatis; ideo illi non potest dicta definitio aptari: quia ornare, nobilitare; & contrarium nobilitationis, non videntur vniuoce conuenire, nec dicere vnam rationem communem.

### §. III.

#### *Declarantur definitiones, & sol- uuntur argumenta.*

20 **N**ihilominus sustinendæ sunt relatæ definitiones, vt exactæ, prout materia patitur. Prima colligitur ex Philosopho, & D. Thoma 4. Metaph. textu 22. in fine, lect. 13. littera c. vbi pro eodem accipiunt qualitatem, ac formam. Potest autem dupliciter exponi. Primo, vt sonat: & forte in hoc sensu ait S. Thomas cap. 7. de ente, & essentia, quod *quædam accidentia principaliter consequuntur formam, & quædam materiam*: quia licet totaliter nullum accidens sit in sola materia, nec ab illa sola dimanet, tamen principaliter, quædam conueniunt ratione materię; & hæc est quantitas, & qualitates conueniunt ratione formæ. Secundo potest intelligi per

quandam accommodam distributionem; quod quantitas in accidentibus faciat, quod in substantijs facit materia, quæ est vt subiectum; & qualitas faciat, quod facit forma, quia actuat, determinat intrinsece, & complet. Et iuxta hanc secundam expositionem, argumenta vim non habent.

21 Iuxta primam vero, respondetur ad primum propositum num. 14. quod vtaut S. Thomas 1. p. q. 7. art. 1. ad 2. terminus quantitatis est sicut forma ipsius: cuius signum est, quod figura, quæ consistit in terminatione quantitatis, est quædam forma circa quantitatem. Et ideo principaliter sequitur formam, licet radicaliter oriatur à materia, à qua oritur quantitas cuius est terminus.

Ad illud de luce respondet S. Thomas capit. 7. vbi supra, quod secundum actum imperfectum causatur ab intrinseco; & completur ab extrinseco: quia diaphaneitas in aere completur per corpus lucidum exterius; sed illa inchoatio, & capacitas est ratione formæ. Reliquæ accidentia, de quibus fit mentio in argumento, non sunt intrinseca omnino, & absoluta; & ideo per priorem particulam definitionis excluduntur.

22 Ad secundum dicitur, quod illæ qualitates radicaliter proueniunt à materia, proxime vero, & principaliter à forma: vnde iuxta varias formas variatur, vt ignis rarior est terra, & sic de alijs. Nec obstat, quod Philosophus circa quartam speciem qualitatis notat, quod rerum: & ipsum,

ipsum, non qualitates, sed situm partium denotant. Quia ut ex B. Alberto notat ibi Caietanus, ista positionem, & qualitatem important; sed positionem principaliter; qualitatem autem secundario.

Ad 3. dicitur quod Angeli sunt *forma per se subsistentes*, ut ait S. Thomas 1. p. quaest. 50. art. 1. 2. & 5. & ideo in eis non sunt quantitates, sed qualitates: nam nomine *forma*, non intelligimus solum formam, quae est pars; sed illam quae est actus, dum non sit actus, purus in capax accidentis.

23 Aliæ duæ definitiones erudite exponuntur à Sanchez libro 5, Logicae quaestione 41. & à PP. Carmelitans disp. 15. quaest. 2. qui bene notant ibi; non sumi dispositionem pro ordine partium in loco; nec pro ordine partium in toto; imo nec exigit partes quantitativis; sed solum partes virtutis, habentes indifferentiam, & virtuales quandam latitudinem, dicuntur indigere qualitate, qua disponantur, & determinentur. Nec modus accipitur ut distinguitur contra rem; nec pro forma omni accidentali, sed pro ordinata determinatione, quae est ipsa mensura, & dispositio: & ita solis verbis istæ descriptiones differunt, & acceptantur etiam à Scoto hic q. 1.

24 Ad id quod obijcitur, num. 16. respondetur ex dictis, quod modus accipitur pro determinatione per modum formæ determinantis, & importat rationem communem accidentis, intrinseci, absoluti, & peculiarem; rationem qualitatis:

quia qualitas extendit, relatio refert; qualitas vero determinat, & disponit; & hoc est modificare, & qualificare. ¶ Unde ex B. Alberto, notat Caietanus in hoc capite, quod reliqua accidentia modificat cum addito; quantitas enim facit quale quantum, vel quatum (ut sic liceat loqui) & simile est in alijs. At vero per hoc accidens quales sine additione dicuntur, & sic determinat & absolute modificat.

Inuenio etiam mentionem de modo in ista acceptione opusc. 48. apud D. Thomam tractatu 2. cap. 1. vbi dicitur: modus essendi alicuius rei potest accipi dupliciter. Vno modo ut est proprietas realis alicuius realiter differens ab eo; sicut dicimus de aliquo: *iste habet bonum modum*; quia est mansuetus, vel concors: constat autem, quod mansuetudo, & concordia, quas diximus modos, res sunt differentes ab eo cuius sunt. Hæc ibi.

25 Ad secundum dicitur, quod quantitas est dispositio materialis, & per modum subiecti; qualitas vero est dispositio per modum actus, & formæ: & ideo hæc absolute tollit indifferentiam, & dat modum, & ordinationem.

26 Ad vltimum dicimus, quod nulla horum generalissimorum generum potest assignari descriptio, quæ explicatione non indigeat, propter magnam eorum amplitudinem: & specialiter hoc esse difficile in qualitate, notatum est ex D. Augustino, quod prouenit ex eo quod obiectum proportionatum nostri intellectu est quiddam rei  
ma-

materialis; & ideo facilius quantitatem percipimus, quia est magis sensibilis, quam percipiamus, qualitates: & præcipue difficile est unum communem conceptum determinare, in quo conveniant qualitates corporales, & spirituales: imo naturales, & supernaturales. Cum etiam ipsi, qui difficultatem obijciunt, multo magis obscuram definitionem confixerint ex proprio cerebro; nobis melius fore iudicamus sapientium antiquorum definitiones non euertere, sed intelligere, & explanare.

## QVÆSTIO XXVI.

*De diuisione qualitatis in suas species.*

### §. I.

*Ratio sufficientiæ diuisionis.*

**Q**uatuor species qualitatis nūmerat. Philosophus in hoc capite, quæ sunt genera subalterna, ut dicitur opusc. 48. apud D. Thomam tractatu 4. cap. 2. Diuisionis autem sufficientiam assignat S. Thom. 1. 2. q. 49. art. 2. in hac forma. Qualitas est modus; seu determinatio dispositiua formalis substantiæ: sed hæc quatuor modis generaliter contingit. Ergo dantur quatuor genera qualitatis. Maior est exposita quæst. 25. Minor vero probatur: nam determinatio, & dispositio substantiæ; vel accipitur in ordine ad naturam subiecti: & sic est prima species qualitatis, quæ cō-

tinet habitum, & dispositionem; vel accipitur determinatio subiecti in agendo, vel patiando, aut secundum actionem, & passionem: & sic constituitur secūda, & tertia species qualitatis, nempe naturalis potētia, vel impotentia, & passio, & passibilis qualitas: & istæ radicaliter, & principaliter oriuntur à forma, quæ est actioni principium. Si denique determinabilitas subiecti oriatur à quantitate; sic est quarta species, quæ est forma, & figura.

2 Scio rationē hanc D. Th. impugnari à Suarez disp. 42. Metaph. sect. 5. n. 6. & n. 7. & 8. aliam ipse assignat. Quia tamen eam rejicit Sanchez lib. 5. q. 43. & M. Ioan. à S. Th. q. 18. art. 2. declarat, & defendit rationē S. Thomæ, & alias rejicit; & ex dictis facile est eam refellere, ideo non oportet nunc detineri; sed ad singulas species exponendas descendamus.

3 Obijcies Philosophum, qui in isto capite his speciebus numeratis; concludit textu 4. *Atque forsitam quidem, & alius quispiam qualitatis modus videbitur esse; qui tamen maxime dici solent, tot fere sunt: ergo sentit dictam diuisionem non esse adæquatam; sed tantum esse numeratas species magis cognitatas, & alias posse ad inueniri, & numerari.*

Hæc autoritate permotus Boetius censet alias esse plures, species qualitatis, sed quia Aristoteles introductionis modo hic rem tractauit; non enumerauit omnes, ut nos animatos relinqueret ad alias perscrutandas.

4 Verumtamen S. Th. in 4. dist.

4. q. 1. art. 2. censet diuisionem esse adæquatam; quia quauis sint alij modi qualitatis; tamen omnes reducantur ad has species: quod patet ex hoc, quod nulla alia species inueniri adhuc potest. Hæc ibi. Quare Philosophus modestiæ causa dubitanter loquitur, ac si diuisiones nõ exiacte assignasset: vel ideo dubitatiue loquitur, quia putauit diuisionis sufficientiam nõ posse demonstratiue probari, vt hic notat Caietanus.

## §. II.

*De prima specie qualitatis, scilicet, de habitu, & dispositione.*

5 **D**escendendo ad primam speciem, ante omnia oportet vocum significationem exponere. Hoc nomen *habitus*, dictum est ab hoc verbo *habere*, vt notat S. Thom. 1. 2. q. 49. art. 1. ex D. Augustino lib. 83. qq. & accipitur tripliciter, vt per totum articulum prosequitur S. Thom. Primo communiter. & sic est postpredicamentum: secundo accipitur proprie, prout intelligitur aliquid medium inter habens, & quod habetur: & sic est speciale predicamentum, de quo Philos. 5. Metaph. text. 25. ait; quod inter habentem indumentum, & indumentum, quod habetur, est habitus medius. Tertio modo sumitur specialiter, prout res aliqua dicitur quodammodo se habere in se ipsa, vel ad aliquid aliud: & sic est qualitas, de qua inquit Philosophus: habitus dicitur dispositio secundum quam bene, vel male disponitur dispositum, aut secundum se, aut ad aliud. Et de habitu in isto sensu nunc loquimur.

6 *Dispositio*, vt dicitur 5. Metaph.

textu 24. est ordo habentis partes: & vt ibi ait, id contingit tripliciter: nam si sit ordo partium in loco, est predicamentum sicut, vt ait S. Thomas ad 1. si vero sit dispositio rei in se ipsa, & quasi ordo partium essentialium, vel potentialium, est qualitas, vel imperfecta, vel perfecta. ¶ Addit S. Th. ibi art. 2. ad 3. quod dispositio sumpta pro qualitate, dupliciter accipitur. Vno modo secundum quod est genus habitus: nam in 5. Metaph. dispositio ponitur in definitione habitus: alio modo secundum quod est aliquid contra habitum diuisum. Quod magis declaratur opusc. 48. tractatu 4. cap. 2. dum dicitur, quod dispositio est genus ad habitum: omnis enim habitus est dispositio; non tamen omnis dispositio est habitus: nam *qualitas facile mobilis* est dispositio; non tamen est habitus. Vnde si sumatur dispositio pro qualitate, quæ est facile mobilis, tunc est vna species qualitatis conuulsa habitui. Si vero sumatur dispositio, prout dicitur tam de qualitate facile mobili, quam de *difficile mobili*; tunc est genus ad habitum, & dispositionem, quæ habitui conuulsa.

7 *Habitus* in communi definitur 5. Metaph. est *dispositio secundum quam res bene, vel male se habet, siue secundum se, siue ad aliud*. Quæ declaratur à D. Thoma vbi supra, & habetur dicto cap. 2. Retinet nomen habitus, cum est *qualitas difficile mobilis*: nomen vero habet dispositionis, cum est *qualitas facile mobilis*. Ad maiorem tamen declarationem huius speciei, sunt circa eam duo dubia.

## 6. III.

*Primum est, in quo consistat ratio communis huius generis, quod dicitur dispositio communis ad habitum, & dispositionem?*

**R**espondetur consistere in hoc quod disponat naturam bene, vel male, siue secundum se ipsam, siue in ordine ad operationem. Ita Philosophus 5. Metaph. textu 25. & libro 2. Ethicorum cap. 5. & S. Thomas 1. 2. quaest. 49. fere per totam: & contraunitè Thomistæ, & frequenter alij authores; & patet primo, quia in hoc conveniunt omnes qualitates huius speciei: & per hoc ab alijs essentialiter differunt; ut patebit eorum rationes proprias explicando.

Secundo constat inductione: nã sanitas, & pulchritudo ponuntur à Philosopho in hac prima specie; & tamen non sunt qualitates operatiuae: & pariter gratia non est immediate operatiua; & tamen est habitus ex natura sua difficile mobilis, ut sumitur ex D. Thoma quaest. 17. de Veritate art. 1. ad 9. Rursus scientia, & virtutes, & alij habitus, qui immediate afficiunt potentias operatiuas, in quantum sunt principium operandi in quantum recte disponunt subiectum operatiuum: & ideo Philosophus 7. Physicorum textu 17. loquens de habitibus animæ, & corporis dicit, quod sunt dispositiones quasam perfecti ad optimum, dicitur 4. textu

perfecti (inquit) quod est dispositum secundum naturam: ergo habitus, & dispositio, quæ est illius generis, non sunt per se primo qualitates operatiuæ.

9 Ad hæc exempla respondet P. Suarez disput. 42. Metaph. sect. 4. a num. 20. vsque ad 23. quod sanitas non est qualitas simplex distincta à temperamento humorum, vel totius corporis: nec temperamentum est aliqua qualitas perfecta, sed est aggregatum, & quasi artificiale compositum ex primis qualitatibus, ad certam moderationem, & proportionem reductis. Nec pulchritudo est vna qualitas per se; sed ex figura, & coloribus coalescit. Denique gratia non est in prima, sed in tertia specie qualitatis, quia ordinatur ad perficiendum subiectum solum.

10 In primis euasio hæc expressè est contra Philosophum hic, & lib. 7. Physicorum; ut ponderat S. Thomas 1. 2. quaest. 50. artic. 1. quia eodem modo loquendi utitur exemplificando de sanitate, & ægritudine, & de virtute, & de scientia: tum quia in 7. Physicorum ponit expresse inter habitus pulchritudinem, & sanitatem. De quo videatur ibi S. Thomas lect. 5. in fine, aduertens, quod ista sunt relatiua secundum dici; quia complentur relatione, & habitudine ad aliud: aliqua enim contemperatio humorum est sanitas in leone, quæ non esset sanitas in homine, sed eius extinctio; quia eam humana natura ferre non posset.

11 Præterea, ex primis qualitatibus

talibus alia resultant: sed ista in  
transformatione consequitur aliquam  
priorem alterationem calidi, &  
frigidi, aut alicuius huiusmodi, ut  
ibi ait S. Thomas, & 1. 2. quæst.  
52. artic. 1. ad 3. docet, quod in  
qualitatibus tertiæ speciei est pri-  
mo alteratio; in qualitatibus verò  
primæ speciei potest esse alteratio  
per posterius; facta enim alteratio-  
ne secundum calidum, & frigidum,  
sequitur animal alterari secundum  
sanum, & ægrum: ergo hoc mo-  
do sanitas, & pulchritudo possunt  
causari, vel resultare. Videatur S.  
Thomas 1. 2. quæstione 50. artic.  
1. ad 3.

Tertio, ego non video cur po-  
tentia operatiua possint disponi,  
& qualificari dispositionibus, &  
habitibus; & naturæ non operati-  
uæ proxime tali dispositione, & qua-  
lificatione. quam ipse appellat or-  
natum, non indigeat, & illius sit in-  
capax?

12 Quarto: ut docet S. Tho-  
mas 3. p. quæst. 63. artic. 2. ad 2.  
& in 4. distinctione 4. quæst. 1. ar-  
tic. 1. in tertia specie qualitatis non  
sunt nisi sensibiles passionis, vel  
sensibiles qualitates: unde gratia  
nequit esse in tertia specie qualita-  
tis, ac proinde, erit in hac prima  
specie qualitatis, ut ait S. Tho-

mas quæst. 27. de Veri-  
tate articulo se-  
cundo ad 7.

(.†)

## §. IV.

*Dubium alterum est, utrum ha-  
bitus, & dispositio differant  
accidentaliter, vel  
essentialiter?*

13 **D**ico primò, secundum ali-  
quam acceptionem, habi-  
tus, & dispositio solum differunt  
accidentaliter. Ita S. Thomas 1. 2.  
q. 49. art. 1. ad 3. dicens: potest in-  
telligi dispositio proprie dicta con-  
diuidi contra habitum, dupliciter:  
vno modo sicut perfectum, & im-  
perfectum in eadem specie, ut scili-  
cet dispositio dicatur retinens no-  
men commune, quando imperfec-  
te inest, ita quod de facili amittitur;  
habitus autem quando perfecte in-  
est, ut non de facili amittatur; &  
sic dispositio fit habitus, sicut puer  
fit vir.

14 Quam acceptionem omni-  
no approbat S. Thomas quæst. 7.  
de Malo art. 2. ad 4. dicens, quod  
difficile mobile non est differentia  
constitutiuua habitus: nec enim dis-  
positio, & habitus sunt diuersa spe-  
cies: alioquin non posset vna, & ea-  
dem qualitas, quæ prius fuit dispo-  
sitiua, postea fieri habitus; sed facile  
mobile, & difficile mobile se habet  
sicut perfectum, & imperfectum  
circa eandem rem.

Ratioque S. Thomæ est omnino  
efficax: nam quæ essentialiter diffe-  
runt, vnum non potest fieri aliud:  
sed dispositio fit habitus: ergo acci-  
dentaliter differunt. Probatur mi-

nor: nam dispositio imperfecte inhe-  
rens, aliqua voce incoplexa potest  
vocari, & dispositio cum perfecte  
inest significari potest aliquo vno  
termino: sed non vocantur alijs vo-  
cibus, quam praedictis: ergo imper-  
fectae, aptetur nomen dispositionis,  
dispositio perfecta dicatur habitus.

15 Dico secundo, secundum aliam  
acceptionem magis rigurosam, &  
propriam, habitus, & dispositio dis-  
tinguuntur specie. Ita S. Thomas  
dicta solutione ad 3. dicens: alio  
modo possunt distingui sicut diuer-  
sae species vnius generis subalterni,  
vt dicantur dispositiones illae qua-  
litates primae speciei, quibus conue-  
nit secundum propriam rationem  
vt de facili amittantur, quia habent  
causas transmutabiles, vt egritudo,  
& sanitas: habitus vero dicuntur ille  
qualitates, quae secundum suam ra-  
tionem habent, quod non de facili  
transmutetur, quia habet causas im-  
mobiles, sicut scientiae, & virtutes;  
& secundum hoc dispositio non fit  
habitus. Hae S. Thomas.

16 Ad cuius expositionem no-  
tat Caietanus hic, quod alicui po-  
test conuenire esse facile, vel diffi-  
cile mobile, dupliciter, scilicet ex ra-  
tione speciei, vel ex conditione indi-  
uidui: illud dicitur esse difficile mo-  
bile per se, seu ex ratione speciei,  
quod ex natura sua vendicat sibi cau-  
sas difficile variationem compatien-  
tes; vt scientia, cuius causa sunt lu-  
men intellectus agentis, & intelle-  
ctus possibilis, quae aliter se habe-  
re non possunt: & similiter illud  
dicitur esse facile mobile per se, seu  
ex ratione speciei, quod ex natura

sua vendicat sibi causas facile trans-  
mutabiles; vt sanitas, quae causa-  
tur ex calido, & frigido, quae  
propter alterationes continuas fa-  
cile transmutantur. Illud autem  
dicitur esse facile, vel difficile mo-  
bile per accidens, seu ex conditio-  
ne individui, cui ex eo, quod est in  
hoc subiecto sic disposito, facile,  
vel difficile transmutabile est: vt  
scientia, quae ex se est difficile mo-  
bilis, in illo in quo est inchoatiue;  
est facile mobilis; & per oppositum  
infirmetas, quae per se facile est mo-  
bilis, ex eo quod est sic firmiter ra-  
dicata in hoc, difficile mobilis est.  
Haecenus ille.

17 Obijcies primo: nam quod  
conuenit alicui secundum se, sem-  
per conuenit, & eius oppositum,  
nec per se, nec per accidens potest  
conuenire, vt diximus lib. 1. quae-  
st. 12. num. 7. vt quia homini secun-  
dum se conuenit esse animal ratio-  
nale, non potest dari homo, qui non  
sit animal rationale, & in nullo sta-  
tu, nec vno euentu per accidens co-  
tingere potest, quod sit homo irra-  
tionalis: sed videmus, quod habitus  
per accidens facile mouetur: ergo  
eorum essentia non est, quod diffi-  
cile moueantur.

Respondetur, quod essentia ha-  
bitus non est, quod sit difficile mo-  
bilis ex omni capite, & ex principijs  
speciei, & ex principijs individui:  
quia si haec esset eius essentia, nun-  
quam posset, nec per accidens, parum  
durare, vel corrumpi: sed essentia  
eius est, quod attentis principijs spe-  
ciei, & causis eius, habeat permanen-  
tiam; & hoc nunquam tollitur ab ha-  
bitu.

bitū, nec peraccidens: quia adhuc cum ex principijs indiuidui peraccidens corrumpitur, retinet quod ex causis speciei exigat permanentiam: sicut accidenti miraculose existenti sine subiecto, debetur ex principijs suis, quod sit in subiecto. Et hoc ideo est, quia ut ait S. Thomas 1. p. q. 29. art. 1. *accidens indiuiduatur per subiectum, quod est substantia: dicitur enim hac albedo in quantum est in hoc subiecto.* Cum autem subiectū est extraneum, vel recipit qualitates contrarias habitui, iste peraccidens parum durat; & ita ex parte subiecti est facile mobilis, quamuis ex causis propriæ speciei exigat multum durare.

18 Secundò obijcies: nullū genus cōtrahitur, & determinatur ad speciē per differētiās alterius generis, sed oportet differētiās per se aduenire generi, ut dicit Philof. 7. *Metaph. tex. 42. & 43.* alioquin ex utroque nō fiet vnū per se: sed difficile mobile nō est differētia pertinēs ad genus qualitatis, sed magis pertinet ad motū, vel passionē; motus enim est tardus, vel velox; & passio transit, vel permanet: ergo esse facile, vel difficile mobile sunt differētiæ per accidens, vel accidentales qualitatis; & ita non cōtinent duas species essentialiter distinctas.

Respondetur ex D. Th. 1. 2. q. 49 art. 2. ad 3. in fine, quod istæ differētiæ, quamuis peraccidens videantur se habere ad qualitatem, designant tamen proprias, & per se differētiās; sicut etiam in genere substantiæ frequenter accipiuntur differētiæ accidentales loco substan-

tialium, in quantum per eas designantur principia essentialia.

19 Tertio obijcies: quia ex prima conclusione constat, quod habitus, & dispositio possunt significare differentias accidentales eiusdem qualitatis: ergo sine fundamento asserimus, quod significant rigurose, & proprie loquendo distinctas qualitates secundum speciem.

Respondetur, quod ut notat Caietanus cap. de Qualitate §. *hic tertio.* in fine, difficile mobile, & facile mobile, ut sunt differētiæ specificę distinguentes habitū, & dispositionem inter se, & ut sunt modi essendi eorum, æquiuoce dicuntur (loquitur de æquiuocis à cōsilio, quæ sunt analogæ) difficile mobile, & facile mobile. Primo namque modo naturas eorum constituunt, & definitionem eorum ingrediuntur, separarique ab eis non possunt, etiā per intellectum; sicut nec rationale ab homine, & irrationale ab æquo. Secundo autem modo accidentia eorum sunt, & extranea ab eorum naturis, & eidē qualitati accidere possunt: quia eadem qualitas primo inest imperfecte, & postea perficitur, sicut puer fit vir.

20 Admissis autem prædictis acceptionibus, & concesso, quod ultra istos status accidentales eiusdē qualitatis (ratione quorū, quoad modum inhaerendi, eadem modo dicitur habitus, & antea dicebatur dispositio) dentur aliæ qualitates speciei essentiali differentes in ratione dispositionis conditiuæ contra qualitatem; sola restabit quaestio de voce, quibus absolute conueniat

nomen dispositionis specie distincte contra habitum? quæ dirimenda erit maiorum auctoritate: vnde S. Th. 1. 2. vbi supra probat, quod hæc sit rigorosa, & propria acceptio habitus, & dispositionis, ex Philosopho, qui ad huius distinctionis probationem inducit communem loquendi consuetudinem, secundum quam qualitates, quæ secundum rationem suam, sunt facile mobiles, si ex aliquo accidenti difficile mobiles reddantur, habitus dicuntur: & e conuerso est de qualitatibus, quæ secundum suam rationem sunt difficile mobiles: nam si aliquis imperfecte habeat scientiam, vt de facili possit ipsam amittere, magis dicitur disponi ad scientiam, quam scientiam habere: ex quo patet, quod nomen habitus diurnitatem quandam importat, non autem nomen dispositionis.

21 Et quia id quod est tale essentialiter, & ex natura sua, absolute dicitur tale, non autem id quod dicitur tale modaliter, vel accidentaliter, vel per accidens, ideo inquirenti vtrum habitus, & dispositio differant essentialiter? absolute respondendum affirmatiue, iuxta tenorem secundæ conclusionis; cui non obstat veritas primæ, quia analogum per se sumptum stat pro famosiori significato: & hinc infert S. Thomas 1. 2. quest. 50. artic. 1. ad 2. quod solæ qualitates animæ dicuntur simpliciter habitus; non autem qualitates corporales, propter mutabilitatem corporaliū causarum.

§. V.

*De secunda specie qualitatis, scilicet, potentia, & impotentia.*

22 **A**D intelligendam hanc speciem qualitatis, duo notanda sunt, ex opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 4. cap. 3. primum est, quod potentia potest sumi dupliciter. Vno modo vt est de transcendentibus: potentia enim & actus diuidunt omne ens, vt patet in 5. Metaph. & in eo genere, in quo est actus, est etiam potentia: nam si linea in actu est in genere quantitatis; linea in potentia est in eodem genere: de tali autem potentia non loquimur modo. Alio modo sumitur potentia, prout est principium transmutandi aliud in quantum aliud; vel quod est principium transmutandi ab alio, in quantum aliud.

23 Secundo notandum, quod sicut agens artificiale requirit instrumentum per quod agat, & propter limitationem suæ virtutis, non potest habere simul illud quod est in ipso, & in instrumento necessarium ad agendum; ita, & nulla substantia creata potest esse per se sufficiens principium ad agendum, & essendum: vnde requiritur aliud principium in ea; quod immediate se habeat ad operationem; & hoc principium dicimus potentiam. Vnde distinguit S. Thomas 1. p. quest. 77. art. 1. ad 4. quod principium operationis est duplex; aliud radicale, &

& remotum, quod est ipsa forma substantialis; & sic anima est quæ intelligimus: aliud est principium proximum, nempe intellectus, & iste est qualitas, quæ dicitur potentia.

24 Advertendam tertio, quod in deinitione relata insinuat diuisio potentia in actiuam, & passiuam: nam principium transmurtandi aliud, est potentia actiua; vt sunt potentia nutritiua in animato: alia sunt potentia passiuæ, vt sunt potentia sensitiua in animali, quæ sunt principia transmurtandi ab alio. Et similiter potentia resistiua, quæ est principium alicuius habentis modum actionis, cum tamen non sit vera actio. Et ad hanc speciem pertinet durum, & molle; pugillator, & cursor, & huiusmodi. Sumitur autem pugillator, non ab arte pugillandi, quia sic esset in prima specie; sed sumitur pro potentia naturali. Videatur S. Thomas in 1. distin. 42. quæstione 1. artic. 1.

25 Quarto notandum, quod potentia, & impotentia non differunt essentialiter, sed sicut perfectum, & imperfectum in eadem specie: vt tenet communis sententia; quamuis contrariam teneat Caietanus, & probabiliorem iudicet Sanchez libro 5. quæst. 45. conclusione 2. alio modo sumens hanc speciem. Sed ratio nostri asserti est: nam omnis potentia, cum sit virtus in nata subiecti, ex natura sua est permanens; & quando tribuit subiecto fortiter operari, dicitur simpliciter potentia; vt potentia visua, vel motiua iuuenis, vel viri perfecti; quam-

do vero est potentia, quæ est principium operationis debilis, dicitur impotentia, comparatiue ad eam, quæ dat expedite posse; & sic potentia visua senis dicitur impotentia. Quod clarius cernitur in potentia generatiua: nam cum est cum debito temperamento dicitur absolute potentia; quando vero est in subiecto nimis frigidus, vel atatis, vel infirmitatis causa; dicitur impotentia, & ratione illius homines dicuntur impotentes. Per quæ non denotatur pura negatio, sed potentia debilis, & remissa, quam intelligimus nomine impotentia: & vocatur à Caietano impotentia contrarie, & non priuatiue. Diuisiones potentiarum in libris de Anima sunt tradende: & quia plures sunt secundum speciem, deo potentia à Philosopho vocatur genus.

26 Ad hanc secundam speciem reducunt aliqui virtutes infusas: eo quod non ad melius operandum, sed ad simpliciter faciendum, id quod per vires naturæ non possumus, dantur. Fauentque M. Petrus Ledesma quæst. 3. de esse Dei artic. 8. conclusione 4. & M. Cabrera 3. p. 9. 9. artic. 2. disput. 12. conclus. 2. dum dicunt lumen gloriæ esse potentiam.

27 Istæ tamen virtutes, licet habeant modum potentia, reuera sunt habitus: quia vt ait S. Thomas 1. 2. quæst. 110. artic. 1. ad 2. virtutes infusæ sunt in potentijs animæ, & per eas potentia mouentur ad actus; quod est proprium habituum; nec vnus potentia datur alia potentia. Quare lumen gloriæ esse habitum

fatis indicat S. Thomas 1. p. quæst. 12. artic. 5. ad 1. & ex cõmuni Theologorum docet ibi M. Albelda disput. 27. sect. 1. num. 8. illæ verò qualitates, quæ à sacramentis imprimuntur, & dicuntur characteres, à D. Thoma reducuntur ad hanc speciem, vt videri potest 3. p. quæst. 63. artic. 2. & in 4. dist. 4. q. 1. art. 4. q. 3. de quibus latius Theologi.

28 Sunt etiam, qui dicant species impressas pertinere ad hanc secundam speciẽ qualitatis; eo quod non dantur ad melius, sed ad simpliciter, & complent potentias operatiuas tanquam concausæ earum. Ita Sanchez lib. 5. Logicæ quæst. 43. ad 2. & alij.

Indicat tamen satis aperte S. Thomas 1. 2. quæst. 50. artic. 5. ad 1. & art. 6. & frequenter docet alij Thomistæ, quod species intelligibiles sunt habitus quia sunt qualitates ex natura sua difficile mobiles, & disponentes in ordine ad naturã intellectualem potius adiubando, quam simpliciter dando posse.

29 Vnum restat dubium: nam potetia à natura indita nobiliores sunt habitibus acquisitis: ergo preposterus est ordo harum specierum qualitatis: & sic deberent in prima specie collocari potentia, & in secunda habitus; & non è conuerso, vt Philosophus numerat.

Respondet S. Thomas 1. 2. quæst. 19. artic. 3. ad 2. dicens, quod non est de ratione habitus, quod respiciat potentiam, sed quod respiciat naturam: & quia natura precedit actionem, quam respicit potentia; ideo prior species quali-

tatis ponitur habitus, quam potentia. Quod est dicere: licet entitatiue habitus sit posterior potentia cuius est; tamen ordinatur ad disponendum subiectum, quod est prius potentia, & operatione; & ideo recte assignantur species à Philosopho. Alia solutio traditur à Cajetano hic; sed omittitur quia pendet ex doctrina alibi examinanda.

## §. VI.

*De tertia specie qualitatis, scilicet, passione, & passibili qualitate.*

30 **P**assio apud logicos dupliciter accipitur: vno modo vt est speciale predicamentum, vnũ ex sex vltimis: alio modo vt est species qualitatis. Primo modo est, cũ motu, & actioni correspondet. Secundo modo est terminus eius. Et de ista loquitur Philosophus 5. Metaphysicæ textu 26. dicens: *Passio dicitur, vno quidem modo qualitas secundum quam alterari contingit, vt album, & nigrum, dulce, & amarum, granitas, & leuitas, & quæcumque sunt talia.* Quod enim his verbis loquatur Aristoteles de passione in isto sensu, constat ex D. Thoma ibi lectione 20. littera c. dicente, *hæc est tertia species qualitatis.* Probatum est enim in 7. Physicorum textu 24. quod in sola tertia specie qualitatis potest esse alteratio. Idem dixerant Philosophus, & S. Thomas lib. 5. Metaphys. lect. 16. littera c.

31 Quod autẽ eodẽ modo hic

acceperit Philosophus, ex contextu constat: & sic notatur opusc. 48. apud D. Th. tract. 4. cap. 4. dum dicitur, notandum quod passio ut est in motu, est vnum de decem predicamentis, & sic non sumitur hic passio: sed dicitur passio, vel passibilis qualitas, quia infertur per aliquam passionem primo modo sumptam, vel quia infertur aliquam passionem; v.g. calor, & frigus dicuntur passibiles qualitates, eo quod inferunt sensui tactus aliquam passionem: sed albedo, & nigredo dicuntur passibiles qualitates, quia generantur ex aliquibus passionibus illatis: propter enim magnum aestum in corpora Ætiopum, Ætiopes sunt nigri, Germani sunt albi propter frigus (licet coloris harum gentium alia ab alijs assignetur causa) subdit autem aliam expositionem dicens: licet etiam albedo, & nigredo possint dici passibiles qualitates, eo quod inferunt passionem sensui visus: videre enim est quoddam pati.

32 Differunt autem passio, & passibilis qualitas iuxta Philosophum, ut in eodem cap. 4. declaratur, quia passio cito transit, sicut rubedo, quæ fit ex verecundia, & palliditas, quæ fit ex timore, dicuntur passionem, quia cito transeunt. Et quia ira, amor, & odium, & huiusmodi, quæ omnia Philosophus in 2. Ethicorum passionem vocat, sunt cum aliqua passione, & transmutatione corporis, & parum durant, sub istis passionibus computantur. Passibilis vero qualitas dicitur quæ non cito transit, sicut dictum est de frigore, & calore. Si vero ira, amor, & odium, & hæc, quæ hic Philosophus passionem secundum animam

vocat, diu durarent, passibiles qualitates dicerentur. Hæc ibi.

33 Ut hæc melius percipiantur dubitatur primo, quo sensu passio sit species huius predicamenti?

Pro quo notandum ex D. Thoma 1. 2. q. 22. art. 1. quod pati dicitur tripliciter: vno modo *compositi-ter*, secundum quod omne recipere est pati, etiam si nihil abijciatur à re; sicut si dicatur aerem pati, quando illuminatur: hoc autem magis est perfici, quam pati. Alio modo dicitur *propter* pati, quando aliquid recipitur cum alterius abiectione. Quod contingit dupliciter: vel quando abijcitur id quod non est conueniens rei sicut, cum corpore animalis sanatur, dicitur pati, quia recipit sanitatem, ægritudine abiecta: alio modo quando est conuerso contingit; sicut ægrotare dicitur pati, quia recipitur infirmitas sanitate abiecta. Et hic est *proprius* modus passionis eorum, quod passum trahitur ad id quod non est sibi conueniens. Intellegere est quodam pati communiter; licet tamen est passio secundo modo, sed tristitia est passio tertio modo. Et passio tertio modo, vel sumitur formaliter pro operatione appetitus sensitivi; vel materialiter, pro transmutatione corporali, quæ causant, & à qua causantur. Hinc ergo est occasio dubij, quia cum sint tot acceptiones passionis, non apparet quo sensu hic accipiatur?

34 Caietanus in hoc capite docet, quod dicitur hic passio ab operatione appetitus sensitivi, & passibilis qualitas à passione anima, quæ nota est causare, vel à qua nata est causari. Probat primo, quia sic

eodem modo voces accipiuntur cū passio dicitur causa passibilis qualitatis, & cum hæc dicitur effectus passionis. Secundo: nam passio appetitus sensitui passionem proprie sumptam per se includit. Tertio, quia hoc indicat verba Philosophi. Quare hanc sententiam probabilē iudicant Sanchez lib. 5. quæst. 46. conclus. 2. & Didacus à Iesu disp. 15. quæst. 4. concl. 1. & sequuntur Rubio cap. 8. quæst. 4. dub. 3. & Auerſa q. 20. lect. 4. Licet inter se differant, quia Rubio dubio 4. contendit, quod solum obiectū gustus, olfactus, & tactus, sunt passibiles qualitates, quia causant passionem in sensu; obiecta vero visus, & auditus non hac ratione, sed solū quia sunt effectus alicuius passionis. Auerſa vero contendit hanc speciē ad qua re esse qualitatem sensibilem quia causat in sensu passionem intentionalem, quod deducit ex Philosopho 7. Physicorum text. 11. & quia sic apte distinguuntur qualitatis species. Videatur M. Soto in exposit. text. 3.

35 Alij vniuersaliter accipiunt qualitatem huius speciē, pro termino actionis, siue perfectiue, siue corruptiue. Ita Sanchez conclus. 1. & Didacus à Iesu conclus. 2. quod probat ex D. Thoma 1. 2. q. 49. art. 2. & quia consentanea rationi est, quod sicut vna species ad sedem potentiarū fuit destinata, alij etiam terminis per actionem harum potentiarum productis, ad eorum locum, & sedem aptetur. Deinde, quia sic species intelligibiles, & sensibiles, & similes qualitates in hac specie reponuntur.

36 Melius tamen M. Soto hic

in expositione textus tertij, & quæstione vnica ad 1. & ad 4. restringit hanc speciē ad terminū alterationis corporalis, & passiones sensuum solum ponit pertinere ad hanc speciē in quantum habent transmutationem corporalem, vel quia eam causant. Vnde S. Tho. 3. p. 2. 36. art. 2. ad 2. ait; in tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones, vel sensibiles qualitates. Character autem non est in ensibile; & ideo nō est in tertia specie qualitatis, vt quidam dixerunt. Et in 4. dist. 4. quæst. 1. artic. 1. ait: sicut probat Philosophus in 7. Physicorum textu 19. tertia species qualitatis non est nisi in sensibili parte animæ; character autem à nullo ponitur in hac parte animæ; sed in intellectiua. Et præterea illæ qualitates semper habent ordinem ad aliquam transmutationem corporalem, vel quam inferunt, vel à qua causantur. Hæc Sanctus Thomas.

37 Ex cuius doctrina retorquetur fundamentum vltimum secunde sententiæ, quia illæ qualitates spirituales, vel sunt in prima, vel in secunda specie qualitatis. Et similiter ad primam rationem respondetur, quod termini alterationis, quæ est ea motu strictè sumpto, in hac specie ponuntur, modo exposito: nō vero termini operationum immanentium: de quibus satis controuersum est ad quod genus pertineant. De quo erudite nouissime tractat M. Baptista 1. tomo 1. 2. disp. 39. dub. 2. & nos in libris de Anima nonnulla, Deo dante, dicemus & hic q. 28.

38 Ratio nostræ conclusionis est, quia nomina simpliciter prolata proprie intelligenda sunt: unde si passiones appetitus sensitivi denominantur passiones, quia causantur, vel causant transmutationem corporalem propriissime sumptam à fortiori ipsa qualitas ex transmutatione corporali causata dicitur passio, & passibilis qualitas. Et hoc consonare Aristoteli B. Albertus ponderat: nam si de passione communiter loqueretur, non diceret, quod albedo, & nigredo non dicuntur passibiles qualitates, nisi quia ipse ab aliqua passione inuascuntur. Et per hæc respondetur ad fundamenta Caietani.

39 Rursus dubitatur, Verum passio, & passibilis qualitas inter se differant essentialiter?

Respondetur cum communi sententia, quod solum differant accidentaliter: & quamuis Mag. Soto sub dubio hoc docuerit; iam tamen authores communiter hoc assertiue docent, quia ambæ istæ qualitates conueniunt in hoc, quod secundum eas alteratur subiectum, quia sunt causa, vel effectus passionis, & differunt, quia vna cito transit, & alia permanet, vt diximus num. 32. sed hoc est conuenire in ratione essentiali qualitatis, & tantum differre accidentaliter, vt in simili diximus hac quæst. num. 13. & 14. de habitu, & dispositione, cum sunt modi accidentales eiusdem qualitatis: ergo non est cur alia maior distinctio excogitetur. Et sic Philosophus in eadem qualitate secundum speciem, passionis, & passibi-

lis qualitatis exempla subiecit.

40 Sed obijcies: nam qualitas est qua quales esse dicimur: sed Philosophus in hoc capite textu tertio docet, quod sola passibili qualitate quales denominamur; non autem passione, quæ cito transit: *veluti si turbatus quispiam iracundior fuerit, non enim iracundus dicitur: sed potius aliquid passus dicitur esse: quare passiones talia, non qualitates dicuntur: ergo ex mente Philosophi, sola passibilis qualitas est qualitas, passio minime.*

Ad hac difficultatem sæpe citato opusculo 48. apud D. Thomam capite 4. videtur constitui differentia harum denominationum in lingua græca, & in lingua latina, & vulgari; nam ibi dicitur: *nec per talem rubedinem, vel palliditatem in lingua græca denominantur rubei, vel pallidi, licet forte non sic in lingua nostra; sed pro nunc de nominantur rerecundans rubeus; & timens pallidus* Hæc ibi.

41 Sed quicquid sit de hoc, alijs duobus modis facile exponi potest Philosophus. Primo cum Mag. Soto, & alijs frequenter, quod absolute, & simpliciter solum denominamur quales, à qualitate quæ diu, perseuerat, sed secundum quid, etiã denominamur ab illa, quæ cito transit, cum pro illo breui tempore vere sit qualitas.

42 Vel melius respondetur cū Caietano, quod aliquid dici qualitatem dupliciter contingit, *vel secundum rem tantum; vel secundum rem, & modum: illud vocatur qualitas secundum rem, cui conuenit essentialis ratio: qualitatis explicata quæstione*

25. Et sic absque dubio passio, & passibilis qualitas sunt qualitates: qualitas vero secundum rem, & modum est secundum quam quales simpliciter dicimur: & in hoc sensu loquitur Philosophus; & ideo negavit passiones esse qualitates: constat si quidem; quod secundum eas quales non dicimur simpliciter; non enim pallidus simpliciter dicitur, qui aliquantulo timere pallet. Videantur, quæ in simili diximus 2. p. Metaph. Controu. 10. numero 88.

### ¶ VII.

*De ultima specie qualitatis, scilicet forma, & figura.*

43 **N**otandum primo ex opusc. 48. cap. 5. quod forma potest sumi dupliciter: vno modo ut est actus quidam; & sic inuenitur in genere substantiæ, quantitatis, & qualitatis; & huiusmodi quia dantur formæ substantiales, & accidentales: & non sumitur hic in hac generalitate: secundo specialiter pro qualitate: cuius distinctionem à figura explicat optime S. Thomas libro 7. Physicorum lect. 5. lit. a. & c. dicens, quod forma, & figura in hoc ab inuicem differunt, quod figura importat *terminationem quantitatis*. est enim figura, quæ termino, vel terminis comprehendantur: forma vero dicitur, quæ *dat esse specificum artificiato*, formæ enim artificiatorum sunt accidentia.

44 Aduertit autem S. Thomas ibi littera d. quod inter omnes qualitates, *figuræ maxime consequuntur*,

& demonstrant speciem rerum quod maxime in plantis, & animalibus patet, in quibus nullo certiori iudicio diuersitas specierum diuidicari potest, quam diuersitate figurarum: & hoc ideo quia sicut quantitas propinquissime se habet ad substantiam, inter alia accidentia; ita figura, quæ est qualitas circa quantitatem, propinquissime se habet ad formam substantialem. Et ex hoc contingit, quod imago, quæ est expressa rei representatio, secundum figuram potissime attendatur magis, quam secundum colorem, vel aliquid aliud. Et quia ars est imitatrix nature, & artificiatum est quædam rei naturalis imago, formæ artificialium sunt figuræ, vel aliquid propinquum. Ideo etiam S. Thomas libro 3. contragentes cap. 105. in fine; quod figuræ in artificialibus sunt quasi formæ specificæ, & 1. p. quæst. 7. artic. 1. ad 2. ait, quod terminus quantitatis est sicut forma ipsius: cuius signum est, quod figura, quæ consistit in terminatione quantitatis, est quædam forma circa quantitatem. Quod intelligitur non determino proprio, & intrinseco, sed determino quasi accidentali & extrinseco: de quo videatur Rubio hic dub. 4.

45 Alio modo distinctionem formæ, & figuræ explicat Magist. Soto quæst. vnica ad 5. docens, quod figura dicit superficiem lineis certis, & angulis, vel circulo terminatam, ut cadit sub consideratione mathematici, ut abstrahit ab hac, & illi materia: nam figura secundam Euclidem, est quæ terminis

no, vel terminis clauditur: ideoque Philosophus 5. Metaph. textu 19. vocat *immobilia mathematica*: quia figura abstrahit ab ente naturali mobili. Forma vero significat figuram rerum naturalium, aut artificialium, vt domus, turris, statua.

46 Exvtroque autem modo explicandi constat, quod forma, & figura solum ratione differunt: quia abstractio mathematica non supponit realem distinctionem. Et iuxta meliorem explicationem S. Thomæ relata num. 43. idem probat Sanchez lib. 5. quæst. 47. conclus. 3. quia eadem qualitas consequitur quantitatem, vt eius terminus, & est ab arte, & dat speciem artificiali, & hoc modo dicitur forma, & illo modo dicitur figura: sed constat has differentias esse accidentales, & ab extrinseco conuenire qualitatis: ergo forma, & figura solum accidentaliter differunt. Præcipue, cum qualitatem esse ab arte, vel à natura, non variet essentialem speciem qualitatis, & figuræ.

47 Huic communi doctrinæ opponitur P. Raphael Auerſa q. 20. sect. 4. dicens per formam intelligi qualitatem aliam à figura distinctam; eo que nomine comprehendere debere omnes qualitates non operatiuas, & non sensibiles. Probat ex Philosopho, qui distinxit qualitatem, quæ est figura; à forma, quam nominat dicens: *circa vnamquodque constans forma*: quia hæc qualitas est, quæ circa ipsum subiectum consistit in eo perficiendo, & actuando. Et etiam quia ex natura rei possibili apparent, & defacto etiam extant

aliæ qualitates non operatiuæ, nec sensibiles, quæ in nulla ex superioribus speciebus includuntur: vt actus vitales sensuum externorum, qui nil producunt; & fortasse etiam character supernaturalis, qui non est physice operatiuus, in hac quarta specie optime collocabitur.

48 Ad hæc facile respondetur ex dictis; & ab vltimo incipiendo, iam diu id impugnauerat S. Thom. 3. p. quæst. 63. artic. 2. ad 1. dicens, quod figura est quædam terminatio quantitatis: vnde proprie loquendo, non est nisi in rebus corporeis; in spiritualibus autem dicitur metaphorice. Non autem ponitur aliquid in genere, vel specie, nisi per id quod prædicatur de eo proprie. Et ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis; licet hoc quidam posuerint. Hæc ibi; idè dicturus de forma, quam ponit accidentaliter à figura differre. ¶ Ratio etiam potius probat oppositum; quia illæ qualitates sunt, vel habitus, vel dispositio, vt in primæ speciei declaratione patuit.

49 Authoritas parum vrget. Primo, quia Boetius transfert, & *circa aliquid constans figura*, quæ verba dupliciter exponit Caietanus, vel vt sit sensus, quod figura constat circa aliquid: quia figura suis constat terminis circa substantiam: vel sensus est, quod figura est constans, id est, non fluens, sed simul stans. Et iuxta neutram expositionem potest aliquid contra dicta deduci.

50 Admittendo autem, quod ibi Philos. loquatur de forma, iuxta translationem illam, quæ est Argyropoli,

sensus est facilis, iuxta M. Soto, quod quarta species est figura, & illa, quæ est vniuersi cuiusque rei forma: ad quem loquendi modum sufficit rationis distinctio iam explicata.

51 Prima proprietas qualitatis: constat ex dictis quæst. 22. de proprietatibus substantia; tertia est plana ex dictis de quantitate, quia illa etiam fundat relationem: secunda, quæ longiorem exigeret expositionem, non potest nunc examinari; quia Philosophi de illa late disputant.

52 Numerus rerum, quæ in hoc prædicamento collocantur, multo copiosior est, quam ut possit ob oculos poni: sed per differentias, quæ inter has species constitutæ sunt; de singulis iudicandum est, ut recte Soto notauit; quo excusamur ab arbore describenda: & quia non possemus ad singula descendere, nisi multa alibi disputanda, importune inferendo.

## QVÆSTIO XXVII.

*De sex ultimis Prædicamentis  
incommuni.*

### §. III.

*Certa præmittuntur.*

1 **D**E istis sex prædicamentis primo dicemus in communi, ut postea ad singula descendamus: quamuis enim generibus generalissimis non possit dari aliquid com-

mune vniuersum, quia sunt primo diuersa; potest tamen dari aliquid commune analogum: ut noue genera conueniunt in ratione accidentis, & tria priora conueniunt in ratione entis absoluti, & ad hunc modum inquirimus, in quo prædicato conueniant sex hæc prædicamenta?

2 Propter minimam autem istorum entitatem, non est facile, in quo omnia, & singula conueniant explicare; adeo ut præclarissimum Cardinalis Caietani ingenium quætionem indecisam reliquerit, quatuor opiniones referens, & nullam alteri præferens: & P. Vazquez 1. p. quæst. 53. disput. 195. cap. 5. in fine asserit, quod cum Aristoteles hæc sex vltima prædicamenta assignauit, non voluit ea subire leges omnium aliorum: sed hæc veluti capita præcipua assignauit cum alijs, ad quæ reducerentur res omnes, de quibus disputari solet. Hæc ibi. Nos quæ de his generibus inuenimus verisimiliora, tribus conclusionibus explicamus.

5 Dico primo; sex vltima prædicamenta sunt relativa; non prædicamentalia, sed transcendentalia, seu secundum dici. Prior pars habetur opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 2. cap. 1. in fine, vbi dicitur alio modo adhuc contrahitur ens per duos modos; quorum vnus est esse ad se: & iste modus comprehendit tria prædicamenta absoluta, scilicet, substantiam, quantitatem, & qualitatem. Secundus est esse ad aliud: & iste modus comprehendit septem prædicamenta respectiua, sci-

scilicet, relationem, actionem, & passionem, quando, ubi, situm, & habere.

4. Probaturque ratione: nam omnia ista conveniunt cum relatione in hoc, quod non solum exigunt subiectum inhaesionis, quæ est communis ratio accidentis; sed terminum aliquem extrinsecum: actio enim est ab agente; passio vero est prout transmutatio in passum, est ab agente inducta. Vbi vero à circumscriptio[n]e loci provenit; & suo modo idem dicitur de Situ; Quando, etiam extrinsecum tempus exigit, & Habere respectum dicit inter corpora, & vestem: ergo omnia hæc prædicamenta relationem dicunt.

5. Quod autem non sint relationes prædicamentales docet S. Thomas 5. Metaph. lect. 9. & 3. Physicorum lectione 5. nec potest negari ab aliquo admittente denarium [prædicamentorum] numerum; quia, quæ genere generalissimo differunt, non possunt sub vna ratione generica collocari, vt ex terminis constat. Rursus, inductione facile probari potest, quod ista prædicamenta non habent omnes conditiones, quas supra diximus requiri ad relationem realem prædicamentalem: ergo solæ sunt relatiua transcendentalia, seu secundum dici. Videatur quæ diximus. quæst. 21. §. 6.

6. Obijcies: nam etiam aliquæ qualitates sunt relatiua transcendentalia, seu secundum dici, quia fundant relationem, vt patet in scientia, quæ est in secunda specie qualitatis; & tamen de illa inquit S. Thomas quæst. 8. de Potentia art. 2. in

cor. quod scientia in quantum est relatio, non est scientia, sed scibilia; idemque cerni potest in multis alijs: ergo non recte assignamus discrimen inter hæc prædicamenta, & tria priora, quod ista sunt respectiua, & illa sunt absoluta.

Respondetur quod diversimode illa sunt relatiua transcendentalia, ac ista: nam scientia sic dicitur quia fundat relationem, & ita directe significat qualitatem, & ex consequenti relationem fundatam in ipsa. At vero hæc genera vt ait S. Thomas 5. Metaph. lect. 17. littera a, in fine, magis consequuntur relationem, quam possint relationem in causare; nam, Quando, consistit in aliquali relatione ad tempus; Vbi vero ad locum; Positio autem ordinem partium importat; Habitus autem relationem habentis ad habitum. Hæc S. Thomas.

7. Altera differentia est: nam relatiua transcendentalia, quæ identificatur cum tribus primis generibus absolutis non petunt terminum actu existentem, in quo differunt à prædicamentibus; iuxta dicta hoc libro quæst. 21. num. 24. at vero hæc relatiua transcendentalia, & secundum dici in hoc magis accedunt ad veram relationem, quia propter suam debilissimam entitatem, non possunt esse actu, & denominare nisi sit extrinsecus terminus. Ex quibus inferatur, id quod bene notauit Mag. Soncinas libro 5. Metaph. quæst. 41. quod ista genera sunt minoris entitatis, quam relatio, quia in ea fundantur: qua de causa etiam relatio est minoris en-

titatis, quam absolutum super quod fundatur, iuxta dicta quaest. 22. n. 23. ex D. Thoma.

§. II.

*Opinio quod haec praedicamenta sunt entitates, vel modi intrinseci.*

8 **D**ico secundo, probabile est, quod haec praedicamenta non sunt purae denominationes extrinsecae; sed formae quaedam, vel modi intrinseci relictii in subiecto ex aliquo extrinseco. Ita Capreolus in 2. dist. 2. quaest. 1. artic. 3. cuius sententiam ut probabilem defendit Soncinas libro 5. Metaph. quaest. 41. & assertive tenent Araujo ibi quaest. 7. art. 1. & alij quos referunt, & sequuntur PP. Carmelitani disput. 16. quaest. 1. & Mag. Ioannes a S. Thoma quaest. 19. art. 1. & frequenter recentiores Thomistae. Imo P. Rubio hic quaestione vnica dicit esse communem interpretum Aristotelis: quod non facile persuadebitur illi, qui eos legerit.

9 Probat ratione, primo: quia praedicamentum dicit ordinationem ex generibus, & speciebus constitutam: sed genera, & species non possunt constare, aut fieri ex sola denominatione extrinseca; cum dicant naturam realem, & intrinsecam: ergo nec praedicamentum ex sola denominatione extrinseca constare potest: vnde cum non sit relatio, erit entitas, vel modus absolutus.

Secundo praeterea arguitur: nam

denominatio extrinseca nihil ponit in re denominata, & ideo nouam denominationem extrinsecam admittunt omnes in Deo, ut quod sit Creator, quod non habuit ab aeterno: ergo si sola denominatio extrinseca sufficit constituere haec sex praedicamenta, Deus poterit in eis collocari, contra ea quae diximus q. 11.

10 Tertio, de duobus saltem praedicamentis euidenter probatur non consistere in denominatione extrinseca, nempe de Passione, & Vbi. Propria enim, & formalis ratio passionis consistit in receptione motus, vel actionis in passio: ergo formaliter dicit rationem inhaerentem, & non solum extrinsecam: Vbi etiam est proprius terminus motus localis: ergo in eodem mobili debet recipi, in quo recipitur motus: sed motus formaliter inhaeret mobili: ergo Vbi etiam inhaerebit mobili, & non erit sola denominatio extrinseca.

11 Addunt PP. Carmelitani: nam. 4. haec proculdubio esse mentem D. Thomae: nam 5. Metaph. lect. 15. generaliter docet vltima praedicamenta esse respectus quosdam relictos in rebus ex aliquo extrinseco. Specialiter autem de actione, & passione id docet in 2. distinct. 40. quaest. 1. art. 4. ad 1. Quod etiam de Vbi, & Quando tradit in 4. distinct. 16. quaest. 3. art. 1. quaestiuicula 1. vbi docet Quando, & Vbi non esse tempus, & locum; sed quid ex illis in subiecto relictum. Et tandem de Situ, & Habitu idem tradit 5. Metaph. lect. 20. vbi ex Aristotele dicit, Situm addere supra Vbi dis-

dispositionem partium in ordine ad locum; quam constat esse in ipsa re vbiata: Habitūque esse quid mediū inter indumentum, & habentem: ac proinde non erit ipsum indumentum extrinsece denominans.

12. Vltimo arguitur ex Mag. Ioanne à S. Thoma: nam reliquæ formæ informantes, & denominantes intrinsece non ponuntur in alio prædicamento distincto à forma; quia forma, & informatio non dicunt duo prædicamenta: alioquin erunt viginti prædicamenta: ergo multo minus ratione informationis, seu denominationis extrinsecæ possunt noua constitui prædicamenta: patet consequentia, quia denominatio extrinseca est multo minor, quā inhærentia intrinseca; cum extrinseca nullam realitatem addant supra formam.

§. III.

*Sex prædicamenta solum addunt extrinsecam denominationem.*

13. **D**ico tertio; probabilius est, quod ista sex vltima prædicamenta, vltra entitatem aliorum, solum addant extrinsecam denominationem. Sic docuit Herueus Quodlibeto 1. q. 9. & problematice defendit Soncinas libro 5. Metaph. quæst. 40. & assertiue Ianellus quæst. 23. Soto hic capite 9. Conradus 1. 2. quæst. 49. art. 1. in fine corporis §. *Possent*. Alios refert, & sequitur Masius hic quæst. 1. & forte in hoc sensu Capreolus in 2. dist. 6. q. 1. ista prædicamenta appellat relationes, nempe denominationes

respectiuas. Vltra Thomistas tam præcipuos, idem defendat Toletus in prædicamento Quando, & in post præd. q. 1. Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 15. q. 7. sect. 3. & alij.

14. Videturque omnino ad mentem Philosophi, qui 8. Physicorum textu 59 probat quod motus localis sit primus perfectione, quia secundum hanc solum nihil mutatur in esse, id est, vt ibi exponit S. Thomas lectione 14. littera i. *motus localis est solum secundum l. cum, qui exterius continet.* Idem docet Philosophus libro 12. Metaph. textu 38. & ibi S. Thomas lect. 7. littera d. Expressit idem S. Thomas 1. p. quæst. 110. art. 3. dicens; *mobile secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum in quantum huiusmodi, sed solum ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum.* Repetit idem 1. contrag. cap. 13. & lib. 3. cap. 85. ratione 6. & in 2. dist. 8. artic. 2. in cor. & distinct. 12. art. 1. ad 5. & q. 6. de Potentia art. 3. & quæst. 16. de Malo art. 10. & q. 26. de Veritate art. 1. & alibi sæpe.

Respondent sensum Philosophi, & D. Thomæ, esse quod vbi sumitur ab extrinseco; quamuis reuera sit forma intrinseca.

Sed contra primo: nam iuxta hæc solutionem non saluatur intentum Philosophi, & S. Thomæ, videlicet, quod in motu locali, non sit mutatio; intrinseca mobilis, sed solum extrinseca: quia si Vbi est quid intrinsecum, mobile illud acquirēs, moueretur intrinsece. Secundo, hæc solutio non saluat verba S. Thomæ vt consideranti patebit: nec potest esse verum, quod ait S. Thomas in 2.

dist. 8. art. 2. quod per motum localem nulla forma ponitur in re mota. Et distinct. 12. quest. 1. artic. 1. ad 5. ait, quod loci mutatio, ut in 8. Physicorum probatur est maxime perfecta, quia nihil variat de eo quod est intrinsecum rei. Sed de his latius in Physica.

16. Secundo probatur ex D. Thoma 3. Physicorum lect. 5. littera i. ubi assignans rationem sufficientem predicamentorum ait: tertius autem modus predicandi est, quando aliquid extrinsecum de aliquo predicatur per modum alicuius denominationis: & in isto modo predicandi ponit convenire omnia sex ultima predicamenta, & in hoc differre ab alijs quatuor primis, quod ibi late profertur: & ex hac doctrina soluit primam dubitationem ibi motam dicens sic ergo patet, quod licet motus sit unus, tamen predicamenta, quae formantur secundum motum sunt duo, secundum quod à diversis rebus extrinsecis sunt predicamentales denominationes. Ergo ex mente D. Thomae diversae denominationes extrinsecae sufficiunt hic constituere diversa predicamenta. Idem habet 5. Metaph. lect. 9. littera c.

17. Habetur idem expresse opusculo 48. apud D. Thomam tractatu 6. capite primo per totum, ubi inter alia sic dicitur: secundo modo sit denominatio ab extrinseco, scilicet ab eo quod non est indenumerato formali, sed est aliquid absolutum extrinsecum, a quo fit realis denominatio: quod late exponit; & concludit: & isto modo denominant illa sex predicamenta: idque per totam capit probat. Quae auctoritas vel nullo ponderante,

intencum convincunt.

18. Rationeque probatur primo: nam numerus denarius predicamentorum non tam est introductus ad agnoscendam materiale rerum distinctionem; quia hæc maior solet esse inter individua eiusdem speciei, quam inter diversa predicamenta, ut patet de actione, & passione, ubi, & situ: sed est introducta ad agnoscendam distinctionem modi predicandi deferuentem ad modos definiendi, & diuidendi; & hac de causa quest. 7. huius libri diximus solam distinctionem rationis ratiocinatae sufficere aliquando ad distinguenda diversa predicamenta: sed sæpe contingit, quod ex diversa respicientia, vel applicatione ad aliquid extrinsecum oriuntur diversae formales denominationes variantes per se primo modum generalem predicandi, & definiendi: ergo diversa denominatio extrinseca, cum adsunt aliae conditiones requisitæ sufficit variare predicamenta.

### §. III.

#### *Soluntur argumenta*

19. **D**Einde probatur illa generalis ratio: quia non sunt multiplicandae entitates sine urgente necessitate: quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora: sed nulla urget necessitas tot multiplicandi formas, vel modos intrinsecos, ut quoties ego muto locum, vel vestem inter intrinsecis vocationibus, & habitu, & alijs huiusmodi, ut patebit discurrendo per singula fundamenta prioris sententiae,

20 Antea tamen instabis ex Ar-  
ringi disp. 5. Metap. sect. 3. n. 44.  
quod non procedimus consequen-  
ter, ex vna parte afirmando relatio-  
nem distingui à fundamento, & ex  
alia negando Habere, & Vbi non  
distingui realiter à vestitu, & corpo-  
re: nā ille, qui diceret, quod quicquies  
homo mutat vestes, mutare etiam  
aliquem intrinsecum modum, non  
aliquid magis improbabile diceret,  
quam qui assereret, producta vna  
albedine in India, v. g. resultare no-  
uos modos intrinsecos in omnibus  
albis totius mundi; imò minus pro-  
babile est hoc vitium, quam pri-  
mum quia minor mutatio sit in me  
per productionem alterius hominis  
in India, quam ex mutatione ves-  
tium.

Respondetur primo, nos quæst.  
23. admittit esse probabile in via D.  
Thomæ, quod relatio prædicamen-  
talis non differt realiter à ratione  
fundandi: & in illa sententia, quoad  
hoc, nulla est disparitas. Loquen-  
do autem de distinctione relationis  
à substantia, quam certo diximus  
tenendam apud Diuum Thomam,  
facile soluitur argumentum, quia  
non aduenit de nouo ratio fun-  
dandi sine mutatione physica; &  
ratio fundandi realiter differt à sub-  
stantia.

21 Quia tamen iudicamus esse  
probabilius, quod aduic à ratione  
fundandi relatio differt realiter, re-  
stat vt disparitatem assignemus,  
cur idem non dicimus de sex vlti-  
mis prædicamentis? Respondetur,  
quod hoc ideo est, quia vere non  
sunt ad aliud, nisi ex modo diuerso

significandi; & si sunt ad aliud vere,  
est propter relationem in qua ex  
modo significandi fundantur de-  
nominationes extrinsecæ, & illam  
iam admittimus differre à funda-  
mento: in illa autem relatione a-  
liam entitatem superaddere, non  
video ad quid sit necessarium?

22 Ad formam argumenti di-  
cimus, quod cum mutantur vestes,  
homo mutatur à calore in frigus,  
& has qualitates perse notum est  
realiter distingui à subiecto, & il-  
lud mutare. Rursus, si vestes ad-  
hareant, etiam causant impulsum,  
& alias mutationes physicas. Nos  
autem loquamur præcise de mobili  
secundam locum *in quantum huius-  
modi*, vt ait S. Thomas relatus num.  
14. & istum motum docemus so-  
lum mutare extrinsece, & non in-  
trinsece per aliquam aliam formam  
distinctam realiter ab ipso motu:  
nam motum non negamus realiter  
distingui à substantia, & illam mu-  
tare realiter. Cum nascitur vnum  
album, non producuntur relatio-  
nes in alijs albis: quia vna rela-  
tio numero sufficit ad plures ter-  
minos eiusdem rationis; sicut pater  
habens plures filios ad omnes  
vna relatione refertur. Quod si  
vnum album sit in toto mundo, &  
aliud nascatur, quamuis in loco  
valde distanti, fatemur in illo con-  
furgere realem relationem: quia  
ista non impeditur locali distan-  
tia; sicut ipse tenetur fateri de re-  
latiua denominatione, quæ confur-  
git posito extremo, & esse non po-  
terat, extremo non posito.

23 Iam ad primum relatum nu-

mero 9. respondimus questione 7. Vnde non video qua consequentia P. Rubio, qui ibi nobiscum fatetur solam distinctionem rationis sufficere ad distinguenda prædicamenta; hic adstruat sex vltima esse res, vel modos realiter distinctos; quia si alicubi minima distinctio est ponenda, est in huiusmodi, quæ minus sunt, quam omnia alia. Et similiter à contrario potest argui ad hominem contra P. Suarez qui disput. 47. sectione 2. negat distinctionem relationis à fundamento; & tamen illam ponit inter plura ex sex vltimis prædicamentis, quæ ut diximus, sunt minoris entitatis, quàm relatio. Deinde, si disput. 53. sect. 1. num. 3. ponit formam prædicamenti *Habere esse mere extrinsecam*; cur idem non dicit de alijs prædicamentis, vel negat denarium numerum prædicamentorum?

24 Ad secundum respondetur, quod res denominata extrinsece non ponitur in prædicamento; sed ipsæ res quæ respectum ad extrinsecum dicunt, vel ipsa realis respectus, & vtrumque est in creatura, quæ ponitur in prædicamento. Præter quàm quod iam diximus, quod illæ relationes sunt reales prædicamentales, sed non mutæ: de quo questione 24.

25 Ad tertium respondet Sanctus Thomas 3. Physicorum lect. 5. littera i. dicens, quod sola causa agens est à qua potest denominari aliquid sicut ab exteriori: sic igitur secundum quod aliquid denominatur à causa agente, est prædicamentum passionis: nam pati ni-

hil est aliud quam suscipere aliquid ab agente. Secundum autem quod è contra denominatur causa agens ab effectu, est prædicamentum actionis: nam actio est actus ab agente in aliud. Hæc ibi. Itaque materialiter hæc duo prædicamenta important motum; sed prout illa entitas est in passio ab illo à quo est causata, denominatur passio: & ita complete est ab extrinseco. E contra verò cum incipit denominatio à principio, & consideratur actus actiui ab illo in aliud, est prædicamentum actionis. Et opus. 48. apud D. Thomam tractatu 2. de prædicamento Passionis, caput secundum sic inscribitur, *quod denominatio passionis est formaliter ab extrinseco: videatur.*

26 Ad aliam partem, quæ tangit de subiecto motus, non possumus hic respondere, quia pertinet ad libros Physicorum. Nunc solum dicimus, quod motus realiter differt a substantia; & ita motum recipiens, realiter mutatur: sufficit tamen, quod mutetur vno ente, & non opus est semper tria entia ponere, nempe, actionem, & passionem, & motum, & ultra ista formam, introductam.

27 Ad authoritates respondetur. Ad primam, quod ibi in principio lectionis 15. solum ait S. Thomas, quod *hæc prædicamenta sunt determinata ad al. quod genus rerum naturalium, ut patet præcipue de Agere, & Pati, & de Vbi, & Quando*: & quod ideo Philosophus in Metaphysica illa prædicamenta prætermisit. Quod est dicere, ista prædicamenta

ta sunt in motu corporali, & in loco, & tempore attinentibus ad Philosophum; & ideo in illis non detinetur Metaphysicus. Ex quo quid ad rem?

28 Secunda autoritas, si conuinceret, probaret actionem esse in agente: contra mentem ipsorum argumentum; qui illam autoritatem adducunt in Physica disp. 17. num. 39. & illam exponunt de actione secundum esse morale considerata. Quod suo loco examinabitur. Quæ solutio potest optari testimonio ex 4. sententiarum, cum ibi loquatur expresse S. Thomas de circumstantia moralis actus, & de intrinseco in acceptione morali: & adhuc ibi tateretur, quod locus, & tempus sunt quid extrinsecum.

29 Vltimæ autoritati respondetur, quod vt aperte insinuat Sanctus Thomas illa lectione 20. littera b. loquitur de relatione secundum dici, quæ intelligitur inter indumentum, & habentem; & pariter lectione 17. littera a. in fine declarat esse respectus ex modo significandi cum fundamento in re fundatos in ipsa relatione: nullum tamen est verbum, quo insinuet realiter ab ipsa differre: vnde erit denominatiua relatio ab extrinseco desumpta.

30 Ad vltimum respondetur, quod vt diximus quæstione 21. §. 4. esse est aliquid commune omni accidenti: vnde non constituit speciale genus accidentis; sed est ratio analogica nouem generum; at verò esse ad aliud vt ad purum terminum, constituit speciale genus

relationis; vltra quod sunt multi modi respiciendi aliud, vel vt agens, vel vt mensuram extrinsecam loci, vel temporis; & ad hæc ad classes reducendas, instituta sunt hæc specialia prædicamenta sumpta ab extrinseca denominatione.

QVÆSTIO XXVIII.

De Actione, & Passione prædicamentali.

1 Q Via Philosophus sex vltima prædicamenta summa breuitate pertransit, quatuor illorum fere silentio inuoluens; vel quia facilia, vel quia ad vsum non multum necessaria, vt hic ait Magister Soto: vel vt dicit Auerrois 5. Metaphys. com. m. 14. Philosophus tacuit ibi prædicamenta Situs, & Habitus propter abbreviationem sermonis, vel quia latini: ideo tractatui prædicamentorum supplementum adiecit Gilbertus Porretanus; & quia libellum inscripfit. Ex principiorum, seu generum; ideo ipse vocatur author sex principiorum; ex quo horum prædicamentorum definitio-

nes, seu descriptio-

nes desumuntur.



## §. I.

*Quid sit Actio.*

1 **A**ctionem sic definit Gilbertus : *Actio est forma secundum quam, in id quod subijcitur, agere dicimur* : quam definitionem sic declarat Author opusculi 48. apud D. Thomam in tractatu de Actione cap. 1. inter alia notans, quod ut habetur tertio Physicorum, actio, & passio & motus sunt vna, & eadē res: unde calefactio nihil aliud est, quā calor ut est influxu, prout scilicet est actus existentis in potētia; quod idem est, quod motus, v.g. cum aqua calefit ab igne, ab isto in aqua causatur calor, qui essentialiter est qualitas tertiae speciei; secundā autem quod est influxu, scilicet, quia magis, & minus introducitur, dicitur motus, qui est post prædicamentum; quia est viabile; secundum autē quod denominat ignem calefacientem, dicitur actio. Vtrum autem, ultra istam denominationem extrinsecam agentis, in principio producente sit ponēda alia entitas, quæ sit etiam actio? est questio, non in Logica, sed in Physica disputanda.

2 Secundo notandum, ex Philosopho 9. Metaph. textu 16. & ex D. Thoma 1. p. q. 1. est. 18. artic. 2. ad 1. & alibi sæpe, quod duplex est actio: vna quæ transit in exteriorē materiam, ut calefacere, & fecere: alia quæ manet in agente, ut intelligere, sentire, & velle. Quarum hæc est differentia: quia prima actio non est perfectio agen-

tis, quod mouet, sed ipsius moti: secunda autem actio est perfectio agentis; ut ibi declarat S. Thomas. & omisis multis dubijs de subiecto, & termino, distinctione, & specificatione harum actionum, quæ ad Logicum non attinent; ut logica tractemus.

## §. II.

*Primum dubium.*

**I**nquiritur primo, *utrum sol: actio transiens pertineat ad hoc prædicamentum?*

4. Sunt tres opiniones. Prima affirmat actiones immanentes, & transeuntes in hoc prædicamento vniuoce, & directe constitui. Ita PP. Conimbr. lib. 3. de Anima cap. 8. q. 3. art. 3. Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 15. q. 10. Auerfa hic quæst. 21. sect. 2. & probabilem dicunt PP. Carmelitani hic disp. 16. quæst. 2. num. 13. & tenent Montesinos 1. 2. disp. 3. quæst. 5. Albelda 1. p. disp. 25. sectione 4. n. 49. & alij.

Quorum fundamentum est: nā *actio est accidens, à quo res conijungitur actu producens*: sed in ista ratione vniuoce conueniunt actio transiens, & immanens: quia etiam in actione immanenti inuenitur vera productio; cum inueniatur verus terminus productus, verum agens, & vera potentia operatiua: ergo utraque est vera actio sub hoc prædicamento contenta. Alia argumenta vsque ad vndecim congerit erudite M. Baptista loco citando, & ea diligenter diluit.

5 Alij asserunt actiones immanentes simul esse in prædicamento qualitatis, vt subiectum disponunt, & in hoc prædicamento, quatenus produciunt terminum, & potentiam actiuam reduciunt ad actum. Ita Suarez disp. 48. Metaph. sect. 2. n. 12. & sect. 6. n. 9. & clarius lib. 3. de Anima cap. 5. num. 11. Sanchez lib. 6. quaest. 3. concl. 3. & alij: & nuntur fundamentis primæ, & vltimæ sententiæ.

6 Dicendum tamen est, actiones immanentes pertinere ad prædicamentum qualitatis; & non ad hoc prædicamentum actionis. Ita habetur expresse opusc. 48. apud D. Thomam cap. 7. aliàs primo, de Actione, vbi dicitur: similiter intelligere, & sentire sunt actiones immanentes, quia dicunt actum intelligendi, vel sentiendi esse actum in intelligente, vel sentiente: *Hac autem actio immanens, non est directe in prædicamento actionis, ideo de ipsa satis dictum est.* Hæc ibi.

Deinde, sæpe docet S. Thomas quod sola actio transiens infert passionem, vt videri potest 1. p. q. 23. artic. 2. ad 2. & 2. 2. quaest. 59. artic. 3. ad 3. & in 1. dist. 40. quaest. 1. artic. 1. ad 1. constat autem, quod sola Actio prædicamentalis infert Passionem, quæ est prædicamentum.

Rursus ipse S. Thomas in 1. dist. 8. quaest. 4. artic. 3. dicit: *Quod actio secundum quod est prædicamentum, dicitur aliquid fluens ab agente, & cum motu: quod solum verificatur de actione transeunte. Quare ita tenent communiter Thomistæ; imò fere om-*

nes Theologi, & Philosophi, vt multis relatis ostendunt M. Baptista 1. 2. quaest. 3. disp. 39. dub. 3. & PP. Carmelitani de Anima disp. 21. quaest. 1.

7 Rationeque probatur primo: nam sex vltima prædicamenta sunt actus imperfecti, non solum ignobiliores qualitate, sed & ipsa relatione: actus autem immanentes sunt qualitatibus multis perfectiores.

Secundò: quia nequit aliquid commune vniuocum dari, actui imperfecto transeunti, qui identificatur cum motu, ac actui perfecto, qui est actus completus, & perfectus subiecti: ergo istæ duæ actiones non conueniunt in vno genere huius prædicamenti. Antecedens probatur: nam hac ratione a modis, & entibus non abstrahitur vna ratio vniuoca; nec à postprædicamentis, & ab his, quæ continentur in prædicamento.

8 Per quæ de facili argumenta soluntur negando minorem: imò & maiorem. Vnde S. Thomas q. 8. de Veritate artic. 6. inquit, quod sola actio transiens proprie actio nominatur; immanens verò proprie dicitur operatio: in hoc autem prædicamento solum proprie ponuntur, quæ proprie sunt actiones. Et sic illam definitionem non admit-

timus; nisi intelligatur de actu imperfecto entis in potentia.  
\* \* \*

## §. III.

*Dubium aliud.*

**S**ecundo inquitur, *utrum actiones transeuntes instantaneae, ut illuminatio, & similes, pertineant ad hoc predicamentum?*

9 Negat Soncinus lib. 9. Metaphys. quaest. 21. quia omnis actio de Genere actionis, est cum motu, ut dicitur 3. Physicorum com. 19. sed omnis motus est successivus, ut ibi dicitur: ergo omnis actio huius predicamenti est successiva.

Videturque favere S. Thomas in 3. dist. 15. quaest. 2. art. 1. quaest. 1. ad 2. dicēs, quod in illuminatione non abijcitur aliqua qualitas, sed in quantum recipitur lux; & ideo non est passio: ac proinde, nec actio, cum sibi mutuo respondeant.

10 Melius tamen Araujo 5. Metaph. quaest. 6. artic. 3. num. 15. & Baptista ubi supra num. 236. & omnes authores relati num. 4. & 5. admittunt istas pertinere ad predicamentum actionis: quia illuminatio vere est actio transiens, ut expresse ait S. Thomas quaestione 8. de Veritate artic. 6. & in opusculo 48. illo cap. 1. vel 7. in fine dicitur, quod non omnis actio corpora est cum motu agentis. Magnes enim non mota villo genere motus attrahit ferrum; & de multis alijs agentibus posset hoc inuenari.

Deinde illa illuminatio ut actio, est in aliquo predicamento: sed non in predicamento qualitatis; quia non est dispositio ipsius illuminan-

tis: ergo vere est in predicamento actionis.

11 Ad primum dicitur, quod motus definitus 3. Physicorum, etiam comprehendit instantaneas mutationes, quae non sunt immanentes, ut patet ex D. Thoma ibi lectione 2. littera b. & libro 5. lectione 2.

Ad authoritatem S. Thomae dicitur, quod ibi solum negat illuminationem causare passionem alteratiuam, ut patet in cor. illius artic. non tamen negat causare passionem communiter, ut nunc loquimur.

12 Disputant hic aliqui, utrum generatio substantialis, & creatio contineantur sub hoc predicamento? Caterum de Generatione Philosophi, & de creatione disputant Theologi, vel Metaphysici.

## §. IV.

*Quid sit Passio.*

13 **P**assio sic describitur opusculo 48. apud D. Thomam ex Gilberto: *Passio est effectus, dilatioque est omnis.* Sed quia huic definitioni videtur ob stare, id quod dictum est num. 2. quod actio, & passio sunt vna, & eadem res, & cum idem non sit causa sui, videtur quod passio non sit effectus actionis.

Ideo ad respondendum, vel obuiandum huic difficultati, norat ibi, quod aliquid potest dici effectus alicuius dupliciter: vno modo *proprie*, prout scilicet, causatur, vel causatum est ab eo: & isto

isto modo passio non est effectus actionis: alio modo quia quando vtrunque fit, ita fiunt simul, quod vnum necessaria connexione intelligitur esse post aliud. Quod est dicere, non est causalitas physica; est tamen connexio, quæ dicitur illatio logica: nam actio, & passio sunt ab ipso agente ordine quodam necessario: prius enim intelligitur agens agere, quam aliquid à se pati: & sic Passio dicitur effectus Actionis.

## QVÆSTIO XXIX.

### De quatuor ultimis prædicamentis,

**E**X parte imitantes summam Aristotelis breuitatem in his prædicamentis exponendis, ea simul declaranda proponimus; quia pauca sunt, quæ ad Logicos attinent de illis examinanda. Sequemur autem ordinem Gilberti, & opusculi 48. apud D. Th. in quatuor his prædicamentis ordinandis, & describendis.

### §. I.

#### De prædicamento Quando.

**Q**uando est quod ex adiacentia temporis relinquitur. Vocatur autem hic adiacentia temporis mensuræ eius, prout scilicet, ipsum tempus est mensura temporalium. Pro quo recolenda sunt quæ diximus de mensura, hoc libro quaest. 14. §. 2. Insuperque no-

tandum, ex dicto opusculo 48. cap. 1. de isto prædicamento, quod non est in eura vniuscuiusque rei potest considerari dupliciter. Vno modo absolute, prout scilicet applicabilis est; alio modo prout applicatur ad ipsum mensurabile. Cum autem tempus sit quædam mensura, poterit his duobus modis considerari: vno modo absolute, & sic dicitur tempus: alio modo applicata ad motus successiuos, sive fiat partes motus primi mobilis, sive sit alii motus, vel ad mobilia in quantum mobilia sunt. Et quia talia vt sic mensurata à tempore, sic mensurata denominantur; sicut dicimus ambulationem hodiernam; ideo à tali absoluto, scilicet tempore sic denominante, sumitur prædicamentum Quando. Hæc ibi.

3 Ex quo exposita manet definitio: & rejici potest opinio Patris Suarez, qui disput. 50. Metaphys. sectione 12. asserit Quando esse intrinsecam rerum durationem. Quod falsum esse constat, primo: nam Quando durationem supponit, quia iuxta Philosophum cap. 4. ante prædicamentorum: Quando est vt esse veri, superioris anno, &c. Et S. Thomas 5. Physicorum lectione 3. ait, quod Quando significat in tempore esse: quod & docet in 1. ad Amb. distinctione 37. quaest. 1. articulo 1. ad 2. Deinde, ipse Suarez ibi sect. 1. n. 5. docet durationem esse existentiam rei continuatam, & alibi sæpe ait, quod existentia realiter est idem cum essentia: ergo Quando non erit accidens prædicamentum.

métale, sed ipsa substātiā rei. Quod tamen pater esse falsum; quia re inuariata, Quando, variatur. Et cum tempus non fuerit; non erit Quando; sicut nec Angeli mensurantur isto tempore, sed æuo, quod est totum simul.

4. Notatur autem illo opusculo 48. in fine huius prædicamēti, quod in Angelis est. Quando per quandam coexistentiam, quam habet tempus continuum cum durationibus eorum. Dicimus enim: quando fuit Angelus? & respondetur, heri, vel hodie; non tamen, quod Angelus quantum ad suum esse mensuretur die externo, vel hodierno: sed quia dies externa, vel hodierna simul fuit cum dicta duratione Angeli, scilicet, cum suo æuo, vel ævum suum simul coexistit tempore hesterno, vel hodierno. Videatur S. Thomas 4. Physicorum lectione 20. & sic verificatur, quod Quando variatur ad variationem temporis.

## § II.

### *De Prædicamento Vbi?*

5. Gilbertus sic definit Vbi; est *circumscripcio corporis à loci circumscriptione proveniens.* Quæ descriptio sic exponitur opusculo 48. apud D. Thomam: locus est superficies continentis immobilis: unde corpus locatum, per suam superficiem tangit superficiem corporis locantis: & sicut est signata superficies corporis locati, ita, & superficies locantis. Superfi-

cies autem corporis locantis, potest dupliciter considerari: vno modo vt est in corpore locante, & denominat illud; & sic est quantitas: alio modo vt denominat corpus locatum: & sic facit prædicamentum. Vbi; quod nihil aliud est secundum rem, quam locus vt denominat locatum denominatione extrinseca. Hæc ibi.

6. Rursus ibi notat, quod dupliciter aliquid potest esse in loco, scilicet, *definitive, & circumscripcive.* Definitive sunt in loco, ea quæ licet quanta non sint, nec perse, nec per accidens; tamen non sunt vbiq; sed ita sunt in vna parte mundi, quod non sunt in alia, sicut sunt Angeli, & animæ separata. Et de talibus non potest proprie dici, quod sunt in Vbi: nam ea quæ sunt in Vbi continentur in loco: sed huiusmodi magis continent locum, quam continentur à loco; non ergo proprie sunt in Vbi. Circumscripcive verò sunt in loco corpora quanta: & hoc est genus huius prædicamenti.

7. Illius species assignat Philosophus 3. Physicorum textu 45. dum ait; *amplius omne corpus sensibile in loco est. Loci autem species, & differentia sunt sursum, & deorsum; ante, & retro; dextrorsum, & sinistrorsum.* Hæc ibi. Et Sanctus Thomas libro 11. Metaphysic. lectione 12. ait; quod nihil aliud significat esse vbi, nisi esse in loco; & moueri secundum locum, nihil est aliud; quam moueri secundum vbi: ac per consequens, vbi famitur ab extrinseco. Et sic falsa est sen-

sententia Suárez disput. 51. Metaph. sect. 1. quod corpora sunt in loco per ubi intrinsecum. De quo latius 3. Physicorum; hic contra eum dicitur in illo opusc. 48. nihil acquiritur in re mobili nisi Vbi, quod est respectus loci ad locatum, ut circūscribit illud; Et infra; in motu locali acquiritur Vbi, quod denominat extrinsece.

## §. III.

*De prædicamento Situs.*

8 **S**itus vocatur à Philosopho, & à Gilberto *Positio*; & describitur sic: *Positio est ordo, seu ordinatio partium in loco.* Quæ definitio sic exponitur opusc. 48. de Prædicamento Situs cap. 1. nam in ea est sermo de partibus integralibus quantitatis; & relationis nomine, seu *ordinis*, nō intelligitur relatio prædicamentalis; sed relatio secundum dici. Et si sit ordo partium in toto, pertinet ad quantitatem. Si vero partes integrales comparentur ad locum, prout scilicet parti sic ordinatæ in toto correspondet pars loci; & talis ordo, seu ordinatio partium in loco dicitur *Positio*; quæ est prædicamentum Situs. Vocatur autem à Philosopho 5. Metaph. textu 24. *dispositio*, qua voce semper importatur *ordo habentis partes*; sed differt à qualitate: quia *Situs est ordo partium in loco*: De quo S. Thomas ibi lectione 20. & 1. 2. q. 49. art. 1. ad 3.

9 Hinc tamen videtur deduci, quod Situs non sit distinctum prædicamentum ab Vbi: nam per Vbi res

dicitur contineri à loco: ac proinde, habere partes ordinatas in loco. Nec aliter variari potest Situs, nisi per variationem ipsius Vbi, vel quoad totum corpus; vel saltem quoad aliquas partes; ut si homo qui sedebat, surgat.

10 Propter hoc Aureolus in 2. dist. 2. q. 1. art. 1. existimat positionem, seu Situm esse formaliter ipsum locum. Et Fonseca 5. Metaph. capite 7. q. 2. sect. 4. ad 5. dicit prædicamentum Situs populari quidem sensu distinctum fuisse à prædicamento Vbi; sed Philosophico rigore non esse reuera distinctum. Cui in re subscribit Auerfa q. 21. sect. 5. dicens; potuisse sine incommodo non poni distinctum prædicamentum; tamen ad explicandos diversos modos loquendi, & respondendi ad interrogationes, non male potuisse distingui.

11 Alij per aliud extremum censent realiter distingui. Ita illi, qui distinctionem realem arbitrantur necessariam ad distinguenda prædicamenta, quos iam retulimus q. 7. n. 1. & in particulari loquendo de his duobus prædicamentis, Sanchez lib. 6. quæst. 13. conclus. 3. & M. Ioan. à S. Thoma q. 19. art. 3. in fine; qui ultra rationem generalem, iam solutam illa q. 7. addit rationem specialem; quia potest Situs manere invariatus, variato Vbi: sicut in eo, qui sedens, vel stans portatur sine variatione sessionis mutando diuersa loca: & similiter toto loco invariato potest secundum partes variari Situs; sicut in eodem loco potest, quis sedere, aut stare, aut cubare: ex hoc enim sumit D. Tho-

mas diuersitatem huius predicamenti, à predicamento Vbi in o. pulc. 48. vbi supra.

Rursus S. Thomas 4. Physicorū lectione 7. ostendit, quod ad Situm non est per se motus; quia eius species indiuisibiles sunt, sicut species figuræ; cum Situs se habeat vt figura externa corporis, quæ sumitur per comparisonem ad locum extrinsecum. Cum igitur ad Vbi datur per se motus, sequitur quod Situs, & Vbi realiter distinguantur.

12 Dicendū tamen est, Situm esse distinctum predicamentū ab Vbi; sed non realiter ab illo distinctum, sed solum ratione ratiocinata, orta ex diuerso termino extrinseco vtriusque. Priorem partem, nullus qui cum Philosopho denarium predicamentorum numerum admittit, negare potest: alioquin in Scholis non esset hic numerus admittendus, sed solum apud vulgares sustinendus. Cuius oppositum constat, quia vulgus predicamenta non distinguit, sed Logica, & Metaphysica.

13 Secunda pars sumitur ex M. Soto cap. 4. & 9. & M. Iauello tractata 5. parte 2. cap. 1. & 10. & tenent P. Suarez disp. 52. Metaph. sect. 1. num. 9. & P. Rubio hic n. 4. dicens esse communem. Colligitur clare ex D. Thoma libro vndecimo Metaph. lectione 12. in principio dicente: *Positio vero non addit supra Vbi, nisi ordinem partium determinatum, qui nihil aliud est, quam determinata relatio partium ad inuicem.* Et libro 5. lect. 9. littera sc. docet Vbi, & Situm sumi à mensura extrinseca, quæ est locus: cum hoc discrimine,

quod si non consideretur ordo partium in loco, erit Vbi; quo considerato erit Situs: ergo sola hac diuersa consideratione distinguuntur. Idem docet lectione 17. littera, a, in fine. Et libro 3. Physicorum lect. 5. littera i. ait, *secundum autem, quod denominatur à loco, est predicamentum Vbi, & Situs; quod addit supra Vbi ordinem partium in loco.*

14 In istis verbis S. Thomæ est totum fundamentum huius conclusionis; quod totum desumitur ex propria significatione terminorum: nam vbiari dicit circumscribi à loco absolute: Situari vero dicit partes situatas sic, vel aliter coordinari: quod totum saluatur per relationem secundum dici realiter indistinctam, quæ intelligitur fundari in ipso Vbi, propter ordinem partium in loco.

15 Ad rationem contrariæ sententiæ dicitur, quod inuariato Vbi totius, & partium, non potest variari Situs; & sic potius confirmatur nostra sententia; ibi autem solum dicitur, quod manente eodem toto locato, & eodem toto loco, possunt partes diuersæ loci, diuersis partibus loci applicari; & ideo est aliqua diuersitas inter comparisonem totius locati ad totum locum, & inter comparisonem partium ad partes: & sic differunt Situs, & Vbi: quia illud dicit ordinem partium locati ad diuersas partes loci; Vbi vero dicit circumscriptionem locati à loco: est ergo distinctio rationis, sed non realis nisi in connotato termino.

16 Ad id quod, vltimo additur, rel-

respondetur, quod S. Thom. lib. 5. *Physicorum* lect. 3. litt. b. ait, quod *Situs ordinem quendam partium demens- tratur, ordo vero relatio est: unde sicut in ad aliquid non est motus; ita nec in Situ.* Quibus verbis non intendit docere, quod *Situs* sit prædicamentalis relatio; sed sumere argumentum à paritate; quod sicut ad relationem non est per se motus, quia est relatio consequuta; ita nec ad *Situm* est per se motus; quia est respectus resultans ex tali positione partium. Et subdit: *& similiter Habere dicitur secundum quendam habitudinem corporis ad id quod ei adiacet: unde in his non potest esse motus, sicut nec in relatione: bene autem potest totum hoc verificari, si Situs logice consequatur ex Vbi; sicut melius verificatur, quod ad relationem non sit per se motus, in sententia asserente, quod relatio non differt à ratione fundandi: quavis ad hoc verificandū, non sit necessaria.*

17 Duo alia notantur opusc. 48. apud D. Thomam de *Situ*; primum est capite 2. quod dupliciter potest exponi denominatio, siue respectus huius prædicamenti. Primo, ut dicat respectum sumptum à partibus loci, ratione partium locati: & sic in rigore saluatur, quod hoc prædicamentum dicat formam extrinsecus aduenientem. Secundo à contrario, ut potius dicat respectum sumptum à partibus locati ad partes loci: & hoc magis consonat significationi; dictionum, quæ important *Situm*, seu positionem: nam sessio, & cubatio, magis videntur dicere dispositionem partium locati per respectum

ad partes loci, quam e converso. Et harum expositionum ibi neutra alteri præfertur. Sed videntur differre ex modo concipiendi diverso.

18 Tres proprietates *Situs* proponit ibi capite tertio, ex Gilberto. videlicet, quod *Situs, non recipit magis, nec minus: quia nec partes loci, nec partes corporis locati, suscipiunt magis, vel minus; ideo nec Situs suscipit magis, vel minus.* Secundo, quod *non recipit contrarietatem.* Tertio proprium est *Situs proxime assistere substantiæ materiali: quia proximus respectus substantiæ materialis, siue terminatiue, siue fundamentaliter, est Situs: unde docet S. Thomas Quodlib. 3. art. 7. in fine, quod Situs est ordo partium corporaliū secundum locum.* Addit Iauellus, quod hæc assistentia est suppositis omnibus alijs formis accidentalibus, quia *Situs* supponit *Vbi*, & hoc *Quantitatem: quo facile excluditur impugnatio Suarez disput. 5. Metaph. sect. 2. in fine, hanc proprietatem non recipientis.*

19 Species huius prædicamenti, secundum B. Albertum, sunt æque, & non æque situatum esse, & positio recta, & flexa; sub quibus comprehenduntur stare, sedere, iacere. Aliter diuidit Iauellus cap. 10. nam *Situs*, vel est à natura, vel ab accidente, vel à voluntate: à natura, ut caput hominis est supra, & pedes infra; ab accidente, ut si homo cadat capite verso; à voluntate, ut si homo eligat, sic, vel ita stare; aut sic iacere, vel sedere. Vel

vt ait Soto, alius est Situs à generatione naturali; alius ex appetitu, vel electione animalis.

### §. IIII.

#### *De Prædicamento Habitus.*

20 **T** Res acceptiones huius vocis *Habitus* distinximus q. 46. in. 5. Nunc, vt dicit Philosophus 5. Metap. textu 25. & S. Thomas 1. 2. q. 49. art. 1. dicitur tanquam actio quædam habentis, & habiti, sicut est in illis, quæ circa nos habemus: & appellatur actio, non prædicamentalis, sed grammaticalis, quia est quasi *habitus*; & sic inquit Philosophus, quod *inter habentem indumentum, & indumentum, quod habetur est habitus medius*, nempe ex modo significandi respectu: nam inter habentia, & res habitas est respectus realis non conuersiuus, sicut homo dicitur habere tunicam; & tunica non dicitur habere, & tenere hominem. Et hoc *habere*, pertinet ad istud prædicamentum, seu est genus supremum, illius.

21 Definitur à Gilberto sic: *Habitus est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia; secundum quam, hoc quidem habere, illa vero dicuntur haberi.* Pro qua definitione exponenda, notat S. Thomas lib. 3. Physicorum lect. 5. littera i. circa finem, quod alijs animalibus natura dedit sufficienter ea, quæ ad conseruationem vitæ pertinent; vt cornua ad defendendam, corium grossum, & pilum ad tegendum; ungulas, vel ali- quid huiusmodi, ad incidendum si-

ne læsione. Et sic cum talia animalia dicuntur armata, vel vestita, vel calciata, quodammodo non denominantur ab aliquo extrinseco, sed ab aliquibus suis partibus; vnde hoc refertur in his ad prædicamentum substantiæ, vt puta, si diceretur, quod homo est manuatus, vel pedatus. Sed huiusmodi non poterant dari homini à natura: tum quia non conueniebant subtilitati complexionis eius: tum propter multiformitatem operum, quæ conueniunt homini in quantum habet rationem; quibus aliqua determinata instrumenta accommodari non poterant à natura: sed loco omnium inest homini ratio, quæ exteriora sibi præparat loco horum, quæ alijs animalibus intrinseca sunt. Vnde cum homo dicitur armatus, vel vestitus, vel calciatus, denominatur ab aliquo extrinseco, quod non habet rationem, neque causæ, neque mensuræ: vnde est speciale prædicamentum, & dicitur *Habitus*.

22 Sed attendendum est, quod etiam alijs animalibus hoc prædicamentum attribuitur; non secundum, quod in sua natura considerantur, sed secundum quod in hominis usum veniunt: vt si dicamus, equum phaleratum, vel sellatum, seu armatum. Hactenus S. Thomas. Idem habetur opusc. 48. apud D. Thom. de hoc prædicamento cap. 1.

23 Addit bene Suarez disp. 53. sect. 2. n. 2. quod hominum industria, etiam ad res inanimatas extendi potest denominatio huius prædicamenti, saltem quatenus sunt imagines inanimatorum, & præsertim

hominum: & sic imagines vestiuntur: & habere vestem in illis pertinet ad hoc prædicamentum. Imo cum domus, & palatia tapetis ornantur, præbent denominationem pertinentem ad hoc prædicamentum.

24. Ex doctrina huius prædicamenti clare deducitur, non omnia prædicamenta posse consistere in aliquo intrinseco: quia ex sola extrinseca adiacentia vestis confurgit denominatio huius prædicamenti; & omne aliud superadditum superfluum, & inintelligibile est.

Sed inquit Didacus à Iesu consistit in modo quoddam accidentali, ratione cuius habet homo potentiam passivam ut illi vestes accommodentur. Et Rubio num. 2. dicit, quod consistit in modo speciali quo corpus se accommodat vestibus, aut armis.

25. Sed contra: nam homo nudus est capax ut vestiatur: & tamen non dicitur ut sic habere vestem, ut ex terminis patet. Deinde, posita quantitate, & figura, & alijs qualitibus hominis, est in illo capacitas ut vestiatur: ergo ad hoc alio accidente non indiget. Rursus, illa accommodatio vestium est ab arte; & posita figura accommodata, habetur, etiam sine illo modo superaddito.

26. Ponunt alij hoc prædicamentum esse accidens resultans ex adiacentia indumenti; vel accidens ratione cuius res dicuntur induta: quod accidens est modus quidam, vel forma accidentalis realiter media inter vestem, & hominem vestitum. Ita Sanchez lib. 6. quæst. 14. & A-

raujo lib. 5. quæst. 7. articulo. 5. & alij.

27. Caterum hoc non consonat doctrinæ S. Thomæ locis relatis num. 21. & rursus non habet amplius homo per hoc quod vestiatur, ac haberet brutum si vestiretur; & in illo modus non ponitur. Deinde, posita circumscriptione vestis: & ablato illo medio accidente: æque bene homo esset vestitus: ergo *Habere* consistit solum in denominatione extrinseca iam explicata.

28. Sed objicies: nam ut diximus quæst. 7. num. 5. & latius q. 27. nullum accidens prædicamentale est realiter ipsa substantia; quia idem non potest realiter esse per se, & in alio: sed constat, quod vestimenta, siue arma, sunt in genere substantiæ: ergo ab illis non potest sumi denominatio huius prædicamenti.

Huic difficultati dupliciter occurritur opusc. 48. apud D. Thomam capite 2. primo dicendo, quod non est inconueniens, quod respectus realis in substantia fundetur: substantia enim creata, in quantum huiusmodi, realiter refertur ad creatorẽ; & talis respectus immediate in ea fundatur.

29. Secundo respondet dicẽdo, quod non ex omni substantia indifferenter fiunt arma, & vestimenta: sed arma fiunt ex substantia habente aliquam qualitatem, puta duritiem, & huiusmodi. Similiter vestimenta fiunt, non ex qualibet substantia indifferenter; sed ex habente talẽ qualitatem, puta molliem, & pliabilityem, & huiusmodi. Et super his qualitatibus fundatur respectus,

quia

qui est habitus; vel à dictis substantijs in quantum habent tales qualitates resultat.

30 Ambæ istæ solutiones sunt probabiles; & solam priorem tradit Soncinas libro 5. Metaph. q. 40. dicens quod non est inconueniens, quod substantia habeat rationem accidentis quoad prædicationem: quia per accidens, seu accidentaliter denominat rem, quæ ipsam habet.

31 Cæterum hoc solum probat, substantiam entitatiue, posse esse accidens prædicabile, iuxta dicta lib. 1. quæst. 27. sed quia modo loquimur de accidente prædicamentali; quod est posterius relatione, quam diximus non fundari immediate in substantia, vt videre est hoc lib. q. 22. §. 5. ideo mihi magis probatur secunda solutio. ¶ Proprietates Habere exponuntur illo opusc. 48. cap. 2. & 3.

*Summa textus Postprædicamentorum.*

1 **I**N hac tertia parte tractat Philosophus de quibusdã proprietatibus, seu conditionibus, quæ aut omnibus, aut quibusdam prædicamentis conueniunt, & in nullo determinate continentur; & propter suam imperfectionem, postprædicamentaria dicuntur: & quia sunt numero quinque, scilicet, oppositio, prioritas, si multas, in omni, & modus habendi, ideo quinque capitibus hæc pars continetur, & terminatur.

atur.

*Summa capituli 10. de Oppositis.*

2 **D**ividitur hoc caput in tres principales partes. Proponit in prima quatuor oppositionum genera: in secunda illa comparat adinuicem; in tertia specialiter exponit contraria. In priori parte inquit, quod opposita modis quatuor opponi dicuntur; aut ea, quæ sunt ad aliquid, vt duplum, & dimidium; aut vt contraria, vt bonum, & malum; aut vt habitus, & priuatio, vt cæcitas, atque visus: aut vt affirmatio, atque negatio, vt sedere, & non sedere opponuntur.

3 In secunda parte docet, quod priuatiue opposita non sunt opposita relatiue. Nec priuatiue opposita sunt contrarie opposita. Et quod oppositio contradictoria ab alijs differt: in his enim solis alterum verum, alterum falsum esse, necesse est semper alterum falsum vt sit: quia necesse est aut affirmationem, aut negationem veram esse.

4 Demum in tertia parte ponit quinque conditiones contrariorum. *Prima*: malum bono necessario contrarium est; at malo interdum bonum, interdum malum contrarium est. *Secunda*: non necessarium est, si contrariorum alterum sit, & reliquum esse. *Tertis*: fieri non potest vt duo contraria ambo simul eidem in sint. *Quarta*: contraria sunt circa idem, aut specie, aut genere. *Vltima*: contraria omnia, aut in eodem genere, aut in contrarijs generibus esse; aut ipsa genera esse, necesse est.

*Summa cap. 10. & 11. de modis  
Prioris, & Simul*

**I**N capite 10. docet, quod Prius quippiam alio quatuor dicitur modis. *Primo* quidem, & propriissime, prius tempore; sicut quod est antiquius, & vetustius alio. *Secundo* prius id esse videtur, quod non conuertitur essendi consequentia; quo pacto vnum duobus est prius, nam si vnum sit, non necessario sequitur duo esse; bene tamen e contra. *Tertio* modo dicitur aliquid prius, ordine. *Quarto*, vulgariter dicitur prius dignitate. Ultra quos modos, *Quinto* dicitur prius natura: eorum enim, quæ essendi consequentia conuertuntur; alterum, quod est causa quouis modo vt: alterum sit, prius natura non incongrue dici potest.

**6** Capite 12, proponit tres modos Simul. *Primo*, simpliciter, propriissimeque simul dicuntur, quorum generatio est tempore in eodem. *Secundo*, simul natura dicuntur, quæ essendi quidem consequentia cum conuertantur; neutrum tamen vt sit alterum causa est. *Tertio*, dicuntur esse simul natura, quæ eiusdem generis diuisione, sibi opponuntur.

*Summa capituli 13. & 14. De  
Speciebus Motus, & de mo-  
dis Habere.*

**7** **P**roponit Philosophus capite 13, quod motus species sunt sex: generatio; corruptio; accretio;

decretio; alteratio; & ea mutatio; quæ loco accommodatur. Et subdit, quod generaliter omni motui contrariatur quies; & peculiariter quicumque motus contrariatur oppositæ sibi formæ.

**8** In vltimo capite docet, quod Habere multis dicitur modis, & proponit septem, vt habere quantitatem, & qualitatem, & ea quæ adiacent corpori; & ipsa corporis membra etiam habentur: & totum habet partes, sicut arbor ramos; & domus fundamentum, parietem, & tectum; & dolium habet vinum, & modium triticum: & homo habet possessionem. Dicitur etiam vir habere vxorem, & vxor virum: qui quidem remotissimus omnium habendi modus esse videtur.

*5. Duo notanda circa Postpradicamenta.*

**9** **Q**uoniam horum exacta discussio ad Physicos attingit; duo tantum hic notanda sunt. Primum ex D. Thoma lib. 5. Metaphysicorum lectione. 12. littera e. quod ratio sufficientiæ diuisionis oppositionis in quatuor membra prædicta, talis est: aliquid contra ponitur alteri, vel opponitur, aut ratione dependentiæ, qua dependet ab ipso: & sic sunt opposita: *et iure*: aut ratione remotionis, quia scilicet vnum remouet alterum; quod quidem contingit tripliciter. Aut enim totaliter remouet, nihil reliquens; & sic est negatio, seu oppositio contradictoria. Aut relinquit subiectum solū; & sic est priuatio.

aut relinquit subiectum, & genus; & sic est *contrarium*: nã contraria non solum sunt in eodem subiecto; sed etiam in eodem genere: ergo quatuor modis aliqua opponuntur, nẽpe, contradictorie, contrarie, priuatiue, & relatiue.

10 Secundo circa modos Prioritatis, notandum, quod prioritas naturæ, de qua hic Philosophus tractat, à multis reputatur idem ac prioritas *in quo*; quando vero vnum fuerit principium alterius sine causalitate in illum, dicetur prioritas à *quo*. quia ab alio trahit originẽ sine dependentia, & causalitate. Et sic in diuinis personis est prioritas à *quo*, & non instantis *in quo*, vt docent Zumel, Vazquez, & Suarez, 1. p. q. 42. art. 3. quia cũ summa simultate æternitatis stat, quod realiter vna persona ab alia procedat realiter, vt fides docet: & sic prior illa erit, non prioritate *in quo*, sed à *quo*.

11 Per oppositum M. Soto hic cap. 11. & Mag. Ioan. à S. Thoma quæst. 20, art. 2. nomine prioritatis *in quo*, intelligunt prioritatem, vel temporis, vel alicuius instantis *in quo* vnum sit ante aliud; & nomine


prioritatis à *quo* dicunt significar prioritatem naturæ, quando sunt simul, sed vnum dependet ab alio vt effectus à causa.

12 Reputo hanc secundam sententiam veram, & conformem Philosopho, & D. Thoma 1. p. q. 43. artic. 3. qui cum Sanctis Patribus in diuinis personis nullã agnoscit prioritatem, sed solum ordinem originis: vnde omnis prioritas à quo erit cum causalitate dependentiæ eorũ, quæ in eodem instanti simul sunt.

Quia tamen illi, qui à nobis dissentiant, diuersimode significatum vocum vsurpant; ne in disputationibus æquiuocari, vel hallucinari cõtingat, melius erit voces distinguere, & dicere, quod prioritas naturæ à *quo* proprie, & in rigore, est prioritas causalitatis, sine eo quod vnũ succedat alteri, sed solam exigit dependentiam vnus ab alio; at vero minus proprie, vocabitur prioritas à *quo* ordo originis, vt iam diximus. 2 p. Metaph. Controu. 16. num. 10. & latius tractant Theologi disputando de SS. Trinitate, cui sit honor, & gloria in sæcula.

Finis Libri secundi.

LOGI-



LOGICÆ  
LIBER TERTIVS, CON-  
TINES QVÆSTIONES SVPER  
DVOS LIBROS ARISTOTELIS  
POSTERIORVM ANALYTICORVM.

P R O O E M I V M.

**I** VXTA partitione-  
nē Logicæ libro pri-  
mo traditam, disput-  
tandum sequebatur  
de his quæ pertinent ad secundam  
operationem intellectus; ad quam  
dirigendā Philosophus scripsit duos  
libros *Per hermēas*, seu de *Interpre-  
tatione*: quia tamen scitu necessaria  
circa illos libros in dialecticis insti-  
tutionibus sunt tradita; ideo fere cō-  
muniter Doctores hic abstinēt à  
cōmentarijs, & quæstionibus libro-  
rum illorum, & immediate se trans-  
ferunt ad exponendos libros, qui-  
bus dirigitur tertia intellectus ope-  
ratio: qui in Græco dicuntur *Analy-  
tici*, idest, *resolutori*, aut *resolutivi*.  
eo quod tractant de resolutione.  
Nam *Resolutio logica* est examinatio  
qua indicatur de aliqua re, an sit le-  
gitima, & perfecta, resoluendo rem  
vsque ad prima principia, ex quibus  
composita est: ad similitudinem re-  
solutionis physice, in qua composi-  
tum naturale, vel artificiale disolvi

tur in partes, ex quibus constabat;  
vt cum mixtum resoluitur in ele-  
menta; domus in lapides, & ligna;  
& oratio in syllabas; & sic de alijs.  
Et hoc est quod inquit S. Thomas  
hic lectione prima: *quia iudicium cer-  
tum de effectibus haberi non potest nisi re-  
soluendo in prima principia, ideo pars hac  
Analytica vocatur, idest, Resolutoria.*

2 Quia tamen syllogismus con-  
stat materia, & forma, sicut reliqua  
entia naturalia, & artificialia, & vt  
evidenter concludat, debet habere  
illationis formam evidentem; & vt  
generet iudicium certum, debet ha-  
bere præmissas necessarias; ideo est  
duplex resolutio syllogismorum: una  
ex parte formæ tantum; alia ex par-  
te formæ, & materiæ simul: unde  
subdit S. Thomas: certitudo autem  
iudicij, quæ per resolutionem habe-  
tur, est, vel ex ipsa forma syllogismi  
tantum: & ad hoc ordinatur liber  
*Priorum analyticorum* qui est de syllo-  
gismo simpliciter: vel etiã cum hoc  
ex materia, quia sumuntur proposi-

tionem per se, & necessaria; & ad hoc ordinatur liber *Posteriorum Analyticorum*, qui est de syllogismo demonstratio. Quia tamen de forma syllogismorum abunde dictum est libro tertio *Dialecticæ*; ideo ad complete tradendam logicam, solū restat vt tractemus de syllogismo demonstratio.

3 In quo tractatu duo extrema vitanda, & diligenter precauenda sunt. Antiqui enim considerantes Aristotelis prolixitatem, & obscuritatem (quam in hoc opere consulto effectasse iam diu notauit Themiſius) contumaci sunt continuo littere commentario litteram totam perspicuam facere; & dubitationibus emergentibus, non potuit non pars hæc plusquam dimidiâ Logicæ occupare. Recentiores verò videntes sex mensium spatio non posse tot quæstiones textuales Adolescentibus proponi; nec vnum verbum faciunt de textu Philosophi; & tribus, vel quatuor dubitationibus propositis, totum tractatum absolutum arbitrantur.

4 Isti tamen, vel ex eo reprehendi sunt, quia fatentur ipsi argumentationem, vel demonstrationem esse obiectum principalitatis Logicæ; & peruersus ordo est plus curare de partibus minus principalibus, quam de principalibus; & totas impensas consumere in medijs, & non curare de consequitione finis non est sapientium, & prudentium. Quapropter curabimus (vt alij Thomiste ante nos perstiterunt) ita breuitati temporis consuere textualem expositionem omittendo, quod quæ-

tionem scitu necessaria breuiter pertractare nõ omittamus, vt omni ex parte studentium profectui consuimus. Qui Philosophum intelligere cupit, legat expositionem S. Thomæ, & acutissima comentaria Cardinalis Caietani, & M. Soto, & aliorum, & laborem nostrum superuacaneū iudicabit in textu declarando, aut in compendium redigendo.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrum omnis doctrina fiat ex præexistente cognitione?*

### S. I.

*Opinio Platonis rejicitur à Philosopho.*

1 **O**rditur Philosophus libros de Posteriori Analyſi ab illa celebri propositione: *Omni doctrina, & omni disciplina intellectiva, ex præexistente fit cognitione.* Cuius exordij occasio fuit opinio Platonis, qui libro 12 de Republica, & in Manone, & Phedro, & alibi sæpe docuit, nullius rei scientiam à nobis acquiri de nouo, sed nostrum scire esset quoddam reminisci: vnde per studiū, & exercitiū non causabatur in nobis scientia; sed tantum removebantur impedimenta, & reducebatur homo quasi in memoriam eorum, qui naturaliter scit ex impressione formarum separatarum.

2 Cuius fundamenta erant duo. Primum ab experientia: nam si vocetur adolescens perspicacis ingenij, qui alicui scientiæ nunquam operâ dederit, si ordinate interrogetur de

rebus illius scientiæ, apte, & recte ad omnia respondebit: ergo antea scientiam habebat, & solum auferuntur impedimenta ut expedite possit omnium recordari.

Secundū argumentum Platonis erat: cum desideramus scire, vel optamus cognoscere aliquid ignotum, vel aliquid iam notum? Si hoc secundum: habetur intentum. Primum verò dici nō potest: quia nemo inquit, quod nunquam nouit: & superuacanea esset inquisitio, quia habita sciētia, ignoraret aut ipsam acquisisset: ergo antequā discamus, iam habebamus scientiam in memoria quasi in actu primo.

3 Huic positioni Platonis se opponit Aristoteles lib. 1. Metaph. tex. 49. quatuor rationibus eam impugnans. Et ultimā sic proponit S. Thomas ibi lect. 17. Altera K. quia si per ideas sciētia in nobis causatur, oportet quod per ideas causetur in nobis cognitio sensibiliū: ex quo sequitur quod aliquis nō habens sensum possit cognoscere sensibilia: quod patet esse falsum: nā cæcus natus nō potest habere scientiam de coloribus.

4 Rursus, Platonem impugnat lib. 3. de Anima tex. 14. ubi asserit, quod *intellectus est sicut radiata, in qua nihil est scriptum, sed plura possunt in ea scribi* quia, videlicet, ut ibi declarat S. Thom. lect. 9. in fine, intelligibilia nō sunt in intellectu acta, sed potentia tantum. Et inde probat S. Thomas 1. p. quæst. 84. artic. 3. quod anima non intelligit omnia per species naturaliter inditas: tum quia nullus homo obliuiscitur ea, que naturaliter cognoscit, ut patet in

primis principiis: tum quia naturale est anime corpori vniri, cuius est forma, ut fides docet, & habetur in Concilio Lateranensi sub Leone 10. secl. 8. & naturalis operatio rei non impeditur totaliter per id quod est sibi secundam naturam: ergo si hominis anima naturaliter esset plena scientia omnium, per unionem corporis non impeditur ne posset exire in actum.

5 Demum, Aristoteles Platonem impugnat hic, docens non oportere abire in infinitū, nec procedere scientiam actu à natura: quia cognitio discursiua generator à principis per se notis: & hoc modo scientia acquiritur per argumentationem, vel syllogismū. unde finis demonstratiui syllogismi est scientiæ acquisitio & quia necessitas cuiuslibet rei ordinatæ ad finem, ex fine desumitur, ideo Philosophus ut ostendat necessitatem demonstratiui syllogismi, conatur explicare quod vi illius scientia acquiritur: quia si scientia non posset per demonstrationem acquiri, nulla esset necessitas demonstratiui syllogismi.

6 Ad primum argumentū Platonis dicitur, potius experientiam fundere oppositum: quia, si adulescens ille interrogetur de difficilioribus scientiæ, omnino ignorabit quid respondeat: & si aliquid verū dicat, erit à causa, & nesciens se scire, & verū dicere. Si autē interrogetur de per se notis, vel de immediatis, sola quidē explicatione terminorū respondet: hoc tamē probat habitum principiorū esse quodammodo naturæ: quō verò ipsā sciētiam, unde optime

respondet Arnobius libro 2. aduersus Gentes, cum Platone loquens: *Si tibi vere responder; non rerum scientia, sed intelligentia ducitur.*

7 Addit S. Thomas 1. 2. quæst. 63. art. 1. cum Philosopho 2. Ethicorum in principio, quod in ratione hominis insunt naturaliter quædam principia naturaliter cognita, tam scibilem, quam agendorum, quæ sunt quædam seminaria intellectuum virtutum, & moralium: quibus intellectus adiutus propria industria, & Doctorum instructione scientias acquirit.

8 Et hac via Philosophus, & S. Thomas hic lectione tertia in fine secundo argumento Platonis respondent, quod illud quod quis addiscit, non erat omnino prius notum; nec omnino ignotum: sed erat notum in potentia, siue virtute in principijs præcognitis vniuersalibus per se notis; ignotum autem in actu secundum propriam cognitionem. Et hoc est addiscere reduci de cognitione potenciali, seu virtuali, aut vniuersali, in cognitionem propriam, & actualem. & ista cognitio scientifica est effectus demonstrationis: vnde antea nõ erat scientia nisi in potentia, & in virtute.

## §. II.

### *Sensus propositionis Aristotelis.*

9 **H**Æc licet ab omnibus Peripateticis admittantur; dubitant tamen de sensu relatæ propositionis:

In primis bene notat S. Thomas lectione prima littera a. in fine, quod non loquitur de omni cognitione; quia non omnis cognitio ex priori cognitione dependet: esset enim in infinitum ire. Deinde aduertit, quod nomen *doctrina*, & *disciplina*, ad cognitionis acquisitionem pertinet: nam doctrina est actio eius qui aliquid cognoscere facit: disciplina est receptio cognitionis ab alio. Dubium ergo manet, an loquatur de sola cognitione intellectus demonstratiua?

10 Referuntur Paulus Venerus, & quidam alij, qui Philosophum exponunt de omni cognitione intellectus, & pro tanto dicunt eius propositionem verificari, quia cognitio intellectus ortum habet à sensu, iuxta illud: *nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu.* Quod & sequitur lauellus tract. 11. cap. 1.

Per oppositum Didacus à Iesu disput. 16. quæst. 1. & Cabero tractatu 7. disput. 1. dub. 1. propositionem Philosophi intelligunt de conclusione demonstratiua, quia sic melius excluditur positio Platonis iam relatæ, & exploditur error Heracliti, & Cratili negantium dari scientias.

11 Dicendum tamen est Philosophum loqui de omni & sola cognitione intellectus discursiua. Est communis Interpretum, & expressa S. Tho. lec. 1. littera a. dicentis: nec accipitur hic doctrina, & disciplina secundum quod se habet ad acquisitionem scientiæ tantum; sed ad acquisitionem cognitionis cuiuscumque. Quod patet, quia manifestat hanc propositionem

positionem etiam indisputatiuis, & rhetoricis disputationibus, per quas non acquiritur scientia. Propter quod etiam non dicit ex præexistenti scientia, vel intellectu, sed vniuersaliter, *cognitione*. Addit autem *intellectiua*, ad excludendum acceptionem cognitionis sensitivæ, vel imaginativæ: nam procedere ex vno in aliud, rationis est solum. Hæc ibi. Quod sufficit omnino ad intentum convincendum: quia vt hic notat Caietanus, quod ab ipso Philosopho expositum est, nostram non exposcit glosam. Vnde & Boetius, & alij legunt: *omnis doctrina, omnisque disciplina discursiva, &c.* Quare ita tenent B. Albertus, & Auerrois, & communiter expositores antiqui, & Recentiores: vnde falluntur, qui eis oppositum tribuunt.

12 Nec aliorum argumeta obstant: non primum, tum quia loquitur Philosophus de cognitione præexistente, quæ vere eodem modo dicatur cognitio, sicut illa, quæ causatur; quod non conuenit testari: tum etiam nam admittit Philosophus cognitionem principiorum non causari ex alia: quod falsum esset, si loqueretur de simplici apprehensione, quæ supponit notitias sensuum.

13 Minus obstat secundum, quia radicatas conuellantur errores ab vniuersalioribus incipiendo: nam docendo qualiter discurremus ex notioribus ad minus nota, explicatur radix vnde proueniat, quod de nouo addiscamus scientiam eorum, quæ ignorabamus: quia hoc conuenit non solum scientiæ, sed omni cognitioni, quæ discursu fit, Vn-

de ipse Philosophus 1. Posteriorum textu 44. & S. Thomas lect. 44. littera c. docent, quod etiam in opinatiuis sunt aliqua propositiones immediatæ, quæ per aliquod medium probari non possunt: vnde cum non procedatur in infinitum, non reducuntur ad alias priores: propositiones tamen contingentes immediatæ, reducuntur ad aliquas immediatas; & ideo de illis etiam verificatur axioma Philosophi.

## QVÆSTIO II.

*De præcognitionibus, & præcognitis.*

### § I.

*Duæ præcognitiones, & tria præcognita.*

1 **D**ico primo, ante demonstrationem, in genere dua dantur præcognitiones, & tria præcognita. Colligitur ex Philosopho: & est communis. Posteriores partem probat S. Thomas initio lectionis secundæ: nam præcognita sunt res cognitæ ante cognitionem discursiuam: sed ista tantum sunt tria: ergo tantum sunt tria præcognita. Probat minor: nam conclusio est cuius scientia per demonstrationem quaeritur: in conclusione autem aliqua propria passio de aliquo subiecto predicatur: & tota conclusio infertur ex aliquibus principijs. Tunc ultra. Quia cognitio simplici præcedit

dit cognitionem compositorum, necesse est quod antequam habeatur cognitio conclusionis, cognoscatur aliquo modo subiectum, & passio. Et similiter oportet, quod cognoscatur principium ex quo conclusio inferitur; cum ex cognitione principij conclusio innotescat. Habemus ergo tria præcognita, scilicet, principium, seu præmissæ, quæ adunantur ut unum integrum principium conclusionis, & subiectum, & passio.

2 Prior vero pars, scilicet, quod præcognitiones sint duæ, probatur ibidem: nam horum trium, scilicet, principij, subiecti, & passionis, est duplex modus præcognitionis, seu anticipatæ cognitionis, scilicet, *an est*, & *quid est*: eo quod alix duæ quæstiones enumeratæ à Philosopho 2. Posteriorum capit. 1. scilicet, *quia est*, & *propter quid est*, per ipsam demonstrationem cognoscuntur: siquidem scitur passionem conuenire subiecto, & propter quid illi conueniat: remanet ergo quod præcognitiones in genere sint duæ tantum. Quamuis quæstio *an est*, diuidatur in *uest rei*, & *an est veritatis*; & *quid est* cū significet definitionem, diuiditur in *quid rei* & *quid nominis*, sicut, & definitio diuiditur.

3 Obijcies, nam ante demonstrationem debet præcognosci bonitas illationis: ergo non sunt tantum tria præcognita.

Respondetur non requiri præcognitionem reflexam in actu signato de bonitate illationis: quia eo ipso quod in actu exercito as-

sentiamur præmissis condincimur assentiri conclusioni: quando autem dispositio præmissarum non est ita manifesta solet in actu signato indigere probatione illationis necessitas: hoc tamen pertinet ad resolutionem Prioristicam, quæ est ex parte formæ tantum; nunc illa supposita numerantur: præcognita posterioristica, quæ ex materia scibili sumuntur, nempe, ex principio, subiecto, & passione. Et ita respondet Magister Soto capite primo in fine textus secundi.

## §. II.

### *Quid præcognoscatur de principio?*

4 **D**ico secundò; de principio non præcognoscitur *quia est*, sed solum *quia verum est*. Hanc conclusionem probat Sanctus Thomas initio lectionis secundæ: quia ostenditur in 7. Metaphyl. quod complexa non diffiniuntur: hominis enim albi non est aliqua diffinitio; & multo minus enunciationis alicuius. Vnde cum principium sit enunciatio quedam, non potest præcognosci de ipso *quid est*; sed solum *quia verum est*: eo quod ante conclusionem præbeamus assensum præmissis ut veris: & hoc est principij veritatem cognoscere.

5 Contra hanc rationem arguit **Azidius** super textu 2. dubio ultimo, quia videtur in æquiuoco laborare: complexorum enim non est.

est definitio quid rei; Philosophus autem loquitur hic de definitione quid nominis: quæ etiam complexis conuenit.

Respondet Caietanus capite 1. §. circa eandem; primo negando minorem: Quia Philosophus loquitur de quid nominis, & de quid rei: cum de *quid* in communi loquatur: principia autem complexa non habent quid, nec definitionem; & ideo simpliciter non præcognoscitur quid.

6 Secundò respondet, quod complexa, vt sic, quid nominis proprie non habent, vt docet Boetius; eo quod propositione significatur inesse aliud alij, seu vnum alteri conuenire; & non dicitur quid, nec significatur aliquid; nisi ratione alicuius incomplexi: vnde eo ipso, quod de principijs non præcognoscatur *quid*, quia non sunt definibilia; omne *quid* manet exclusum.

7 Aliter etiam respondet Didacus à Iesu d. sp. 16. quæst. 2. difficultate prima in fine, quod de principijs præcognoscendum est an sint vera, & quid significant: & hanc præcognitionem quid nominis Philosophus non expressit, vel vt omnino apertam; vel vt iam in extremis explicatam; vel quia non censebatur præcognitio significationis distincta à præcognitione veritatis, ratione cuius requirebatur, quia vbi est vnum propter aliud, ibi est tantum vnum.

8 Difficultate hoc non caret, attenta littera Philosophi, & expositione S. Thomæ: quia clare in præcognitione de passione distinguunt

*quid rei, & quid nominis;* & vnum concedunt, & aliud negant: idem dicturi de principio, si in illo haberet locum distinctio. Rursus, quæ conueniunt propositioni, vel complexo ratione extremorum, non conueniunt formaliter vt complexo principio. Quia propter præferenda sunt solutiones Caietani, vt potè in sensu formali verba Philosophi, & S. Thomæ accipientis: præmissa enim complexa in rigore, nec quid rei, nec quid nominis habet; & ideo solum præsupponitur veram esse: & hoc est præsupponere de principio an sit, vt circa textum secundū in fine notat Soto.

9 Secundò obijcies: multa sunt principia de quibus demonstratur veritas eorum, vt cum secunda passio est medium ad tertiam demonstrandam; & cum principia scientiæ subalternata demonstrantur in scientia subalternante: ergo non semper de principio præcognoscitur an sit verum.

Respondetur, quod vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 6. artic. 1. ad 1. non omne principium est principium primum: quia contingit aliquod principium esse primum in aliquo genere; quod tamen non est primum simpliciter. Si principium sit primum simpliciter, semper est principium, & nunquam conclusio: & ideo nunquam potest à priori demonstrari: & de isto exemplificat Philosophus ponens in exemplo primum omnium principiorum, scilicet, quod *de vtroqueque est affirmatio, vel negatio vera;*

seu, quodlibet est, vel non est. Principia verò solum in aliquo genere determinato, quando sumuntur ut principia, non demonstrantur; & tunc præcognoscuntur; si verò sumuntur ut conclusiones, demonstrantur, & non præcognoscuntur, quia nō habent rationem principij. Vnde in sensu formali manet vera nostra doctrina.

### 6. III.

#### *Quid præcognoscatur de subiecto?*

10 **D**ico tertio, de subiecto oportet præcognoscere, & quid est, & quia est. Probat S. Thomas initio lectionis secundæ: quia subiectum definitionem habet, & eius esse à passione non dependet; sed suum esse proprium præintelligitur ipsi esse passionis in eo: & ideo de subiecto oportet præcognoscere, & quid est, & quia est. præsertim cum ex definitione subiecti, & passionis sumatur mediū demonstrationis. Hæc S. Thomas.

11 Sed obijcit Toletus hic quæstione unica: nam ad monstrandū effectum per causam non requiritur præcognoscere quid sit causa; & quid effectus; sed solum quod effectus procedit per se à causa: ergo non requiritur præcognoscere quod quid est de subiecto; sed sufficit præcognoscere quid sit: ut docuerāt antea Themistius, Ægidius, & Paulus Venetus. Vnde Astrologi demonstrant Lunam eclipsi per suam causam, ignorantes de finitio-

nem Lunæ: & Mathematici multæ demonstrant de figuris, & numeris, ignorantes eorum quidditatem.

12 Respondetur ex D. Thoma 1. p. quæst. 1. artic. 7. ad 1. & ex Caietano hic dub. 1. Solo quæst. 1. ad 3. Masio, & Rubio quæst. 3. & alijs communiter, quod in scientia à posteriori sufficit quid nominis præcognoscere de subiecto. Nec de ista loquitur hic Philosophus, ut notat ipse capite secundo. In scientia verò à priori oportet præcognoscere quod quid est subiecti, ut probat ratio S. Thomæ, quæ est B. Alberti, & aliorum, cum definitio quid rei sumatur pro medio. Ad argumentum respondetur, quod de Sole, & Luna, & huiusmodi nos non habemus scientiam à priori simpliciter; & ideo non opus est præcognoscere quod quid est ipsorum; sicut & in Theologia accipitur *an est* loco quod quid est.

13 Sed instabis: nam obiectum horum librorum est demonstratio: & tamen in illis non supponitur, sed ex professo inquiritur quid est demonstratio? & pariter in libris de Anima inquiritur, quid est anima? & in tertio Physicorum inquiritur, quid est motus? & Mathematici, qui tractant de lineis, & punctis, definiunt quid est punctum, & quid est linea; & sic de alijs: ergo scientia, & demonstratio inquirit de suo subiecto an sit, & quid sit? & illud non supponit.

Respondet Magister Soto ad tertium notandum tertio, quod

quod aliud est loqui de particulari demonstratione; & aliud est loqui de tota scientia vnius subiecti: in particulari demonstratione propter quid, præsupponitur de subiecto non solum quid nominis, sed & quid rei, quod est mediam demonstrationis.

14 Loquendo autem de tota scientia vnius subiecti, supponit quid est illius: quia non potest illud demonstrare: vnde Philosophus 1. Topicorum cap. 2. docet, quod nulla scientia probat sua principia, sed supponit ea. Ad illam tamen pertinet antecedenter statuere definitionem quidditativam subiecti, quia intendit manifestare eius naturam, & definit vt potest. Vnde scientiæ diuiduntur in duas partes; in priori parantur principia, & explicantur dignitates; & in secunda per huiusmodi principia demonstrantur passionēs de subiecto. Huc ordinem intradendis scientiis obseruasse Philosophum, notauerat Caietanus ad 1. dubium; & nos iam diximus 1. p. Metaph. controu. 4. num. 30. & hic lib. 1. q. 2. num. 35. ex D. Thoma opusc. 70. quæst. 6. art. 4. in cor. Quod memoriæ est commendandum quia est doctrina admodum necessaria.

15 Secundo arguitur: scientia & demonstratio abstrahunt ab existentia, quia sunt de his quæ aliter esse non possunt: existentia autem contingenter conuenit creaturæ: ergo de subiecto non præsupponitur quia est. Vnde in hyeme est scientia de rosa, cum rosa in veritate nõ existit.

Responder Mag. Soto quæst. 11. ad confirmat. tertij argumenti, quod scientia, & demonstratio non supponit de subiecto, quod sit actualiter, vt probat argumentum; sed solum supponit de subiecto quod sit verum ens in suis causis: vnde nullo homine existente est vera scientia de homine.

16 Per oppositum Caietanus ad secundum dubium late probat, quod oportet præcognoscere subiectum esse in rerum natura actualiter; temporibus tamen suis, quod probat: quia illud esse subiecti præsupponitur, quo substat passioni: sed subiectum non substat passioni nisi secundum esse reale in rerum natura, quia sic inhaeret: ergo oportet supponere subiectum esse in rerum natura actualiter. Et hoc esse supponitur quia in scientia non potest probari. Denique, quia si Philosophus solum loqueretur de esse subiecti possibili, idem affirmaret de passione, quia non fit demonstratio de passione impossibili.

17 Ad argumenta respondet, quod scientia abstrahit ab esse actuali existentia in particulari; & non ab existentia in communi, nec à suppositione existentiarum. Ad dit, quod secus est in acquisitione scientiæ, & in vsu eius oportet subiectum esse in rerum natura, vt generet sui scientiam in nobis, quia nil agit nisi sit: in vsu vero, quia scientia non est nisi entis, & ens significat esse vt dicit Philosophus lib. 2. cap. 6. & ideo oportet supponere subiectum esse rebus suis. Hanc sententiam sequitur

Toletus quæst. vnica ad 5.

18 Melius tamen respondet Ferrar a lib. 1. contrag. cap. 66. circa rationem quartam, & Sanchez lib. 7. quæst. 1. conclus. 8. & Rubio quæst. 2. & alij, quod in inuentione scientiæ necesse est nos prius per sensus cognoscere rem esse, antequam aliqua passio de ipsa cognoscatur: quia à cognitione sensus nostra scientia originatur; & ideo de re que nunquam fuit non valemus scientiam per inuentionem acquirere. Intrinseca tamen ratio scientiæ non petit existentiam subiecti, vt argumentum probat: vnde S. Thomas illo capite 66. ratione 4. ait: intellectus noster secundum illam operationem, qua cognoscit, quod quid est, notitiam habere potest etiam eorum, quæ non sunt actus: potest enim equi, vel leonis essentiam comprehendere omnibus huiusmodi animalibus interemptis: ergo pariter potest de illis scientiam habere, quia minus est scire, quam comprehendere. Per quæ de facili argumenta soluantur.

### §. III.

*Quid præcognoscatur de passione.*

19 **D**ico quarto, de passione non præcognoscitur an sit, neque quid rei; sed solum quid nominis. Probat priorem partem S. Thomas citata lect. 2. nam id quod per demonstrationem concluditur nõ oportet ante ipsam præcognoscere sic p̄ncipiter sed esse passionis in demonstratione cõcluditur quia esse est in esse subiecto, quod in demonstratione probatur: nõ ergo

de passione præcognoscitur quia est

Secundam partem ibi ostendit D. Thomas: quia antequam sciatur de aliquo an sit, non potest sciri proprie de eo quid est: non enim sunt definitiones: vnde quæstio an est, præcedit quæstionem quid est. Ergo si de passione non præcognoscitur an est, nõ præcognoscitur quid est.

Tertia pars ab eodem S. Thoma ibi probatur: quia non potest ostendi de aliquo an sit, nisi prius intelligatur quid significatur per nomen: propter quod etiam Philosophus in 4. Metaph. textu 11. lect. 7. in disputatione contra negantes principia, docet incipere à significatione nominum.

20 Sed obijcies: nam mediũ demonstrationis oportet esse præcognitum: sed mediũ est quod quid est passionis, vt dicitur 2. Post. tẽx. 8. ergo de passione non tantum præcognoscendũ quid nominis, sed etiã debet præcognosci quid sit.

Respondet Caietanus ad tertium dubiũ, quod in demonstratione terminante quæstionem quia est passionis de suo proprio subiecto, impossibile est præcognosci quid rei passionis formaliter loquendo, & sub ratione quid rei, propter rationem relatam S. Th. nam cũ passio nis esse sit in esse subiecto; cum ante demonstrationẽ ignoretur ipsam in esse, ignorabitur eius quid rei: cum accidentis quidditas sit cui debetur in esse. Potest tamen præcognosci aliquomodo ei quid rei materialiter, sub ratione quid nominis, quod assumetur vt mediũ in demonstratione.

21 Loquendo autem de demonstratione terminante quaestionem propter quid tantum, de qua agitur 1. Posteriorum cap. 13. nihil prohibet praecognosci quid rei ipsius passionis, quia ipse esse praecognitum fuit. Pariter cum demonstratur quia de parte subiecti, & non de proprio subiecto, non inconuenit quod praecognoscatur quid est passionis, quia iam ipsum inesse praecognitum est. Videatur S. Thom. lib. 2. lect. 7. & sequentibus.

22 Secundo obijcies: ut diximus conclusione secunda, de principio praecognoscitur esse verum: sed non potest hoc praecognosci, quin praecognoscatur an est passionis: ergo de passione praecognosci debet an sit. Probat minor: nam passio praedicatur de principio: unde non potest supponi principium esse verum, nisi supponatur passio nem fesse: eo enim ipso quod passio non esset, principium esset falsum.

Respondetur, quod ut docet S. Thomas 1. p. quaest. 2. artic. 2. ad 2. ad probandum aliquid esse, necesse est accipere pro medio quid significet nomen, non autem quod quid est: quia quaestio quid est, sequitur ad quaestionem an est. Et haec significatio nominis passionis sufficit ad veritatem principij praecognoscendam.

23 Vel dicatur cum Caietano capite 1. circa 2. conclus. dub. ultimo, quod ad habendum quid rei passionis, non iufficit qualitercumque cognoscere ipsam esse; sed oportet cognoscere passionem in esse primo subiecto quia ex principijs

primi subiecti causatur, & definitur: hoc autem non est necesse praecognoscere ad praecognoscendam principiorum veritatem. Rursus, non est inconueniens, quod res quae est passio materialiter praecognoscatur: quia sermo D. Thomae formalis est; & ideo esse passionis, ut passio praecognosci non potest, cum inquiratur, & demonstratur.

### QVÆSTIO III.

*Vtrum eodem actu quo cognoscitur conclusio demonstrata, cognoscantur eius principia?*

1 **Q**Uamuis haec, & sequentes quaestiones possint excitari de omni syllogismo, etiam non demonstratio; non potuerunt hic omnitti, ut explicetur secunda pars capituli primi, ubi à Philosopho tanguntur, & à Doctoribus examinantur, quia valde conducunt ad intelligendam propriam rationem demonstrationis.

#### §. I.

#### *Dua extrema sententia.*

2 **P**Rima opinio est Mag. Pauli Soncinatis libro 6. Metap. q. 10. conclus. 3. quod eodem actu quo cognoscitur conclusio ut demonstrata, cognoscitur principium seu principia. Probat primo: nam eodem actu cognoscitur obiectum, & id quod est ratio suae cognoscibilitatis sicut eodem actu videtur lux, & albedo & paries. Sed principium est ratio

cognoscibilitatis conclusionis; quia non dicitur. *Cur conclusio cognosci propter principium, nisi quia principium est ratio cognoscendi conclusionem: ergo utrumque eodem actu cognoscitur.*

Secundo: sicut ea, quæ ordinantur ad finem, se habent ad appetibilitatem; sic conclusio se habet ad veritatem, ut dicitur 2. Physicorum textu 89. Unde dimanat illud proloquium: sic se habet principium in speculabilibus, sicut finis in operabilibus. Sed eodem actu, quo appetuntur media propter finem, appetitur ipse finis: ergo eodem actu quo attingitur conclusio propter principia, attinguntur ipsa principia. Unde Philosophus hic textu 5. ait, *quod scire est rem per causam cognoscere, & quod illius est causa: quando autem unum est propter aliud, ibi est tantum unum, & utrumque eodem actu attingitur.*

3. Subscribit eidem sententiæ P. Rubio hic quæst. 5. docens assensum principiorum formaliter includi in assensu conclusionis. Citat multos; qui tamen loquuntur cum distinctione postea subiicienda. Persus probat: nam in actu fidei formaliter includitur testimonium fide digni quia est ratio formalis credendi: ergo pariter in assensu conclusionis includitur assensus principij. Deinde: nam assensus conclusionis essentialiter includit ordinem dependentiæ ad assensum principiorum tanquam ad rationem formalem obiectivam: ergo ex consequenti clauditur ordo ad principia. Eadem in substantia sunt argumen-

ta Arriaga disput. 15. Logicae sectione 4. subsect. 2. & 3.

4. Patrocinantur eidem sententiæ alij recentiores, qui pro ea sic arguunt argumento desumpto ex Arriaga illa subsectione prima. Aliqua debet assignari ratio propter quam ex tribus assensibus, qui in discursu reperiuntur, duo habeant rationem præmissarum, & alius rationem conclusionis. Sed non potest esse alia, nisi quia assensus conclusionis fertur in obiectum præmissarum tanquam in formale motivum: ergo assensus conclusionis fertur in obiectum præmissarum. Probat minor: quia unus assensus non dependet ab alio in genere causæ efficientis, ut fert communis sententia: ergo solum dependet ab illo ut à formali motivo.

Si dicatur, obiectum conclusionis pendere ab obiecto præmissarum, & non è contra; & hanc esse rationem cur illa sit conclusio.

Contra: nam obiecta sunt indifferentia ut arguatur à priori, vel à posteriori; & quod modo est conclusio, postea solet esse principium. Secundo: in syllogismo expositorio, æque potest inferri obiectum conclusionis ex obiecto præmissarum; ac è contra obiectum præmissarum ex obiecto conclusionis: ergo si non recurritur ad hoc quod præmissæ sunt ratio assentiendi, nõ erit maior ratio, cur hæc sit conclusio, quam quod sit præmissa.

5. Per aliud extremum P. Raphael Auerla quæst. 24. sect. 2. non solum opinatur assensum consequentis esse actum distinctum & rea-

liter ab assensu antecedentis; sed contendit conclusione secunda, quod assensus consequentis non includit assensum antecedentis, nec formaliter, nec virtualiter; quamuis ab illo pendeat, & ex illo inferatur. Priorem partem probat septem medijs. Sed potissima sunt: quia intellectus noster est adeo debilis, & limitatus, ut non possit cognoscere vnum cum dependentia ab alio, vel vnum ex cognitione alterius, & vno simplici actu vtrumque cognoscere.

Secundo: sæpe aliqua præmissa est affirmatiua, & alia negatiua; aliqua euidens, alia obscura, aut probabilis: ergo non potest esse vnus, & idem actus qui hæc omnia complectatur, & simul sit affirmatiuus, & negatiuus; euidens, & obscurus, certus, & probabilis respectu diuersarum partium syllogismi: & hoc loquendo ex natura rei.

Tertio: quia non est formalis discursus sine actuali dependentia vnius actus inferentis alium.

6. Secundam partem probat: quia sicut in voce non reperuntur præmissæ, ita nec in mente: ergo posito assensu præmissarum: quo extrinsece pendet assensus conclusionis, elicitur, & inferitur conclusio, atque eo quod ad eam forma-

liter, vel virtualiter exigatur nouus assensus præmissarum, vel principiorum.

## §. II.

*Notanda pro decisione.*

7. **P**ro resolutione notandum; ex D. Thoma 1. 2. quaest. 8. art. 3. in cor. & ad 2. & quaest. 12. artic. 4. & quaest. 22. de Veritate artic. 14. in cor. & ad 3. quod intellectus dupliciter potest ferri in principia, & in conclusiones; vno modo ut vnum quodque conficeret absolute, & secundum se, alio modo ut vnum attingat propter aliud, seu in ordine ad aliud: sicut etiam finem, & media dupliciter appetimus; vno modo absolute absque expressa habitudine, & ordine: vnius ad aliud; alio modo prout vnum est ratio volendi aliud. Hanc distinctionem S. Thomæ concorditer authores recipiunt; quamuis non eisdem vocibus expriment: nā Ochan, & Gabriel quaest. 8. Prologi, conclusionem attingi propter aliud, vocant illud aliud, seu principium se habere ut obiectum mouens, ad conclusionem. At vero PP. Conimb. lib. 1. Poster. cap. 1. quaest. 2. art. 5. & alij recentiores, id quod S. Thomas vocat attingi absolute, ipsi appellant obiectum quod; & quod S. Thomas appellat cognosci propter aliud, ipsi vocant cognosci ut quo: vtrumque tamen in re est idem, quia ratio formalis, ut quo, & motiuum assentiendi est propter quod aliquid cognoscitur. Vnde S. Thomas in 1. distinct. 17. quaest. 1. artic. 5. ait, quod aliquid est diuigibile dupliciter: vel sicut

ratio dilectionis: vel sicut obiectum: sicut etiam color videtur ut obiectum, & lumen ut ratio per quam color est visibilis in actu. Quod est distinguere obiectum quod, & quo.

8 Secundo notandum, quod ratio cognoscendi, & obiectum quomouens, est duplex; aliud intrinsecum; aliud extrinsecum. Intrinsecum est: quia vel realiter identificatur, vel saltem realiter coniungitur cum obiecto quod cognoscitur: extrinsecum (ut nomen sonat) est quia realiter differt, & extrinsece mouet ad alterius à se distincti cognitionem. Iuxta quam distinctionem, notat S. Thomas quæst. 8. de Veritate art. 15. quod *differt cognoscere aliquid in aliquo; & cognoscere aliquid ex aliquo.* Quando enim aliquid in aliquo cognoscitur, vno motu fertur cognoscens in vtrumque; ut cum res cognoscitur in specie propria, vel aliena. Sed tunc dicitur aliquid ex aliquo cognosci, quando non est idem motus in vtrumque, sed primo mouetur intellectus in vnum; & ex hoc mouetur in aliud: unde hic est quidam discursus: sicut patet in demonstrationibus (inquit S. Thomas:) primo enim intellectus fertur in principia tantum; & secundario fertur per principia in conclusiones. quia ut in principio articuli dixerat; *discurrere proprie est ex vno in cognitionem alterius deuenire.*

9 Denique diligenter notandum, hic est fundi à nonnullis duas quæstiones valde inter se distinctas. Prima est, vtrum ad demon-

strationem essentialiter exigantur plures operationes, an vero vna tantum sufficiat? Et si exigantur plures; vtrum consistat essentialiter in omnibus, vel aliqua illarum se habeant solum antecedenter, & præsuppositiue? Altera quæstio est, vtrum valeat intellectus vnica operatione simul attingere principia, & conclusiones; vel conclusiones; & principia? Etiam si in ista operatione non consistat adæquate demonstratio. Rursus, si hoc non repugnat, consequenter oportet exponere, an vtrumque attingi possit formaliter, & in recto; an solum vnum, & virtualiter aliud; vel vnum solum in recto, & aliud in obliquo?

### 6. III.

*Demonstratio exigit essentialiter plures actus.*

10 **D**ico primo; ad demonstrationem essentialiter requiruntur plures operationes intellectus realiter distinctæ: & in illarum successione, & causalitate essentialia illius consistit. Hinc colligitur ex 10. Thoma quæst. 8. de Veritate art. 15. Ex quo probatur primo: quia demonstratio essentialiter est formalis discursus: sed discursus formalis essentialiter exigit operationum intellectus pluralitatem: ergo & demonstratio requirit essentialiter pluralitatem operationum intellectus. Maior patet, ex eo quod se habent sicut superius

& inferius: quia omnis demonstratio est discursus cum cōditionibus requisitis ad generandam scientiam; non tamen omnis discursus est demonstratio, quia etiam in probabilibus discurret intellectus. Minorem vero probat S. Thomas 1. p. q. 1. art. 3. ad 1. quia discursus quendam motum nominat: omnis autem motus est de vno priori in aliud posterius: vnde discurre, proprie loquendo, est ex vno in alterius cognitionem devenire: quod sine operationum multitudine esse nequit. De quo videatur ibi Caietanus, Bañez, Nazarius, Molina, & alij expositores.

11 Secundo probatur: nam demonstratio est species syllogismi; quia significat syllogismum in materia evidenti, & necessaria: sed syllogismus essentialiter consistit pluribus operationibus artificiose dispositis cum illatione vnius ex alia: ergo pariformiter sentiendum de demonstratione. Minor probatur ex propria significatione vocum: nam syllogismus significat collectionem orationum, vt Boetius dicit, & habetur Opusc. 48. apud D. Th. tractatu de syllogismo simpliciter cap. 4. & ideo nos lib. 3. Dial. c. 3. q. 1. ostendimus præmissas, & cōclusionem esse de essentia syllogismi: ergo similiter essentia demonstrationis consistet in præmissis, & cōclusionem, prout vnū artificiose evidenter deducitur ex alio.

12 Vt tertia ratio percipiatur, notandum ex D. Thoma 1. p. q. 1. art. 7. quod in scientia nostra duplex est discursus. Vnus se-

cundum successione tantum; sicut cum postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelligendum aliud. Alius discursus est secundum causalitatem, sicut cum per principia pervenimus in cognitionem conclusionum. Quo posito, sic arguitur. Demonstratio est discursus cum reali causalitate principiorum in conclusiones: sed realis causalitas effectiva esse nequit sine reali distinctione effectus, & causa, quia idem non potest realiter seipsum causare: ergo ad demonstrationem formaliter talem essentialiter exiguntur plures operationes intellectus. Hæc est ratio S. Thomæ 1. p. q. 19. art. 5. in corpore. Et sigillatim maiorem in sequentibus ostendemus; minor est per se nota in Physica; & consequentia legitima.

13 Ex quo facile solvet ultimam rationem prioris sententiæ, quam tanti (sine causa tamen) faciunt recentiores. Neganda enim est minor. Ad probationem negandum antecedens. Et non video qualiter appellatur; communis sententia duorum recentiorum, contra omnes alios antiquos, & modernos; nisi quia alios Doctores non legunt: & quod videt à suis probari, illico pronunciant non nitus placere, quasi ipsi suffragium omnium habeant.

14 Præterquam quod, adhuc dato, & non cōcesso, quod præmissæ non influerent efficienter, sed solè formaliter esset ratio cur illæ haberent rationem principij: quia possent esse causa formalis extrinseca, a qua hic, & nunc quoad nos iste assensus

dependet: quæ dependentia variatur in syllogismo à priori, & à posteriori: nam in vno effectus illuminat, & manuducit in cognitionem causæ, & in alio e contra causa illuminat, & mouet extrinsece saltem ad effectum: & non distinguere inter motiua intrinseca, & extrinseca est causa æquiocationis illorum Authorum.

15 Sed obijcies: nam vno actu valemus rem, non tantum cognoscere quidditatiue, sed etiam comprehensiuè; vt Angeli res creatas naturales comprehendunt: sed illa esset cognitio rei per suam causam: ergo esset demonstratio.

Respondetur admissa maiori; distinguendo minorem, esset cognitio per causam prius cognitam; nego minorem. Per causam simul cognitam, concedo. Vel melius esset in rigore negare minorem, quia illa esset cognitio effectus in causa, non ex causa: vnde esset demonstratio, vel virtualiter, vel eminenter; non tamen formaliter: & sic cognitio Angelica, & Diuina sunt demonstratiue, & discursiuæ virtualiter, & obiectiuè, non formaliter & subiectiuè: de quo S. Thomas 1. p. q. 14. artic. 7. & latius art. 14. & alibi sæpe.

16 Secundo obijcies: nam discursus non est operatio essentialiter distincta à secunda operatione intellectus, vt colligitur ex D. Thoma q. 14. de Veritate artic. 1. & in 3. distinct. 23. quæst. 2. art. 2. quæstiuic. 1. & probant Ferrara lib. 3. de Anima quæst. 11. & frequenter alij ex Thomistis: sed secunda

operatio intellectus est vna simplex qualitas, quia plura attingit per modum vnius: ergo pariter discursus, & demonstratio erit actus entitatiue vnus.

Possit in primis argumentum retorqueri: nam ostendimus 1. p. Metaph. Controu. 12. artic. 7. quod enuntiatio mentalis est composita qualitas, quamuis compositio sit simplex; ergo à fortiori totus syllogismus, & demonstratio erunt plures qualitates: quia minorem unitatem habet syllogismus, quàm enuntiatio, cum syllogismus componatur ex orationibus.

17 Sed quia conclusionem præsentem certior arbitror, quam quod mentalis enuntiatio sit composita; adhuc dato quod esset simplex, responderetur quod syllogismus, & demonstratio necessario dicunt discursum causalitatis præmissarum in conclusionem: & cum idem non possit se ipsum causare; eo ipso actus sunt realiter distincti, quia est artificium ipsarum enunciationum. Vnde admissa illa opinione, erit differentia, quod secunda operatio dicit compositionem eorum, quorum vnã attribuitur alteri, syllogismus vero significat collectionem orationum, vt dictum est. Et ly ergo dicit ipsarum connectionem, & causalitatem; non vero significat totam demonstrationem, sed partium illius ordinem.

\*\*\*

§. IV.

*Possunt eodem actu attingi conclusio, & principia.*

18 **D**ico secundo; eo ipso quod cognoscantur principia, ut principia sunt, cognoscitur in illis conclusio, saltē implicite, virtualiter, & secundario; & eo ipso quod cognoscatur conclusio formaliter ut demonstrata, cognoscuntur principia ut motiuū formale extrinsecū essendi. Hanc conclusionē probant duo argumēta M. Soncinatis: & ambo videntur desumpta ex D. Thoma 1. 2. q. 8. art. 3. & q. 2. art. 4. vbi ut probet, quod vnus, & idem actus voluntatis est circa finē, & in id quod est ad finē, sic ait: cuius ratio est, quia finis, ratio est volēdi ea, quæ sunt ad finē: idē autē actus cadit super obiectū, & super rationē obiecti; sicut eadem visio est coloris, & luminis, ut supra dictū est, Et est simile de intellectu; quia si absolute principium, & conclusionē cōsideret, diuersa est cōsideratio vtriusque: in hoc autem, quod cōclusioni propter principia assentit, est vnus actus intellectus tantum. In quibus verbis, & conclusio, & omnes eius probationes habentur. Eademque est communis Theologorū, ut decem, & nouem relatis, ostendit nouissime M. Baptista 2. tomo. 1. 2. disp. 109. n. 82. & hoc, & non amplius probat ratio adducta n. 3. ut consideranti per se notum erit.

19 Dico tertio; aliquando intellectus eodem actu expresse forma-

liter, & in recto attingit conclusionem, & principia, & è contra principia, & conclusiones, quando videlicet, conclusio videt in principiis, vel principia in conclusione; quamuis nō semper sit necessariū, sed sufficiat attingere virtualiter, in obliquo, & extrinsece. Ita Capreolus in 1. dist. 1. q. 1. ad arg. contra 4. Ferrara 1. cōtrag. cap. 87. Caietanus 1. 2. q. 8. art. 3. §. *Ad hoc euidētā*, & late Baptista ibi n. 10. & n. 110. & 119. plures citans. Et probatur primo, ex perientia. Secundo, exemplo voluntatis, quæ hoc modo potest versari circa finem, & media. Tertio, exemplo motus progressiui: quod exemplum omnino est aptum, quia diximus n. 10. quod discursus, & demōstratio quemdam motum nominant. *Que argumenta latius alij prosequuntur.*

20 Nobis sufficiat ratio à priori tacta à D. Thoma q. 22. de Veritate art. 14. nam vnitas actus sumitur ex vnitate obiecti: sed contingit principia, & conclusionē preponi, ut vnū obiectum: ergo vnico actu attingetur vtrumque. Probatur minor: cōminia, quæ sunt ad inuicem ordinata sunt vnum in ordine, quoad inuicē ordinantur; quamuis in se materialiter sint plura: sed principia, & conclusio accipiuntur ut ad inuicē ordinata, & ut vnum est motiuum, & ratio aliud cognoscendi: ergo accipiuntur ut vnum obiectam; ac per consequens vno actu attinguntur.

Dices, actus esse plures in esse rei; vnum tamen sola vnitate ordinis; sicut, & obiecta sunt plura in re, & sola vnitate ordinis sunt vnum.

21 Sed contra: nam vnitas, quæ in esse rei est solum vnitas secundum quid, solet in esse intelligibili esse vnitas simpliciter; sicut cum plura per modum vnus cognoscimus, & cum Metaphysicam dicimus esse vnã scientiam secundum speciem infimam; quæ tamen tractat de ratione vna in esse rei solum vnitate analogã: quia agit de omni ente. Ergo cum in casu præsentis accipiantur principia, & conclusio vt cadunt sub vna ratione formali, actus qui versatur circa illa erit vnus simpliciter.

22 Iterum dices: vel principia sunt motuum extrinsecum assensus conclusionis; vel intrinsecum? si primum dicatur; ergo nõ possunt vno actu attingi. Si verò sunt motuum intrinsecum, non possunt attingi pluribus actibus; & ideo non apparet qualiter conclusiones istæ possint esse simul veræ.

Respondetur, quod intellectus noster potest adunata dividere, & diuisa adunare: si considerat principia secundum se, attingit motuum extrinsecum assensus conclusionis: si verò ipsa considerat prout rationem assentiendi, iam considerat vt motuum intrinsecum, vel explicitè, vel implicitè prout se extendit attentio, & perspicacitas cognoscentis: vnde S. Thomas 1. 2. quæst. 17. artic. 6. ad 2. ait, quod *in cognitione conclusionum participatur cognitio principiorum.*

23 Rursus obijcies: assensus præmissarum est causa assensus conclusionis: sed idem non est causa sui: ergo præmissæ, & conclusio

non possunt attingi eodem actu.

Respondetur, quod quando sunt actus diuersi, vnus realiter alium causat; quando verò est actus vnus, virtualiter vna ratio est ratio alterius, vt in transcendentibus, & in diuinis attributis solet dici.

24 Denique instabis: nam actus idem numero non potest esse simul à duplici habitu: sed actus quo attinguntur simul principia, & conclusiones videtur esse ab habitu principiorum, & ab habitu scientiæ, qui sunt habitus distincti, vt patet ex Philosopho 2. Poster. & 6. Ethicorum; quia non est cur potius sit ab vno, quam ab altero: ergo non est actus entitativè vnus.

Tangit hanc difficultatem S. Thomas quæst. 22. de Veritate artic. 14. ad 3. & respondet, quod principia secundum se, sunt ab habitu principiorum, conclusiones verò prout illatæ, sunt ab habitu scientiæ: *Sed quando consideratur principium in ordine ad conclusionem, est eadem consideratio vtriusque, sicut fit in syllogismo: & ita est ab habitu scientiæ.* Quando autem conclusio secundario, & virtualiter videtur in principio, potest vtrumque attingi ab habitu principiorum: & sic ait Soncinas solutione ad 1. vbi supra, potest dici, quod primario terminatur ad principia, & secundario ad conclusionem, quasi ipsam intelligat in suis principijs: sicut eadem visio prius natura terminatur ad speculum, quam ad res in eo representatas. Frequentius tamen vtrumque attingitur ab habitu scientiæ, vel sapientiæ; de qua qualiter versatur.

setur circa principia, diximus 1. .  
Metaphys. controuersia 4. articulo 3.

Alia argumenta conferendo doctrinam conclusionum adinui-  
sem, solutionem accipient.

## QVÆSTIO IV.

*De causalitate præmissarum, seu principiorum in conclu-  
sionem?*

### § I.

*Sententia negans causalitatem effectiuam.*

**A**Rbitratur aliqui præmissas ad conclusionis assensum solum concurrere formaliter, & illuminatiue; non verò effectiue influere in assensum conclusionis. Ita Valentia 1. 2. disp. 2. quæst. 4. puncto 2. Hurtado disp. 7. de Anima sect. 8. Arriaga disp. 15. Logicæ sect. 5. & alij Recentiores, qui intrepide proferunt esse communem. Probant primo: quia non sunt multiplicandi influxus sine necessitate; at vt intellectus illuminetur per præmissas de connexionē extremorum cum medio, nullam habet necessitatem influxus actus physici præmissarum; non est ergo ponendus.

2. Secundò, à simili. Voluntas per solam propositionē obiecti absque concursu effectiuo cognitionis determinatur sufficienter ad amandum: ergo etiam intellectus per solam propositionem formalem con-

nexionis extremorum cum medio sine concursu effectiuo illius propositionis, sufficienter determinabitur ad assensum conclusionis.

Tertio: nullus actus vitalis intentionalis physice in alium influit; quia hoc est proprium potentia, & habitus influere physice; sed actus tantum influit directiue, sicut influit cognitio ad volitionem, & intentio ad electionem: sed præmissæ, de quibus modo loquimur, sunt actus vitales intentionales: ergo præmissæ non induunt efficienter in conclusionem.

3. Quarto: nam causa efficiens non operatur nisi in quantum est in actu: sed quando intellectus assentitur conclusioni iam non sunt præmissæ: ergo istæ non influunt efficienter in conclusionem. Probat minor: primo, quia docet S. Thomas 1. p. quæst. 14. art. 7. discursum syllogisticum secundum causalitatem includere discursum secundum successione: *procedentes enim à principijs ad conclusiones non simul vtriusque considerant.* Deinde probatur: nam generaliter docet S. Thomas 1. p. quæst. 58. art. 2. & quæst. 85. art. 4. quod intellectus non potest multa simul intelligere, eo quod non potest plures actus simul elicere: ergo cum est assensus conclusionis, præmissæ non existunt; ac proinde non influunt efficienter in conclusionem.

## §. II.

*Sententia S. Thomæ, communis,  
& vera, agnoscit influxum  
effectiuum.*

**4** Dico tamen primò; præmissæ concurrunt in genere causæ efficientis ad assensum cõclusionis. Ita Philosophus 2. Physicorû tex. 31. vt exponit S. Thomas ibi lectio ne 5. in fine: vnde ipse S. Thomas 1. Posteriorum lectione 3. littera a. in fine ait; *principia se habent ad cõclusionem vt demonstratiui; sicut causa actiua in naturalibus ad suos effectus: vnde in 2. Physicorum propositio nes syllogismi ponuntur in genere causæ efficientis.* Idem docet libro 5. Metaph. lect. 3. in principio. Et libro 1. contrag. cap. 57. & 1. p. quæst. 14. art. 7.

Quare ita tenent concorditer Thomistæ omnes, & communiter Interpretes Aristotelis, & S. Thomæ. Item Gabriel q. 8. Prologi. Toletus, quem refert, & sequitur Rubio quæst. 5. & esse Doctõrum omnium firmatam consensu (vno, aut altero excepto) dicit Cabero tractatu 7. disp. 1. dub. 4. referens Molinã, Vazquez, Suarez, Lorcã, & alios. Plures etiam citant PP. Carmelitanum disp. 17. quæst. 3. vt perpendas, quam diligentiam adhibuit. Arriaga in authoribus euoluendis, cum pronunciat suam sententiam esse communem.

5 Ratione probatur, primo à simili: nam vt iam diximus ex Philosopho, & D. Thomæ, sic se habet principium in speculabilibus sicut

finis in appetibilibus: sed voluntas finis, seu actus intentionis physice efficienter, vt quo, concurrat ad electionem, vt docent cum S. Thomæ 1. 2. quæst. 9. artic. 3. vbi communiter expositores, vt refert, & sequitur nouissime M. Baptista 2. tomo 1. 2. disp. 117. per totam: ergo pariter assensus præmissarum est causa efficiens assensus conclusionis.

6 Secundò probatur ratione à priori: illud quod se habet vt forma qua agens agit, vel eius completã actiuitatem, vel intrinsece determinat, verè, & propriè actiue physice influit in actum: sed assensus præmissarum sunt quibus intellectus cõstituitur complete potens ad assensum conclusionis, & ad eam determinatur intrinsece: ergo actiue influunt in cõclusionem. Maior patet, primò; quia forma agentis est quo agens agit, & ideo in 2. Physic. forma ponitur in genere efficiens vt eius virtus. Secundo constat inductione nã calor est principium formale & est quo efficiens agit, & pariter species intelligibilis est forma qua cõpletur potentialitas intellectus; & ideo cõcurrit actiue ad intellectiõnem, & sic de alijs. Minor verò probatur, nam intellectus non habet vim proximam ad eliciendã cõclusionem nisi actuetur cognitione principiorum, in quibus continetur.

7 Tertio id explicatur: sicut causæ naturales cõtinent suos effectus, ita principia cõtinent suas cõclusiones: vnde S. Th. q. 8. de Verit. art. 4. docet, quod quanto aliquis causam aliquam perfectius cognoscit, ex

cognitione causæ in plurimum effectum cognitionem deuenire potest; sicut ille, qui perfectius aliquod principium demonstrationis cognoscit, plures conclusiones ex eo deducere potest; sed ex continentia effectuum in causis optime deducitur vis effectiua causarum; ergo ex continentia conclusionum in principijs bene inferitur actiuitas principiorum.

8 Et confirmatur primo: nam intellectus postquam præbet assensum principijs est necessitatus, non tantum obiectiue, sed etiam subiectiue ad conclusionis assensum, vt postea diceretur: sed necessitas obiectiua, & quoad speciem prouenit à causalitate obiecti extrinseca: ergo necessitas subiectiua correspondet influxui physico principiorum.

Confirmatur secundo: quia demonstratio essentialiter est discursus, & non quilibet, sed secundum illationem, & causalitatem: sed à cillatio, & causalitatis nõ cõsistit in alio, quàm in influxu physico principiorum in conclusionem: ergo negari nequit hoc genus causalitatis. In quo autem cõsistat? disputabitur in libris de Anima; si Deus dederit.

9 Ad primum nego minorem, quam ipsi non probant; & rationes nostræ conclusionis satis improbant.

Ad secundum posset negari maior: quia amor etiam procedit à verbo, vel obiecto cognito in genere causæ efficientis, vt indicat S. Thomas quæst. 22. de Verit. art. 12. & 1. p. q. 14. art. 5. ad 3. & alibi sæpe, & tenet Cassianus 1. p. q. 80. art. 2.

& 1. 2. q. 9. art. 1. & ibi Contradus notab. 3. & alij: ex quorum doctrina posset pro nobis retorqueri argumentum.

10 Sed quia opposita sententia est cõmunior, videlicet, quod actus intellectus nullo modo cõcurrit in genere causæ efficientis ad actum voluntatis; vt indicat S. Th. 1. 2. q. 9. art. 1. ad 3. & 1. p. q. 82. art. 4. & ibi expositores, de quo non est hic locus disputandi. Ideo concessio antecedenti, nego consequentiã: & ratio disparitatis est: nam tunc forma concurret actiue ad actionem; quando constituit agens in actu primo ad actionem, non verò quando supponit actum primum constitutum ab alia forma. Obiectum voluntati propositum est causa formalis extrinseca, quæ supponit voluntatem in actu constitutam; in quo differt ab intellectu, vt sumitur ex D. Th. 1. p. q. 27. art. 4. & ideo quamuis voluntas nõ concurrat efficienter ad actum intellectus; tamen vnus actus intellectus influit in alium actum in genere causæ efficientis; & in ipsa voluntate intentio est causa efficiens electionis.

11 Ad tertium respondetur, quod vt ait S. Thomas q. 22. de Veritate art. 12. cū in qualibet actione duo considerentur, scilicet, agens, & ratio agendi, vt in calefactione, igitur est agens, & ratio agendi calor; seu alijs terminis, alia est causa efficiens vt quod, & elicitue, & alia vt quæ, & determinatiue. Faremur ergo quod solus intellectus determinatus per species, & per habitus elicit electionem quasi vt quod; ceterum cum vt

quo cōstituitur in actu, & determinetur per cognitionem principiorū, & inde necessitetur ad assensum cōclusionis, consequenter affirmandū principia influere active ut rationē agendi, ut cum cōmuni expositorū tenet nobiscū Auerſa q. 25. sect. 3. quia assensus consequentis illatiue, & impulsivæ deducitur ex assensu antecedentis, & hoc determinat physice ad illius cognitionem,

## 6. III.

*Utrum necessario assensus principiorum sit simul cum assensu conclusionis?*

12. **A**D quartū ut respondeatur, præmittendum est aliquos circa hoc per duo extrema fuisse opinatos. Nam Capreolus in 2. dist. 3. q. 2. ad 1. cōtra 6. pagina 180. existimat ad discursum proprie dictū requiri, quod prius duratione præcedat cognitio principiorū: nam dicit S. Th. 1. p. q. 58. art. 3. & q. 8. de Veritate artic. 15. quod discurrere proprie est ex vno in cognitionem alterius devenire. Vnum autem ex alio cognoscere, sine actu reali successione non contingit.

13. Per oppositū Arriaga disp. 15. Logicæ sect. 5. in principio, dicit requiri coexistentiā utriusque præmissæ in instanti conclusionis: quā dicit conclusionē communem inter omnes: & probat, quia nec formaliter, nec effectivè influere possunt nisi actu existant, quia præcessisse in instanti antecedenti est denominatio extrinseca, quæ nil iuvat ad nunc

causandum: sicut lux præcedens, modo non potest illuminare, nec calor præteritus modo valet calefacere.

14. Addit Cabero tract. 7. disp. 1. dubio 8. hanc dependentiam esse ita essentialē, ut adhuc per Dei absolutam potentiā cōclusio nequeat sine præmissis esse; licet præmissæ sine cōclusionē esse possint Dei virtute. Cuius ratio est: nam quatenus conclusio, dicit respectum transcendentem essentialē ad præmissas existentes; sicut, & actus vitalis essentialiter pendet à principio vitali: nā de essentia cōclusionis est, quod eliciatur, & inferatur ex præmissis.

15. Verumtamen, dico secundo, assensus maioris potest tempore præcedere assensum minoris; posito tamē assensu utriusque præmissæ, simul tempore est assensus conclusionis, quāvis posterius natura. Ita Philosophus hic, & S. Thomas lect. 2. & 6. & Doctores cōmuniter ut ostendunt PP. Carmel. disp. 17. q. 4. & P. Auerſa q. 24. sect. 2. citans Scotū in prologo sent. q. 4. laterali, & 1. Post. q. 8. Et inde facile percipies quantum decipiatur, qui huius oppositū dicit esse cōmunē omnium. Et ratio est facilis, quia maior est causa inadæquata, & quasi incompleta conclusionis; unde illa posita, non illico ponitur cōclusio. Quoad secundam partē probatur: quia causæ naturales non impeditæ naturaliter statim producant suos effectus: principia autem sunt causæ naturales conclusionis: ergo statim eam producant,

Deinde, ut pluribus ostendit M. Soto hic q. 1. ad 6. notitia intellectus

producitur in instanti: sicut, & de illuminatione docet Philosophus 2. de Anima tex. 70. & experientia ipsa fit manifesta: ergo positis principijs, quibus completur vis actiua intellectus, in eodem instanti elicetur assensus conclusionis. De quo amplius dicitur sequenti questione.

16 Dico tertio, conclusio non petit essentialiter præmissas actu existentes; sed sufficit quod præcesserint, & virtualiter maneant. Hæc conclusio apud eos, qui arbitrantur intellectum à præmissis non necessitari quoad exercitium, non solum de potentia absoluta, sed de facto defenditur: & satis faciliter: nam sicut electio causatur ab intentione virtualiter perseverante, & proiecta mouentur ab impulsu; ita præmissæ possunt virtualiter manere, vel in aliqua specie, vel in memoria medijs, & sic causare: sicut animal causatur à semine decesso generatis iam mortui.

17 In omnium autem sententia, certa mihi videtur de potentia absoluta. In primis, quia M. Soto ad 4. iam diu notauerat, quod regula Aristotelis solum intelligitur naturaliter. Secundo, quia non requiritur quod Deus suppleat cōcursum causæ formæ, sed solū exigitur, quod causa formalis extrinseca existat, virtualiter: quod absque vilo miraculo sæpe contingit. Rursus, in entibus successiuis diximus 2. p. Metaph. controu. 13. art. 1. non solum id nō repugnare, sed esse necessariū, quod causa desinat, cū incipit effectus: ergo qui diceret syllogismum esse quasi motum, & præmissis desi-

nētibus incipere cōclusionē, nil falsum diceret: loquendo præcipue de possibili, non solum miraculose: sed quia sæpe post præmissas, de sola conclusione cogitamus. Licet autē, qui nunquam formauit præmissas, nō possit elicere conclusionē: nulla tamen apparet repugnātia, quod diuinitus præmissæ sint in vno instanti, & conclusio in alio. Imò fortè regulariter ita contingit, vt indicant auctoritates S. Thomæ adductæ n. 3. & n. 12.

18 Ad auctoritates simul, & ad argumentum, posset facile responderi, si vera esset sententia M. Soto hic q. 1. ad confirm. 4. arg. & Vazquez 1. p. disp. 220. cap. 2. & aliorū dicentiu ponē intellectū intelligere plura per modum plurium; quauis non ita perfecte, sicut si vnumquodque per se intelligeretur.

19 Quia tamen oppositum manifeste indicat S. Thomas locis citatis; ideo aliter responderetur, cum Ferrus lib. 1. contrag. cap. 55. *considerandum*. Bañez 1. p. q. 58. artic. 2. & q. 85. art. 4. quod intellectus non potest habere simul plures actus disparate se habentes, & sine connexionē; bene tamen cū: sunt connexi, & vnus ordinatur ad alium: & ideo bene possunt esse simul in intellectu assensus antecedentis, & consequentis, quia adiuticem connexionem habent, & sunt aliquo modo vnum. Et ita in simili respondet S. Thomas locis citatis, & Scotus 1. Posteriorum q. 8. de quo latius in libris de

Anima.

\*\*\*

Kk4

QVÆS.

## QVÆSTIO V.

*Veritas assensu præmissarum neces-  
sitate intellectus ad assen-  
sum conclusionis?*

## §. I.

*Certa præmittuntur.*

**N**Otandum ex D. Thoma 1. 2. q. 9. art. 1. quod potentia animæ dupliciter sunt in potentia ad operationes: vno modo quantum ad agere, vel non agere; alio modo quantum ad agere hoc vel illud: sicut visus quandoque videt actu, & quandoque non videt; & quandoque videt album, & quandoque videt nigrum. Hinc nascitur, quod dupliciter potentia necessitantur, seu non possunt non operari: vno modo quoad specificationem actus, quæ sumitur ab obiecto: quia si operentur, necesse est ad hanc speciem actus determinari, & non ad aliam: alio modo quoad exercitiū, vel vsum actus; quæ determinatio est ex parte subiecti, quod quandoque inuenitur agens, quandoque non agens. Necessitas autem quoad specificationem subdiuiditur à D. Thoma 1. 2. q. 17. art. 6. nam potest esse necessitatus quis, vel ad apprehendendum, vel necessitari potest ad assentiendum alicui obiecto, vt ibi late declarat.

2 Dico ergo primo; posito assensu principiorum demonstrationis, & cognita bonitate consequentia, intellectus necessitatur ad assen-

tiendum conclusioni quoad speciem, ita vt non possit dissentire. Colligitur ex Philosopho hic cap. 1. & est cõmunis Interpretu. Et probatur à D. Thoma 1. p. q. 82. art. 2. his verbis: quædam propositiones sunt necessariæ, quæ habent connexionem necessariam cum primis principijs; sicut cõclusiones demonstrabiles, ad quarum remotionem sequitur remotio primorum principiorum: & his intellectus ex necessitate assentit, cognita connexionem necessariam conclusionum ad principia per demonstrationis deductionem: non autem ex necessitate assentit antequam huiusmodi necessitatem connexionis per demonstrationem cognoscat.

3 Ex quo sic in forma probatur primo: si forte assensu præmissarum, & cognita necessitate connexionis, dissentiret intellectus cõclusioni, assensum præberet formaliter, vel virtualiter duabus contradictorijs: sed hoc esse falsum est per se notum: ergo necessitatur intellectus quoad speciem ad assentiendum, seu non dissentiendum conclusioni in casu prædicto. Probatur maior: qui dissentit conclusioni, formaliter, vel virtualiter assentit eius contradictorio: sed hoc est in re assensum præbere contradictorio principiorum, quibus iam præbuerat assensum: ergo iam cogitur assentiri duabus contradictorijs.

Secundo probatur, nam verum vero consonat: ergo cognita veritate principiorum, & necessitate connexionis conclusionis, quæ inde inferatur, non potest non iudicare intellectus illam esse veram: quia ex vero non potest sequi falsum; ergo non

potest illi dissentire: cum sit principium primum per se notum quod non est simul affirmare, & negare, quia quodlibet est, vel non est: de quo Philosophus, & S. Thomas 4. Metaph. lect. 6. & 1. 2. quaest. 94. art. 2.

4 Tertio probatur experientia: nam supposita notitia terminorum, & cognito, quod omne totum est maius sua parte, & quod totus homo est totum, & quod caput est pars, nequit homo dissentire, dicendo, quod maius est caput, quam totus homo; & sic de alijs syllogismis evidentibus: ergo in istis supposito assensu praemissarum, & cognita connexionem, & bonitate consequentiae, non potest dissentire intellectus consequenti.

§. II.

*Vtrum in probabilibus necessiteretur intellectus quoad specificationem?*

5 **H**oc cum certum sit, & communiter admissum; duo controuersuntur. Primo vtrum etiam in syllogismis probabilibus verificetur praecedens conclusio? Secundo vtrum in demonstratiuis, non solum quoad speciem, sed etiam quoad exercitium necessiteretur intellectus ad conclusionis assensum?

6 Circa primum: Didacus à Iesu diso. 16. quaest. 4. Hurtado disp. 7. de Anima lect. 4. Cabero hic disput. 1. dub. 7. & alij opinantur, etiam in probabilibus, ex suppositione assensus praemissarum, si consequen-

tia sit bona, necessitari intellectum ad assensum conclusionis: quia sicut necessarium est conclusionem deductam ex principijs necessarijs esse necessariam; sic necessarium est conclusionem recte deductam ex principijs probabilibus, esse probabilem: ergo sicut non potest intellectus dissentire priori conclusioni vt necessariae, sic non potest intellectus dissentire probabilitati conclusionis probabilis: est enim necessarium esse probabilem.

7 Per oppositum alij arbitrantur praemissas probabiles non necessitare intellectum, nec quoad specificationem. Ita Combricensis hic capit. 1. q. 4. art. 3. & 4. & M. Ioannes à S. Thoma quaest. 24. artic. 3. in principio: Probant, quia statibus praemissis probabilibus, possunt occurrere aliae aequae probabiles, vel probabiliores; vt experientia patet, cum aliquid problematice defendimus, vel disputamus: ergo poterit intellectus ex vi illarum elicere assensum oppositum conclusioni priorum principiorum, vel praemissarum.

Secundo, quia intellectus non necessitatur à probabilitate, sed ab euidencia: & ita adhuc concessis praemissis, potest dissentire conclusioni examinando praemissas, vel retrocedendo, & eas negando: vnde necessitatur intellectus secundum quid in vi consequentiae, non in vi veritatis illatae.

8 Iudico vtramque sententiam; congrue explicatam, esse simul veram. Quod percipietur notando cum Mag. Soto 1. Posteriorum capite vltimo quaest. 8. art. 2. quod o-

pinio multis modis generatur; primo ex terminorum in euidentiâ; secundo ex præmissis euidetibus per ineuidentiâ; consequentiâ, quæ ex terminis ipsis est in euidens; & tertio ex coniecturis: quorum exempli subijcit. Ad nostrum intentum habemus, quod in intellectu potest esse assensus opinatiuus, vel probabilis, vel de ipsa connexionem, & illationem; vel de propositione illata: sicut potest habere euidentiâ, & de veritate propositionum, & de de bonitate illationis, & qualibet euidentiâ deficiente, cognitio euadit opinatiua; quia id quod in re est euidens accipitur cum formidine, & quod in re est, essentialiter conexum cum alio, potest ab imperfecte cognoscente, vel cogitari, vt non conexum, vel cum formidine de necessitate connexionis.

9 Dico igitur secundo; quando illatio est necessaria, & vt talis percipitur ab intellectu, semel concessis præmissis, non potest dissentire conclusioni; etiâ si præmissæ solum sint probabiles. Quando vero illatio est solum probabilis, etiâ si sint concessæ præmissæ, siue vt euidentes, siue vt probabiles; nõ necessitatur intellectus ad non dissentendum conclusioni. Hanc secundam partem probant fundamenta secundæ sententiæ: & videtur desumpta ex D. Th. 1. q. 82. art. 2. & 1. 2. q. 17. art. 6. Priorem vero damus argumentis prioris sententiæ. Quæ confirmantur ex dictis lib. 3. Dialecticæ capite tertio num. 1. exponendo definitionem syllogismi, circa quam notatũ est cum M. Bañez, quod si

recte præmissæ sunt dispositæ, non solum cum tantum sunt probabiles; sed etiam cum sunt falsæ, eis semel admissis, nequit consequens negari, propter vim illationis: & ad hoc ordinatur tota vis formæ disputandi; intendimus enim argumentando aliũ conuincere ex concessis ab ipso.

10 Vtramque autem partem conclusionis esse simul verã, clare percipitur ex prænotatis: quia clare patet hæc duo iudicia non opponi: hæc est in se solum probabile, hoc admissio, euidenter hoc ex illo deducitur: nam obiecta sunt diuersa; si quidem vnum fertur ad illationem consequentiæ; & aliud ad necessitatem consequentis: & de opinione habemus scientiã, quod est opinio. Imo diximus lib. 1. q. 3. n. 16. ex D. Thoma, nos habere scientiã, quod syllogismus sophisticus generat apparietiam, & quod erroneus facit errare, scientiã demonstratur. Potest ergo quis necessitari vi illationis, & ex suppositione, non poterit negare consequens, nisi retrocedendo, & negando præmissas, quas incaute admissit: & tamen non necessitabitur omnino, nec ex necessitate consequentis absolute, & in se.

§. III.

*Vtrum necessitetur intellectus e-  
tiam quoad exercitium.*

11 I N secundo puncto etiã sunt duæ opiniones. Prima asserit supposito assensu præmissarum; & cognita bonitate consequentiæ, intellectum necessitari etiam quoad exercitium. Ita Sanchez lib. 7. q. 3. concl. 3. PP. Carmel. disput. 17.

q. 4. num. 40. M. Ioan. à S. Thoma  
q. 24. art. 3. M. Ortiz. tractatu 6. cō  
fert 1. §. 4. Item Fonseca 6. Metap.  
cap. 1. q. 4. sect. 4. & alij quos citat,  
& sequuntur Conimbr. vbi supra:  
& est fere cōmūnis intermodernos.

12 Probant primo, ex D. Th. 1.  
p. q. 82. art. 2. & 1. 2. q. 17. art. 6.

Secundo: nam Philosophus, &  
S. Thom. hic lect. 2. docent, quod  
minor, & conclusio simul tempore  
cognoscatur, quamuis minor prius  
natura: ergo posito assensu præmis-  
sarum, non potest voluntas impe-  
dire assensum conclusionis, siquidē  
necessario sequitur ad assensum præ-  
missarum in eodem instanti.

13 Tertio, & vrgentius: quia in-  
tellectus non est potentia libera,  
sed naturalis: sicut visus, aut qua-  
libet alia potentia sensitua: ergo si se-  
mel permittitur cogitare de præ-  
missis, & de bonitate illationis, ne-  
cessario assentietur conclusioni.  
Probatur cōsequētia; primo, quia  
causa necessaria positis omnibus re-  
quisitis ad operandum, non potest  
non operari. Secundo probatur cō-  
sequētia exemplo potentia visui-  
uæ, quam voluntas potest retrahere  
à visione claudendo oculos, vel au-  
ferendo obiectū, aut lucē, implicata  
mē quod imperetur illi ne videat a-  
pertis oculis applicato obiecto, & lu-  
ce, & potētia expedita, & applicata.

14 Nō desunt tamē, qui opinentur,  
adhuc cōcessis præmissis, & cog-  
nita necessitate illationis, nō neces-  
sari intellectū quoad exercitiū; sed  
solū quoad specificationē. Citatur  
Oñahic q. 1. art. 3. & tenēt Rubio  
q. 8. dicens eam tenere maiore par-  
tem recentiorū. Auerſa q. 25. sect.

3. & alij.

Suadetur primo ex D. Thoma. 1.  
2. q. 9. art. 1. ad 3. docente, quod in-  
tellectus quantum ad exercitiū ac-  
tus subditur voluntati: ergo stante  
assensu præmissarum, ex imperio  
voluntatis potest suspendi actus in-  
tellectus circa conclusionem.

Secundo: nam vt docet S. Th. 12  
2. q. 50. art. 1. & 3. potentia omni-  
no necessaria nō est capax habitus;  
vt patet in potētia visua: sed adhuc  
cognitis principijs per habitū intel-  
lectus, indiget potentia habitu sciē-  
tia circa assensum conclusionis: es-  
go aliquam habet libertatē in assen-  
su conclusionis: minima autem li-  
bertas est quoad exercitiū; ergo  
hanc habet intellectus, etiā ex sup-  
positione assensus præmissarum.

15 Probatur tertio: nam aliqua  
principia cōtinēt duas cōclusiones,  
alterā directā, & alterā indirectā:  
cōstat enim quod ex eisdem princi-  
pijs elicitur cōclusio in *barbara*, &  
*baralipso*: ergo posito præmissarū as-  
sensu, intellectus nō necessitatur de-  
terminare: ergo poterit esse suspēs?

Dices, necessitari ad cōclusionē  
directā, quia cōclusio indirecta, nō  
nisi mediate infertur.

Sed cōtra: nā experimur nos im-  
mediate formare cōclusionē in *ba-  
lipso*, absq; eo quod eam prius for-  
memus in *barbara*. Secundo, nō est  
per quid necessitetur intellectus ad  
deducendū immediatā, quia potest  
cognoscere eo ordine quo voluerit  
volūtas. Tertio, nā possumus cog-  
noscere tertiā passionē nō cogitādo  
de secūda: ergo possum⁹ deducere  
secūda cōclusionē, nō cōsiderando  
primam.

Alj

Aliter. respondent alij nempe Hurtado 1. 38. & Cabero dub. 6. ad 2. vtramque conclusionem simul eliciendam, si ad vtramque attendat intellectus, & ad vtramque habeat virtutem. Si autem virtus esset limitata ad vnam e duobus, daretur optio voluntati, vel determinabitur a causa prima.

Huic tamen solutioni manifeste aduersatur experientia: quia videmus frequentissime nos formare syllogismos concludentes directe nihil cogitando de alia conclusione indirecta ibi contenta. Deinde, si in aliquo casu datur optio voluntati, vel expectatur determinatio a causa prima; ergo ab intrinseco non est necessitas simpliciter quoad exercitium: nam cum ista adest ab intrinseco non possumus his, & nunc non agere.

17 Posset ultimo probari haec sententia: nam conclusioni syllogismi practici etiam concessis praemissis non necessario assentimur; ergo pariter nec conclusioni syllogismi speculativi.

### §. IIII.

*Non necessitatur intellectus quoad exercitium.*

18 **H**aec sunt argumenta, quae pro vtraque extrema sententia reperiuntur in authoribus: vt nostram proferamus recolendum ex dictis quest. 3. quod intellectus dupliciter assentitur conclusioni: vno modo in principiis, in quibus sunt virtualiter, & in potentia, & in con-

fuso: alio modo in se ipsis, formaliter, & in actu, & explicitè, per actum expressum realiter distinctum a priori actu, quo conclusiones videntur in principiis ipsa visione principiorum: sicut alia est visio qua hominem video in speculo, & alia est qua hominem video in se ipso: quo exemplo ad hoc intentum videtur S. Thomas quest. 8. de Veritate art. 15.

19 Dico tertio; posito assensu praemissarum non potest non intellectus in exercitio assentiri praemissis implicite, & virtualiter: & regulariter assentitur illis, etiam explicitè, & formaliter; quamuis per alium actum realiter a priori distinctum. Hanc conclusionem probant, quae pro prima sententia adduximus numero 12. & 13.

20 Dico ultimo; stante assensu praemissarum, & cognita bonitate consequentiae, potest voluntas detinere intellectum ne eliciat assensum explicitum conclusionis, vel diuertendo ad aliud obiectum, vel actum intellectus suspendendo. Nota quod non solum dicimus; quod voluntas potest imperare ne intellectus consideret praemissas; sed asserimus, quod adhuc non impedita consideratione, & assensu praemissarum, potest voluntas duobus modis praedictis facere ne intellectus exercent assensum explicitum conclusionis in se ipsa. Praeter adducta pro secunda sententia, cum qua concordamus (si in isto sensu loquatur) probatur conclusio.

21 Primo ex D. Thoma 1. 2. quest.

quæst. 10. art. 2. ubi ut probet, quod quoad exercitium actus voluntas à nullo objecto ex necessitate mouetur; talem assignat causam: *potest enim aliquis de quocumque objecto non cogitare.* Vbi si ex suppositione admitteretur alius, actus necessarius quoad exercitium præter cogitationes indeliberatas, & visionem Dei in patria, ratio S. Thomæ esset nulla, ut patet legendo Caietanum, & alios expositores ibi.

Secundo: 1. p. quæst. 80. artic. 2. etiam solam necessitatem quoad specificationem concedit; ut ibi interpretatur Caietanus §. *Aduerte secundo*, & sic quoad exercitium negat necessitari.

22. Clarius id docet 1. 2. quæst. 17. artic. 6. ut ibi notat Conradus §. *Manifestat.* Idem dicit S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 9. ad 2. distinguens, quod in scientia duo possunt considerari, scilicet; ipse assensus scientis ad rem scitam; & consideratio rei scite; assensus autem scientiæ non subicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis; & ideo assensus scientiæ non est maritimus. *Sed consideratio actualis rei scite subiacet libero arbitrio; est enim in potestate hominis considerare, vel non considerare; & ideo consideratio scientiæ potest esse maritima, si referatur ad finem charitatis, &c.* Quasi dicat, scientia quoad specificationem necessitat ad assensum; & ideo ex hac parte non est maritimum; sed quoad exercitium est libera; & ideo ut sic capax mariti: quia non solum est maritimum in considera-

tione principiorum; sed etiam in deductione conclusionum.

23. Rationem a priori non habeo aliam præter rationem S. Thomæ: nam homo habet dominium vniuersale omnium suorum actu, ita ut in eius potestate sit agere, & non agere (excipio semper visionem beatam, & actus primo primos, propter istorum, imperfectionem, & illorum maximam perfectionem) quia habet naturale dominium suarum operationum, & operatur cum vult & cessat cum illi placet; propter libertatem voluntatis, cuius nuui omnia humana subduntur. Sed ex suppositione præmissarum, & cognitione bonitatis consequentia, non coartatur hoc vniuersale dominium voluntatis; nec coartatur ut cohibere non possit actionem intellectus circa conclusionem: ergo illis statibus potest non operari. Probatur minor primo: nam post assensum præmissarum, actualis consideratio conclusionis est noua operatio intellectus, indigens n. otioe voluntatis quoad exercitium: ergo si voluntas hanc motionem suspendat, intellectus silet in medio motus, & solum cognoscat conclusionem in virtute præmissarum, & non pertinet ad cognoscendam conclusionem in se ipsa. Secundo probatur minor: quia ipsa continuatio actionis semel inchoatæ est libera, quia voluntas habet dominium, ut possit suspendere; ergo posita vna actio est in voluntate dominium, ut alia, quæ ex illa erat inferenda non sequatur.

24. Ad auctoritates responde-

tur,

tur, ibi potius haberi nostram conclusionem, quia primo in generali negat posse intellectum necessitari quoad exercitium; & distinctiones omnes quas postea subiungit, clarissime procedunt de necessitate ex parte obiecti, quæ est necessitas quoad specificationem: nam necessitas quoad exercitiū, est necessitas ex parte subiecti; de qua in principio conclusionem negatiuam proposuerat.

25 Secundo argumento probatur solum nostra tertia conclusio: quia regulariter cum necessitate quoad speciem, conformatur vsus voluntatis non impediens intellectum: cæterum non tollitur, quod ad exercendam libertatem, & plenum dominium, non possit actum intellectus impedire ne fiat; vel si inchoetur, ne plus duret.

26 Ad tertium concedo antecedens, & distinguo consequens, necessario assentietur conclusioni in præmissis; concedo; necessario assentietur conclusioni in seipsa per aliū actum realiter distinctum ab illo quo cognoscit præmissas; nego consequentiam.

Ad primam probationem concedo antecedens; ex quo solum inferatur, quod non potest non operari actum circa præmissas; non tamen habetur, quod non possit non operari actum circa conclusionem: quia ad istum non adsunt omnia requisita, quia potest desse motio voluntatis quoad exercitium, vel loco illius esse potest applicatio alterius obiecti, per attentionem ad quod impediatur intellectus à de-

ductione explicita conclusionis.

Ad secundam probationem dicitur, quod illo exemplo probatur, quod intellectus non potest non videre præmissas, & conclusionem prout ibi continetur; & quod si eliciat circa conclusionem, erit actus assensus, & non dissensus; non tamen habetur, quod omnibus modis, etiam quoad exercitium, sit necessitatus intellectus quoad assensum explicitum conclusionis in se ipsa.

27 Illud certum videtur: quod si stante assensu præmissarum, Deus suspendat, vel non conferat auxilium diuinum circa assensum conclusionis, ille non erit, quia sine diuina præmotione nil operari possumus, iuxta illud: *sine me nihil potestis facere*: unde inquit Mag. Soto quest. 1. ad 4. quod si Deus concurrat ad assensum præmissarum, & nolit concurrere ad assensum conclusionis, tunc non erunt simul assensus minoris, & conclusionis, vt alias solet connaturaliter euenire.

## QVÆSTIO VI.

*Quid sit propositio immediata; & per se nota?*

1 **A**Ntequam definitiones traditas à Philosopho de demonstratione explicemus, opus fuit hæc, & sequentem præmittere questionem, vt terminos exponeremus, de quibus fit mentio in definitione demonstrationis.

§. I.

*Quid, & quotuplex sit propositio per se nota?*

**D**E propositione immediata tria exponenda sunt, videlicet, quid sit? Quotuplex sit? Et denique quæ propositiones sint immediatæ, & per se notæ? Ut inde percipiatur, quæ propositiones sint demonstrabiles, & ex quibus principijs.

2 Dico ergo primo; idem est propositio immediata, ac prima, & per se nota, & est illa quæ caret medio quo possit demonstrari. Ita S. Thomas 1. Posteriorum lect. 4. littera, i. ubi docet, quod propositiones primæ, & immediatæ sunt, quæ non per aliquod medium demonstrantur, sed per se ipsas sunt manifestæ: quæ quidem immediatæ dicuntur, in quantum carent medio demonstrante: primæ vero in ordine ad alias propositiones, quæ per eas probantur.

Sumitur etiam ex Philosopho disente, quod *propositio immediata est, quæ non est altera prior*: quod declarat S. Thomas initio lectionis quintæ ait, dictum est supra quod demonstratio ex prioribus est: quæ docuque igitur est aliqua propositio mediata, id est, habens medium per quod demonstratur prædicatum de subiecto, oportet quod priores ea sint propositiones, ex quibus demonstraretur: nam prædicatum conclusionis per prius in est medio quam subiecto; cui etiã per prius in

est mediũ, quam prædicatum. Relinquitur ergo quod illa propositio, quæ non est altera prior, sit immediata.

3 Et hæc est ratio conclusionis; desumpta ex propria significatione terminorum. Et sic, si volumus negative significare, debemus describere propositionem per se notam; per hoc quod *caret medio*, & quod *non est alia prior*: nam illa est per se nota, quæ sine medio priori, & notiori cognoscitur. Positive autem, quid sit propositio per se nota, declarat S. Thomas hic, & 4. Metaph. lect. 5. in fine, & 1. 2. q. 54. art. 2. & 1. p. q. 17. art. 3. ad 2. *est illa, quæ statim intellectus, vel notis terminis cognoscitur*. Et omnibus istis vocibus idem exprimi, constat: quia propositio carens medio quo probetur est necessario prima, & se ipsam notificat, & manifestat; & ideo dicitur prima, & immediata, & per se nota.

4 Quod explicuit optime B. Albertus Magnus hic tractatu 2. cap. 6. exemplo visibilibus per se, & visibilibus per aliud: quia enim Sol non ab alio corpore habet lucem, ideo se ipso est visibilis, alia vero corpora, quæ recipiunt lucem à Sole, sunt per aliud visibilia. Ita cum in spiritualibus, quod manifestat dicitur lumen, quia quædã per se ipsa sunt manifestæ, ideo dicuntur per se nota quia sine medio sunt cognoscibilia: illi vero quæ per medium probantur, illuminantur, & manifestantur, sunt nota per aliud, & sunt propositiones mediatæ

5 Dico secundo; recte diuiditur propositio immediata in illam quae dicitur, *posse*; & in eam quae appellatur *dignitas*. Ita Philosophus in praesenti cap. 2. quam diuisionem declarans S. Thomas lect. 5. littera. e. ait; quod immediatum principium syllogismi est duplex: vnum quae quidem, quod dicitur positio; quae quidem est propositio indemonstrabilis; sed non ita per se omnibus nota, quod necesse sit ab omnibus instruendis per demonstrationem, per se notam supponi, & mente conspicere, siue ei assentire: vt sunt principia particularia scientiarum. Aliud immediatum principium est, quod dicitur, dignitas, vel maxima propositio; quam necesse est habere in mente, & ei assentire quemlibet, qui doceri debet: sicut est illud principium *quodlibet est, vel non est*, & similia, de quibus 4. Metaph. lect. 6. quorum contrarium nullus credere mente potest, & si ore proferat. Et ista principia vniuersalissima dicuntur dignitates, & maximae, propter vniuersalitatem, & certitudinem aptam ad alia manifestandum.

6 Dico tertio, recte diuiditur propositio per se nota in eam, quae est per se nota secundum se tantum; & in eam, quae est per se nota quoad nos. Ita S. Thomas in praesenti lectione 5. littera e, tali ratione eam explicans, & probans. Quae libet propositio cuius praedicatum est in ratione subiecti, est immediata, & per se nota, quantum est de se. Sed quarundam propositionum termini sunt tales, quod sunt in notitia

omnium, sicut ens, & vnum, & alia quae sunt entis in quantum ens: na ens est prima conceptio intellectus. Vnde oportet, quod tales propositiones non solum in se, sed etiam quoad nos quasi per se notae habeantur: sicut quod non contingit, idem esse, & non esse, & quod totum sit maius sua parte, & similia. Quaedam vero propositiones sunt immediate, quarum termini non sunt apud omnes noti: vnde licet praedicatum sit de ratione subiecti; tamen quia definitio subiecti non est omnibus nota, non est necessarium quod tales propositiones ab omnibus concedantur: vt patet in propositionibus per se notis apud Mathematicos; vel apud Theologos, quae ab ignorantibus negantur: ergo dantur aliquae propositiones per se notae secundum se, quae non sunt per se notae quoad nos. Idem docet S. Thomas 1. p. quaest. 2. artic. 1. & quaest. 10. de Veritate art. 12. & libro 1. contragent. cap. 10. & 11. & in 1. sentent. distinct. 3. quaest. 2. art. 2.

7 Pro cuius maiori expositione Caietanus lib. 1. Posteriorum cap. 3. sic ordinat diuisionem: propositio per se nota, quaedam est per se nota secundum se tantum, quaedam quoad nos tantum, quaedam secundum se, & quoad nos simul: & hoc dupliciter, vel quoad nos omnes; vel quoad sapientes tantum. Diuisionis sufficientiam sic colligit: quot modis dicitur propositio nota per medium, tot modis dicitur propositio nota per se, seu non per medium; quia vt dicitur in 1. Topico-

rum

quot modis dicitur vnum oppositum, tot dicitur, & reliquum; & propositio dicitur nota per se, eo quod non est nota per medium. Medium autem est triplex: quoddam quoad nos tantum (vt quanto procedimus ab effectu ad causam) & quoddam secundum se tantum: vt quando in re causam, vel rationem habet, sed nobis est occulta (vt quando prædicantur proprietates specificæ de naturis Angelicis nobis ignotis in particulari) ergo iam dantur tria genera mediolorum, & per consequens tria genera propositionum, quæ carent medio.

8 Alij id declarant dicendo, quod quedam sunt per se nota à priori: quia carent medio, quod sit causa, vel ratio formalis; quedam sunt per se nota à posteriori, quia nõ indigent effectu notiori quo manifestentur. Rursus alia sunt per se nota quoad sensus, vt docet Philosophus 2. Physicorum textu 6. esse per se notum motum esse; & 2. Topicorum capite 2. ait, *cum qui negauerit niuem esse albam, sensu indigere, non modo probatius.* Alia sunt per se nota quoad intellectum, etiam si non sint per se nota quoad sensus; vt in illis de quibus hæctenus loqui sumus: & e contra aliqua dantur per se nota quoad sensus, quæ possunt demonstrari: sicut Solem, & Lunam eclipsari sensu percipimus, & demonstrabile est: & motus aeris ad sensum patet, & eius causa est valde occulta: similiter experimur creaturas existere; & tamen negat S. Thomas questione 10. de Veritate artic. 12. quod sit per se no-

tum creaturam esse: eo quod existentia contingenter adueniat; & ita prædicatum non includatur in ratione subiecti. Vnde in presenti non est idem per se notum, ac intuitiue visum; quia etiam circa non visa sunt quedam per se nota: nec omne cognitum sine discursu causalitatis, est per se notum; vt cum credimus quia alius dicit, sine probatione rationis assentimur; & tamen creditæ non sunt per se nota; in quantum huiusmodi.

## §. II.

## Soluuntur argumenta

9 **C**ontra tertiam conclusionem arguit Aureolus in 1. dist. 2. quaest. 1. intendens probare, quod omnis propositio per se nota secundum se, sit per se nota nobis, in hac forma: omnis propositio per se nota secundum se, cuiuslibet habenti eius proprios conceptus est per se nota: sed cuiuslibet formans eam, habet eius proprios conceptus; quia nisi habeat eius proprios conceptus, iam non format eam, sed aliam: eo quod identitas propositionis, non ex identitate vocum, sed ex identitate conceptuum sumenda est: ergo omnis propositio per se nota secundum se, est per se nota nobis. Probatur maior: omnis propositio ex proprijs conceptibus nota, cuiuslibet habenti illos est per se nota: sed omnis propositio per se nota secundum se, est ex proprijs conceptibus nota: ergo omnis propositio per se nota secundum se, cui-

libet habenti proprios conceptus est per se nota.

Respondetur cum Gaetano capite tertio, distinguendo maiorem, cuiuslibet habenti eius proprios conceptus distinctos, vel quidditatiuos est per se nota; concedo maiorem: cuiuslibet habenti eius conceptus proprios, confuse, nego maiorem. Ad probationem distinguo maiorem; est per se nota cuiuslibet habenti illos distincte; concedo: non vero vniuersaliter est vera de habente proprios conceptus confuse: quamuis nonnunquam id contingat: nam quandoque ad euidenciam propositionis sufficiunt conceptus confusi terminorum; vt in hac propositione; omne totum est maius sua parte; aliquando vero non sufficit notitia confusa, sed exigitur notitia distincta: vnde hac propositio, *Deus est*, non est per se nota nobis, vt ait S. Thomas 1. parte quaestione 2. articulo 1.

10 Sed instabis: nam si non requiritur conceptus quidditatiuus rei perfectus, vt propositio essentialis sit per se nota nobis, sed sufficit conceptus imperfectus, sequitur, quod omnis propositio essentialis sit per se nota nobis: quia conceptum imperfectum habemus eo ipso, quod de illa cogitemus. Sequelam autem esse falsam ex dictis constat: ergo solutio non erit admittenda.

Respondetur non sufficere quilibet conceptum imperfectum, nec requiri conceptum quidditatiuum: sed exigi, & sufficere talem conceptum ratione cuius per se nota

fit connexio praedicti cum tali subiecto. In terminis transcendentibus, & communissimis statim terminis expositis apparet veritas principiorum; & ideo dignitates sunt per se notae omnibus: in terminis vero specialibus hoc non ita contingit; & ideo ibi: quod est per se notum secundum se, non est per se notum omnibus.

11 Praeterea arguit Scotus in 1. dist. 2. quaestione 2. multis medijs intendens improbare explicatam diuisionem. Et Molina 1. parte quaestione 2. articulo 1. contendens Sanctum Thomam improprie fuisse loquutum: nam proprie loquendo propositiones non sunt per se notae secundum se: in rebus enim non est propositio, sed res significata per propositionem: haec autem non est cognoscibilis, nec cognita per se, sed solum quatenus est in intellectu, aut in eius signis, nepe in vocibus: ergo diuisio relata non est conueniens.

Respondetur, quod propositionem esse mediatam, vel immediatam; notam per se, vel per alium, non oritur neque ex vocibus, neque ex conceptibus formalibus; sed ex obiectiua connexione praedicti cum subiecto cum medio, vel fine illo, est omnis ista denominatio. Nec est aliqua improprietas, quod propositionem sumamus obiectiue, vt in simili diximus libro 1. quaest. 10. quia veritas obiectiua est quae exprimitur per voces, & conceptus, de quibus praecipue tractamus ratione rei significatae de qua est scientia. Sicut cum diuidimus

mus propositionem, in eam quæ est per accidēs, & quæ est per se; in contingentem, & necessariam, totum prouenit ab obiecto, absque vlla vocum improprietate: ergo pariter dici potest de diuisione præfenti.

12 Aduertit autem Capreolus in 1. dist. 2. quæst. 2. ad 1. Aureoli contra secundam, quod cum dicimus eandem propositionem esse notam secundum se, quæ non est per se nota nobis, non loquimur de eadem propositione quantum ad conceptus formales: quia isti sunt diversi in diuersis intellectibus. Sed intendimus eandem propositionem secundum vocem, eandem rem significantem, esse secundum se per se notam; sed non nobis; ita vt sit per se nota vni, & non alteri: isti tamē non habent eodem conceptus de illa.

13 Vt autem intelligatur, quæ propositiones sint indemonstrabiles, & careant medio, notandum ex Caietano 1. p. quæst. 2. artic. 1. §. *circa hanc*, quod ad minus omnes excludunt medium à priori: quia cum medium probatiuum à priori habent, prædicatum non includitur in ratione subiecti. Admittunt tamen medium probatiuum à posteriori, sicut cum probamus Deum esse ex effectibus notioribus quoad nos; quamuis Deum esse secundum se sit per se notum, & careat medio. & ab intrinseco solis cognitis terminis id esset per se notum; quāuis probari possit per medium extrinsecum. Imò prima principia per se nota probantur deducendo ad

impossibile. Et alia demonstrantur per causam extrinsecam efficiētē, finalem, vel exemplatē: de quo M. Ioan. à S. Thoma quæst. 25. artic. 2. §. *circa secundum*. sed melius S. Thomas cum Philosopho libro 2. Posteriorum tota lection. 9. His, & alijs omiſſis, quod specialem cōtinet difficultatem, est.

§. III.

*Vtrū prima passio sit demonstrabilis?*

14 PRIMAM passionem esse verē; & proprie demonstrabilem de proprio, & immediato subiecto, affirmant Scotus in 1. dist. 2. quæstione 2. Gregorius ibidem quæst. 1. artic. 2. & expresse Capreolus in 1. distin. 2. quæst. 2. ad argum. contra primam pag. 92. & in re tenere videntur, qui dicunt primam passionem esse immediatam à parte rei; sed non carere medio ratione distincto, quo sit demonstrabilis. Ita Auerſa quæstione 28. sectione 7. Ioan. à S. Thoma quæstione 25. articulo 2. in fine, & alij plures.

15 Per oppositum alij dicunt, primam passionem nullo modo esse demonstrabilem, demonstratione, quæ vere sit talis; quamuis possit explicari, & declarari quoad nos. Ita Sanchez libro 7. quæstione 14. per totam. Ortiz tractatu 6. confer. 2.

16 Distinctione alij vtuntur dicētes primā passionē secundū se esse immediatam, & indemonstrabilem;

quoad nos vero proprie esse demon-  
strabilem. Ita Caietanus 1. Poster.  
capite. 2. & 3. Ferrarum libro. 1.  
contragentes capite. 11. Soto 1.  
Posteriorum. questione. 2. ad  
9. & alij Thomista communiter:  
& vera mihi videntur, & ad mentem  
S. Thomae, quam placet exponere  
duabus conclusionibus.

17. Prima est loquendo secun-  
dum se, prima passio de proprio sub-  
iecto est indemonstrabilis à priori;  
& ita propositio in qua de illo præ-  
dicatur, est per se nota secundum  
se. Est ad mentem S. Thomae libro  
1. Posteriorum lect. 39. littera f.  
in fine, ubi ait: & patet ex præmissis,  
quod sicut sunt quædam principia  
indemonstrabilia affirmativa, in  
quibus unum de alio prædicatur,  
significando quod hoc essentialiter  
est illud; sicut cum genus prædica-  
tur de proxima specie; vel hoc sit  
in illo; sicut cum passio prædicatur  
de proprio, & immediato subiecto:  
ita etiam sunt principia indemon-  
strabilia in negatiuis, negando essen-  
tiale prædicatum, vel etiam pro-  
prium passionem. Sed idem est pro-  
positio per se nota, ac indemonstra-  
bilis, & immediata: ergo et mente  
S. Thomae, propositio prædicta se-  
cundum se est per se nota.

18. Duplici ratione eam probat  
Caietanus. Prima, nam prima pas-  
sio non probatur de subiecto, nisi  
media definitione subiecti: sed hoc  
est idem ac secundum se prædicari  
sine medio: ergo secundum se pri-  
ma passio prædicatur immediate.  
Probat minor, quia secundum se  
de initio, & definitum conuertun-

tur, cum idem significant: dicitur  
enim 1. Physicorum textu 5. quod  
definitio significat distiñete, quod  
definitum denotat confuse: distiñ-  
ete autem, vel confuse concipi non  
ponit distiñtionem in re concepta  
secundum se: de quo iam diximus  
libro 2. Dialecticæ capite 3. qua-  
stione. 1.

19. Alia ratio Caietani ad idem  
tendens, sumitur ex eo: quod, cum  
arguitur à definitione ad definitum  
vel cum loco definiti ponitur eius  
definitio, est petitio principij, lo-  
quendo secundum se, vt docent B. Al-  
bertus Magnus 1. Elench. cap. 26. &  
S. Thomas de fallatijs Opusc. 39.  
cap. 12. & colligitur ex Philosopho  
1. Elenchorum cap. 3. & 8. Topi-  
corum cap. 11. ergo idem est sume-  
re pro medio definitionem, ac defi-  
nitum: ergo ex parte rei, & secun-  
dum se, non est medium: ac per con-  
sequens propositio est immediata,  
& per se nota secundum se.

20. Obijcies primo: nam S. Tho-  
mas omnibus locis adductis num.  
6. dicit, quod propositio per se nota  
est in qua prædicatum includitur  
in ratione subiecti, seu quando præ-  
dicatum ponitur in definitione sub-  
iecti, vel prædicatum est idem sub-  
iecto, vt dicit S. Thomas 4. Metap.  
lectione 5. in fine: sed propria pas-  
sio realiter differt à subiecto, nec  
est de eius essentia, aut de eius defi-  
nitione: ergo propositio in qua pri-  
ma passio prædicatur, non est per  
se nota secundum se.

Ad hoc argumentum, respon-  
detur cum Capreolo, quod S. Tho-  
mas, non definit ibi propositionem

per se notam, nec asserit quod solū cum prædicatum est de essentia subiecti est propositio per se nota, sed ad suum intentum assumit, id quod nemo negare potest, quod cum propositio est essentialis, vel prædicatū est de essentia subiecti, vel idem cū illo, est propositio per se nota. Ad- dit Caietanus l. p. q. 2. art. 1. quod si alicubi inueniretur sic definita propositio per se nota, deberet intelligi prædicatum debere esse in ratione subiecti, vel *formaliter*, vel *virtualiter proxime*: & existentia creaturæ, ad- huc hoc secundo modo, non inclu- ditur in eius essentia: & per hoc re- spondet Ferrara l. contrag. cap. 11. ad argumentum, quod posset desu- mi ex D. Thoma quæst. 10. de Ve- ritate art. 12.

21 Secundo obijcies: nam defi- nitio, & definitū saltem ratione dis- tinguantur; vt patet: sed distinctio rationis sufficit ad hoc vt aliquid sit demonstrabile secundum se: ergo cum definitio assumitur pro medio ad concludendam primam passio- nem, vere est conclusio mediata. Probat minor: quia passiones en- tis solum ratione differunt ab en- te; & tamen vere demonstrantur de illo secundum se: alioquin Meta- physica nō esset perfectissima scien- tiarum.

Respondetur quod vt docet S. Thomas lib. 1. sent. dist. 25. q. 1. ar- tic. 1. ad 2. definitio, & definitum secundo intentionaliter differunt, sed primo intentionaliter ex parte rei significare idem omnino signi- ficant. Iuxta hoc ergo dicitur, quod cum distinctio rationis importat

aliquam rationem obiectiuam quæ est ratio vt alia insit, vere sufficit ad demonstrationem; quando vero importat eandem formalitatem ob- iectiuam, hæc, vel illa secunda in- tentione explicatam, vel solum dis- tinctam penes concipi confuise, vel distincte, non sufficit ad consti- tuendam propositionem mediatam; ac per consequens, hæc rationis distin- ctio non sufficit vt propositio sit se- cundum se demonstrabilis.

§. IV.

*Prima passio quoad nos vere de- monstrabilis.*

22 **S** It altera conclusio: loquen- do quoad nos, cum prima passio prædicatur de proprio sub- iecto, est propositio vere demonst- rabilis media definitione subiecti. Habetur opusculo 38. apud D. Tho- mam; vbi in principio dicitur: *est et- go demonstratio potissima, quando præ- dicatur passio de subiecto vniuersali per medium, quod est definitio dicens quid, & propter quid.* Et opusculo 48. tra- ctatu de Demonstratione capite 5. idem affirmatur ibi. *In demonstratio- ne potissima prædicatur propria passio de subiecto in conclusione.* Quia tamen opuscula hæc non sunt indubitata S. Thomæ; ideo.

23 Melius probatur ex opuscu- lo 39. capite 12. vbi docet S. Tho- mas, quod quando definitum peti- tur ad definitionis probationem, non peccatur contra vim illatiui m argumentandi, cum seruetur ceteri- ta habitus inferentis ad illatum;

*Sed peccat contra probationem argumenti: nam probatio debet esse magis manifesta, quod hic non obseruatur. Ergo quando assumitur definitio, quæ quoad nos est magis manifesta, quam definitum, nullus erit defectus.*

Respondet Ortiz ad confirmat. secundi, quod intendit S. Thomas in isto casu *non esse argumentum sophisticum, sed dialecticum*: ex hoc autem ipso non est demonstratio: quia in phrasi S. Thomæ, syllogismus dialecticus causat probabilitatem; & ita condistinguitur à demonstratiuo.

24 Hoc tamen facile impugnat; primo, nam à definitione ad definitum non est illatio probabilis, sed euidens: ergo cum S. Thomas asserit illationes prædictas *esse secundum locos dialecticos*; est idem ac si dicat, esse iuxta regulas Dialecticæ. Secundò, hanc vocem *Dialectica* plures habere significationes, in ipsius prologo notatum est: vnde ex significatione illius efficax non trahitur argumentum. Tertio: vt diximus libro 3. Dialect. cap. 1. locus dialecticus est argumentandi sedes: quod non video cur debeat coarctari ad sola argumenta probabilia. Quamuis syllogismus probabilis soleat specialiter appellari dialecticus, quia tentando procedit: de quo S. Thomas 1. Posterior. lect. 1. & 4. Metaph. lect. 4.

25 Sed adhauc clarius ad nostram intentum loquitur S. Thomas 1. Posteriorum lect. 2. post initium dicens, quod *ex definitione subiecti, & passionis, sumitur medium de-*

*monstrationis. Quod latius profequitur libro 2. lectione 1. littera g. in fine, & rationem assignat dicens: Manifestum est enim quod principia, quæ continent definitio subiecti, sunt principia passionis: non ergo demonstratio resoluet in primam causam, nisi accipiatur vt medium demonstrationis definitio subiecti: quod duobus exemplis declarat. Et hanc S. Thomæ doctrinam eius discipuli acceptant; & peculiariter Iauellus tractatu 11. cap. 13. late id defendit, & latius Cajetanus lib. 2. cap. 7. in fine.*

26 In verbis S. Thomæ inuenio rationem à priori nostræ conclusionis: tunc est vera demonstratio, cum illa mediante concluditur propria ratio alicuius proprietatis antea ignotæ: sed cum mediante definitione subiecti concluditur illi conuenire propria passio, assignatur ratio propria cur illa, proprietas conueniat subiecto, quod antea ignorabatur: ergo est vera demonstratio quoad nos. Maior patet: nam scire est cognoscere rem per causam, aut per eius rationem formalem, vt postea dicemus. Minor verò probatur: quia definitio distincte exponit rei essentiam per suas partes, & declarat explicite radicem, vnde proveniat, quod illi debeat hęc proprietates: ergo cum ex definitione concluditur, quod passio conueniat definito, non deducitur aliquid per se notum, sed aliquid per propriam causam, seu rationem formalem probatur.

Qua propter vniuersaliter loquitur S. Thomas 1. Posteriorum lect.

lect. 10. in fine dicens : cum scientia sit conclusionum ; intellectus autem principiorum ; proprie scibilia dicuntur conclusiones demonstrationis , in quibus passiones prædicantur de proprijs subiectis. Propria autem subiecta, non solum ponuntur in definitione accidentium ; sed etiam sunt causæ eorum. Quod verum est etiam respectu primæ passionis. Quod adhuc clarius docet Sanctus Thomas lectione 13. littera b.

27 Confirmatur : nam non minus subiectum est propria causa primæ passionis , quam prima sit causa secundæ : unde & S. Thomas 1. p. quæst. 77. artic. 4. probat, quod in potentijs animæ est ordo, & artic. 7. docet, quod vna oritur ab alia ; & articulo 6. docuerat quod omnes potentia animæ fluunt ab eius essentia : ergo proportionaliter loquendo , sicut vna passio est propria causa ad aliam concludendam , ita notitia explicita subiecti in quantum est radix primæ passionis , quæ notitia habetur media definitione , erit medium ad demonstrandam primam passionem. Hæc ratio indicatur opusculo 48. tract. ult. cap. 4.

28 Aliud argumentum posset desumi ex doctrina S. Thomæ 1. Poster. initio lectione 4. & lectione 16. littera c. & aliud ex doctrina Caiet. lib. 1. cap. 3. ad 4. Scoti, & lib. 2. cap. 7. dub. 2. & 3. sed ne molestus, & prolixus reddat, omittendum censui.

Sed obijciunt : nam definitio ; & definitum solum differunt præ-

nes conceptus formales expliciti, & impliciti, & non partes distinctas formalitates ex parte obiecti importatas : sed idem respectu eiusdem formalitatis, solum partes sic, vel sic cognosci, non sufficit ad rigorosam demonstrationem, etiam quoad nos : quia etiam ipsa quidditas varie potest declarari, & manifestari ; & tamen ipsius quod quid est non est demonstratio, ut probant Philosophus, & S. Thomas libro 2. Poster. à lectione 3. vsque ad 8. ergo nec primæ passionis est proprie demonstratio.

29 Huic argumento satisfacit ratio nostræ conclusionis : nam qui solum nouit definitum quoad an est, solum materialiter cognoscit id cui immediate conuenit prima passio ; & ignorat formaliter connexionem, quæ est inter illam, & proprium subiectum ; at verò cum media definitione habet explicitam notitiam quidditatis, cognoscit illum formaliter ut radicem passionum, & ut connexam cum illis ; & cum demonstratio sit instrumentum intellectus humani coniuncti, illa mediante per discursum cognoscitur, & probatur apud nos demonstratione, quod ab Angelis videtur immediate, eo quod quidditatem, & passionem vident intuitiue, & agnoscunt connexionem immediatam secundum se.

\* \* \*

## QVÆSTIO VII.

*Quid sint propositio de omni, & per se, & secundum quod ipsum?*

1. **Q**uia cognoscere istorum significationem est necessarium ad sciendum ex quibus est demonstratio; ideo ut hic lectione 9. notat S. Thomas, de his primo determinandum est quid significant, ut videre possimus, utrum ex eis debeat constare demonstratio?

§. I.

*Quid sit dici de omni?*

2. **D**efinit ergo Philosophus quid sit dici de omni, his verbis, iuxta versionem Argyropili: *id est a quo de omni dicimus, quod non cuidam inest, cuidam non inest, nec interdum competit, interdum non competit.* Pro cuius expositione advertit S. Thomas, quod dici de omni aliud est prioristicum, de quo egimus lib. 3. Dialecticæ cap. 3. n. 10. & ut ait Philosophus 1. Priorum cap. 1. tunc dicitur aliquid de omni quando nihil est sumere sub subiecto, de quo predicatum non dicatur: quod est idem ac affirmari de subiecto distributo, siue necessario, siue contingenter, siue vere, siue false. Aliud est dici de omni posterioristicum, quod ultra distributionem exigit veritatem, & necessitatem; & ita se habet ex additione ad illud quia conuenit simpliciter, & secundum omne tempus. Et ponit exem-

plum Philosophus: nam de omni homine predicatur animal; & de quocumque verum est dicere, quod sit homo, verum est dicere quod sit animal; & quocumque est homo, est animal. Unde, ut inquit B. Albertus hic, vniuersalitas suppositorum requiritur propter formam syllogismi; vniuersalitas vero temporis, propter necessitatem materiae demonstrationis.

3. Sed obijcies: nam hæc propositio, Deus est actus purus, æternus, & immutabilis, est propositio de omni: quia est propositio per se, & demonstrabilis: & tamen est de subiecto essentialiter singulari: ergo ad propositionem de omni non exigitur vniuersalitas suppositorum.

Respondetur, cum Caietano 1. Poster. cap. 4. quod ad propositionem de omni non exigitur vniuersalitas positiva, & actualis; sed sufficit negativa, & virtualis: ita quod nulla pars subiectiva sit cui tale prædicatum non conueniat, & nulla sit differentia temporis, in qua non conueniat: & si subiectum haberet partes, vel tempore mensuraretur, cuiuslibet, & semper adesset tale prædicatum. Et ideo Philosophus negative definitionem proposuit, ut notat B. Albertus.

4. Secundo obijcies: nam Lunam eclipsari demonstratur: & tamen non conuenit semper, sed tempore determinato: ergo ad prædicatum de omni posterioristicum non exigitur semper conuenire.

Tertio: ea quæ accidunt ut in plu-

ribus, vt quod in vere sunt tonitrua, & quod in hyeme sunt pluuia, & frigus; etiam demonstratur: & tamen aliquando deficiunt: ergo nõ exigitur ad dici de omni posterioristicum, quod semper, & indefectibiliter conueniat.

5 Respondetur esse expressam sententiam Philosophi 1. Posteriorum textu 23. quod horum est demonstratio: inquit enim: *eorum autem quæ saepe fiunt, demonstrationes sunt & scientiæ, vt Luna defectus.* Ipse tamen aduertit, quod hæc, quæ sunt frequenter, in quantum de eis est demonstratio, sunt semper, quia sic sunt vniuersalia: sed secundum quod non sunt semper, sunt particularia: de particularibus autem non potest esse demonstratio: sed solum de vniuersalibus: vnde patet, quod huiusmodi, in quantum de eis est demonstratio, sunt semper.

6 Diligenter tamen est notanda differentia, quæ inter ista consideratur à D. Thoma 1. Posteriorum lect. 16. in fine: quædam enim non sunt semper secundum tempus, sunt autem semper per comparisonem ad causam: quia nunquam deficit, quin posita tali causâ, sequatur effectus. Sicut de defectu Lunæ: nunquam enim deficit, quin semper sit Lunæ eclipfis, quando cumque terra diametraliter interponitur inter Solem, & Lunam. In quibusdam vero contingit, quod non semper sunt, etiam per comparisonem ad causam; quia videlicet causæ impediri possunt; vt in exemplis tertij argumenti. In vtrisque autem ordinandæ sunt sic demonstratio-

nes vt ex vniuersalibus propositio-  
nibus inferatur conclusio vniuer-  
salis, remouendo illa, in quibus po-  
test esse defectus, vel ex parte tem-  
poris; vel ex parte causæ.

7 Itaque, semper de omni pos-  
terioristicum exigit necessitatem,  
vel quia propositio est æternæ ve-  
ritatis, & omni tempore conuenit;  
vel quia conuenit pro omni tempo-  
re quo tale prædicatum natum est  
conuenire subiecto; vel quia con-  
uenit vt in pluribus suppositis, &  
temporum differentijs; licet in ali-  
quo, vel aliquando fallat per acci-  
dens.

Addit Caietanus lib. 1. Poster.  
cap. 4. notab. 3. quod dici de omni  
posterioristicum analogum quod-  
dam est diuidendum in tres modos  
prædictos: nam simpliciter dicitur  
de propositionibus æternæ verita-  
tis, & per posterius, & secundum  
quid de alijs duobus. Videatur So-  
to quæst. 3. ad 1.

8 Obijcies denique: quia in li-  
bris Priorum, non solum definit  
Philosophus dici de omni, sed etiam  
dici de nullo; ergo diminute hic  
processit Philosophus non defi-  
niens dici de nullo posterioristi-  
cum.

Respondet Mag. Soto lib. 1. cap.  
4. textu 8. quod Aristoteles hic nõ  
definit dici de nullo, quia loquitur  
de demonstratione potissima, qua-  
lis est affirmatiua. Potest tamen fa-  
cile proportionaliter definiri dici de  
nullo, dicendo, quod est prædicatum  
negari de subiecto pro quolibet e-  
ius supposito, & pro quolibet tem-  
pore; vt si dicatur, nulla substan-  
tia

ria est qualitas; nullus homo est equus.

§. II.

*De modis dicendi per se.*

9 **D**istinguit Philosophus à textu 30. vsque ad 34. modos dicendi per se, ut deinceps applicet ad usum demonstrationum: illos sic exponit S. Thomas lect. 10. supponendo, quod hæc præpositio, *per*, designat habitum dinem causæ: designat etiam interdum, & situm; sicut dicitur esse aliquis per se, quando est solitarius. Primus ergo modus dicendi per se est, quando id quod attribuitur alicui, pertinet ad formam eius. Et quia definitio significat formam, & essentiam rei; primus modus eius, quod est per se, est quando predicatur de aliquo diffinitio, vel aliquid in diffinitione positum, siue ponatur in recto, siue in obliquo.

10 Secundus modus dicendi per se est, quando hæc præpositio, *per*, designat habitum dinem causæ materialis, prout scilicet, id cui aliquid attribuitur est propria materia, & proprium subiectum ipsius. Et quia proprium subiectum ponitur in definitione accidentis, vel in obliquo, ut cum definitur in abstracto; vel in recto, ut cum definitur in concreto, iuxta dicta libro 1. quaest. 18. §. 1. & 2. Ideo secundus modus dicendi per se est, quando subiectum ponitur in definitione predicati, quod est proprium accidens eius. Quæ vero prædicata neutraliter insunt, id est, ne-

que ita quod ponantur in definitione subiectorum, neque subiecta in definitione eorum, sunt accidentia, id est, prædicantur per accidens; sicut musicum, & album prædicantur per accidens de animali.

10 Tertius modus eius quod est per se, est prout per se significat aliquid solitarium: sicut dicitur, quod per se est aliquod particulare, quod est in genere substantiæ, quod non prædicatur de aliquo subiecto. Sic igitur hoc modo, *quæ non prædicantur de subiecto sunt per se*: quæ vero dicuntur de subiecto, sicut in subiecto existentia, accidentia sunt: nam quæ dicuntur de subiecto, sicut vniuersalia de inferioribus, non semper accidentia sunt, ut patet de secundis substantijs.

11 Quartus modus est secundum quem hæc præpositio, *per*, designat habitum dinem causæ efficientis, vel cuiuscumque alterius. Et ideo dicit Philosophus, quod *quid quid in est unicuique per se ipsum, per se dicitur de eo*; quod vero non per se ipsum in est alicui, per accidens dicitur; ut si Petro ambulante corruscat; non enim propter id quod ambulat corruscauit, sed hoc dicitur secundum accidens. Si vero quod prædicatur in sit subiecto per se ipsum, per se inest: ut si dicamus, quod interfectum interiit, & edificator & edificat: non enim est per accidens quod interfectus interiit.

12 Circa omnes modos in cominuni aduertendum, quod Zabarella libro primo de propositionibus

bus necessarijs capite tertio, & quarto, contendit etiam ultimos modos esse modos per se prædicandi.

Verumtamen S. Thomas circa tertium modum, littera b. in fine, ait; sciendum est autem, quod iste modus, non est modus prædicandi, sed modus existendi: vnde etiam in principio dixit Philosophus, *per se sunt*, & non, per se dicuntur. Quartus autem modus (secundum communem expositionem) est modus per se causandi: vnde tantum duo primi sunt modi per se prædicandi: nam in quarto modo prædicatur effectus de propria causa, vt in exemplo Philosophi: iugulatus interiit; cum iugulatio sit per se causa mortis. Et sic duo primi modi opponuntur prædicationi accidentali omnino: quartus vero opponitur effectui per accidens: & potest esse per se in causando, & accidentaliter conuenire in prædicando; quia contingenter ædificator ædificat.

13 Notat autem M. Soto lib. 1. cap. 4. in expositione textus 9. in fine quod nihil prohibet secundum & tertium modum aliquando coincidere: quia subiectum per definitionem est causa passionis: vnde in fine B. Albertus, quod hæc propositio, homo est risibilis, quæ est in secundo modo, est etiam in quarto: nam cum dicimus, omne animal rationale est risibile, subiectum exprimit causam per se prædicati, iuxta dicta hoc libro quæstione 5. cum quartus modus perfectatis non solum constituatur in causis efficientibus, & finalibus, & formalibus,

sed etiam in causis materialibus: vt indicatur, ædificium constructum ex parietibus, & tecto est pulchrum; propositio est in quarto modo, & subiectum est causa materialis prædicati. Præterquam quod S. Thomas 1. p. quæst. 77. art. 6. ad 2. docet, quod subiectum est causa proprii accidentis, & finalis, & quoddammodo actiua; & etiam vt materialis, in quantum est susceptiuum accidentis. Vnde bene aduertit Caietanus hic cap. 4. §. *Circa quartum*, quod quia contingit quod idem sit causa alicuius, & per se subiectum eiusdem, ideo materialiter isti modi coincidunt, & formaliter distinguuntur.

15 Circa omnes modos simul occurrit dubium; an prædicationes indirectæ pertineant ad eosdem modos dicendi per se, ac prædicationes directæ?

Respondet Egidius, quem sequitur Rubio cap. 4. q. 2. n. 17. Auerſa q. 28. sect. 11. & alij, quod excludendæ sunt propositiones indirectæ, quia sunt in naturales: cum forma naturalis propositionum sit, quod prædicatum sit forma subiecti, quia vt diximus libro 1. quæst. 15. n. 6. sola prædictio directa est absolute, & simpliciter prædictio; quare ita videtur tenere M. Soto ibi relatus, & expresse hic q. 3. ad 2. probat propositiones indirectas non esse in aliquomodo dicendi per se, quia omnes propositiones, quæ sunt per se sunt aptæ ad demonstrationem: & tamen ex indirectis 1. propositionibus non conficitur demonstratio.

15 **C**eterum Caietanus hic cap. 4. Paulus Venetus, & alij antiqui, quos sequuntur Sanchez lib. 7. quest. 8. & Ioan. à S. Thoma quest. 24. art. 4. ad 2. & alij, affirmant propositiones indirectas, præcisse quia indirectas, non excludi à propositionibus per se: quia sunt nonnullæ, quæ ad conuertentiam dicuntur cū directis, quæ per se dicuntur; & ideo non est cur, & ipse non etiam dicantur per se; vt cum dicitur, risibile est homo, rationale est homo, & aliæ identificate cum propositionibus per se. Quando vero propter prædicationem indirectam constituitur prædicatio contingens; vt cum dicitur, animal est homo; non est prædicatio per se, nec de omni, sed contingens. Vnde omnis prædicatio per se ex terminis, conuertitur in propositionem per se, & ita etiam indirecta deseruit demonstrationi: prædicatio autem per se, non ex terminis, sed ex parte rerum, non conuertitur in prædicationem per se. Videatur Caietanus dub. vlt.

16 Hinc prouenit, & intelligitur illa doctrina Caietani cap. 4. §. *Ad claritatem* docentis, quod in primo modo dicendi per se, tripliciter propositiones reponuntur: quædam proprie, & principaliter: quædam proprie, & secundario: quædam vero improprie. Videatur, quia omnium exempla proponit: & hanc latitudinem considerat etiam in alijs modis dicendi per se.

Qui hanc vltimam sententiam sustinere velit; ad illa, quæ libro primo diximus, potest respondere,

illa, & similia verificari, de his, quæ pertinent directe, & per se ad demonstrationem; non vero de illis, quæ pertinent reductiue, sicut sunt, quæ dicuntur, & prædicantur indirecte, sed per se.

### §. III.

*Quid sit prædicari secundum quod ipsum?*

17 **T**RACTANS Philosophus libro 1. Posteriorum textu 11. & secundum alios; textu 36. de prædicato vniuersali, ita ait: *vniuersale autem dico, quod cum de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum est.* Ita habet antiqua translatio. Argyropilus vero loco vltimæ particulæ dicit: *atque hoc plane quo ipsum est.* Boetius cum antiqua translatione concordat.

18 In primis notandum cum D. Thoma lectione vndecima littera, a, quod *vniuersale* non accipitur in præsentī, vt accipiebatur libro primo, prout omne quod prædicatur de pluribus dicitur *vniuersale*, secundum quod Phorphyrius determinat de quinque vniuersalibus. Sed dicitur hic *vniuersale* secundum quandam adaptationem, vel adæquationem prædicati ad subiectum, cum scilicet neque prædicatum inuenitur extra subiectū, neque subiectum sine prædicato. Hæc S. Thomas.

19 Ad intelligendam relatam doctrinam Philosophi, & S. Thomæ, est dubium, vtum per se, & secundum quod ipsum sint  
idem

idem conuertibiliter?

Affirmant Themistius. 1. Posteriorum commento 12. Ferrara libro 2. contragent. cap. 15. ratione prima 4. *Auertendum quoque.* Auersa hic quaest. 28. sectione 12. Probat ex Philosopho hic dicente: *per se autem, & secundum quod ipsum est, idem est.* Vbi S. Thomas lectione 11. littera c. ait: *ne aliquis crederet, aliud esse, quod in definitione vniuersalis dixerat, per se, & secundum quod ipsum est, ostendit, quod per se, & secundum quod ipsum est, idem est.* Ergo admissio, quod S. Thomas alibi in alio sensu. has voces vsurpauerit (quod tamen non constat) tamen in hoc loco ex mente Philosophi, S. Thomas pro eodem accepit praedicari secundum quod ipsum, & vniuersaliter, ac praedicari per se.

20. Oppositam sententiam *vt in dubie veram, & communem* amplectitur Caieranus libro 1. capit. 5. dub. 3. citans B. Albertum, & alios, quos sequuntur Soto (male à non nullis pro priori sententia relatus). Sanchez libro. 7. quaest. 9. & alij Thomistae, qui potius id supponunt, quam indubium vertant. Itē Conimb. Tolerus, & Rubio cap. 4. quaest. 3. dicens esse recentiorum omnium. Et mihi videtur adeo expressa S. Thomae, vt non possim non mirari, quomodo doctissimus Ferrara, fidissimus S. Thomae, discipulus, id non aduerterit.

21. In primis lib. 2. contragentes cap. 15. ratione prima. ait S. Thomas: impossibile est aliquid vnum duobus conuenire, & vtrique secundum quod ipsum; quod

enim de aliquo secundum quod ipsum dicitur, ipsum non excedit: sicut habere tres angulos duobus rectis aequales, non excedit triangulum, de quo praedicatur; sed est ei idem, conuertibiliter. Hæc ibi. Sed ad praedicatum per se non requiritur dici ad conuertentiam: ergo ex mente D. Thomae non conuertuntur praedicari secundum quod ipsum, & praedicari per se; sed illud se habet ex additione ad illud sicut inferius ad superius.

Cum ad hanc expressam S. Thomae authoritatem, non habeant quid respondeant, dicunt, quod admissio ibi sic accepisse S. Thomam; tamen aliter accepit in hoc loco, vt verba eius supra adducta declarant.

22. Hanc euasione tripliciter impugnauerat Caieranus. Primo, quia sequitur, quod Philosophus inutiliter, & superflue tam prolixè explicuerit seorsum quid sit propositio de omni, postquam iam declarauit, quid sit propositio per se; si ista duo sunt synonyma, vel idem formaliter: si quidem illorum alterum esset superuacaneum.

Secundo: si vocabulum *secundum quod ipsum* æquiuocum esset, & haberet duas significationes, diminutus esset S. Thomas hanc æquiuocationem hic non auferendo. Et maior esset defectus cum Gentibus disputando, non vti vocabulo prout erat in vsu Philosophorum communi, & nouam vocis significationem sine fundamento introducere esset absurdum.

23. Tertio, ipse S. Thomas hic de-

declarat relatis verbis Aristotelis contineri definitionem prædicati *vniversalis*, seu *secundum quod ipsum*; & asserit, quod exigit dici de omni, & perfectam; & dici ad conuertentiam.

Rursus, ipse S. Thomas in hac ipsa lectione vndecima littera c. ait, quod ostendit Philosophus quid addat vniuersale supra dici de omni, & per se: & ergo ex mente Philosophi, & S. Thomæ indubitatum est, quod dici per se in omni latitudine, non est idem conuertibiliter, ac prædicatum vniuersale, & secundum quod ipsum.

24 *Authoritates in contrarium adductæ facile exponuntur.* Primo dicendo, quod cum ratio superior sit essentialiter idem cum inferiori in qua includitur, sicut homo essentialiter est animal, & substantia; ideo cum prædicatum per se sit superius ad prædicatum vniuersale, & secundum quod ipsum, non mirum, quod dicantur esse idem. Et vt notat M. Soto, cum idem dicat S. Thomas, ac ipse Philosophus; non est cur reprehendatur glossa, quæ est idem cum textu, qui non reprobatur. Sunt ergo idem sicut homo, & animal; sed non conuertibiliter, sicut homo, & animal rationale, quia omne secundum quod ipsum est per se; sed non omne per se est secundum quod ipsum; quia ratio alijs communis, non conuenit huic in quantum tale, & secundum huic peculiaris, & propria.

25 *Aliam solutionem indicat.* Caietanus, iuxta quem dici potest, quod sum prædicatum per se, quod

prædicatur per se conuertibiliter; & quod conuenit in quantum tale, & secundum propria, hoc est idem formaliter cum prædicato vniuersali, & secundum quod ipsum: & de per se in isto sensu loquuntur Philosophus, & S. Thomas cum dicunt esse idem cum prædicato *secundum quod ipsum*; in antecedentibus autem distinxerant alios modos per se, vt istum excellentissimum, & summum seligerent.

26 In hac autem parte, cum tota quaestio sit, & pendeat ex propria vocû significatione (quæ potissime ex vsu sapientium antiquorum in scientijs est desumenda) non oportet alias rationes querere, quæ in authoritatibus Philosophi, & S. Thomæ non fundentur. Sed v oca- bulis expositis, sequitur iam vt ad intentum demonstrationis, & ad eius usum applicemus.

## QVÆSTIO VIII.

*Vtrum Philosophus recte defini- rit demonstrationem?*

9. I.

*Exponitur prima definitio.*

1 **D**ARI demonstrationem suppo- nit Philosophus ex cap. 1. in quo ostendit dari scientiam causa- tæ ex præexistente cognitione prin- cipiorum, quæ sunt per se nota, quæ cum sciētæ causa sint & demonstra- tio, ipsam dari necesse est; ideo sup- posito quod sit, ipsam definit capite secundo dicens: demonstratio in an-

rem dico syllogismum apodicticum, id est, scientem scire seu scientialem, iuxta antiquam translationem. Vel iuxta Argyropilum: demonstrationem autem dico ratiocinationem eam, qua scientiam efficit. Et licet Mag. Soto hanc solam lectionem probet, & illud verbum antiquæ translationis pater additum à quodam sciolo, quia apodicticum, idem est, quod demonstratiuum, quod esset nugatio: tamen in textu quem sequitur S. Th. illud verbum græcum latine redditur *faciens scire*; & ita in re coincidit cum noua translatione.

2. In ista definitione *ratiocinatio*, seu *syllogismus* habet rationem generis, & per hoc distinguitur à prima, & secunda operatione intellectus, & explicatur artificiosa forma demonstrationis: & datur intelligi, quod alia species argumentationis non deseruiunt proxime ad demonstrationem: nam Inductio est magis consueta in cognitionibus probabilibus, & in his quæ sumuntur ab experientia: quia ut ait S. Thom. 1. Poster. lect. 1. litt. c. in inductione concluditur vniuersale ex singularibus, quæ sunt manifesta, videlicet, per sensum, à quibus proxime abstrahit demonstrator. Exemplum autem, præterquam quod est inductio incompleta, melius est ad explanandam definitionem, vel ad rethoricam persuasionem; quam ad exactam definitionem. Rursus Enthimema est syllogismus truncatus quia suppletur vna propositio; & ideo reducitur ad syllogismum, vt perfecte exprimat discursum se-

condum causalitatem, qui exigitur ad demonstrationem. Ex quo à sufficienti enumeratione argumentationum constat, quod demonstratio debet esse syllogismus.

3. Illa particula *scientialis* habet rationem differentia, quia demonstratio est talis syllogismus, qui facit scire: quia omnes hoc intelligunt nomine scientia, quod sit cognitio perfecta, & solus syllogismus qui eam causat facit scire, & est secundum quem scimus in quantum ipsum habemus. Et licet aliqui interpretentur, quod demonstratio solum facit scire in genere causæ formalis, sicut albedo facit album; tamen verba ipsa Philosophi, iuxta nouam translationem supra relatam, declarant ipsum loqui in genere causæ efficientis: & ita S. Thomas, B. Albertus, & expositores communiter aduertunt, quod scire est finis syllogismi demonstratiui; siue effectus eius in genere causæ efficientis.

4. Sed obijcies: nam conclusio est de essentia syllogismi, vt ostendimus libro 3. Dialecticæ cap. 3. q. 1. & in hoc libro quaest. 5. diximus non esse demonstrationem, nec discursum sine conclusione: sed pars intrinseca non potest esse effectus, & finis extrinsecus: ergo scientia non est effectus, sed pars demonstrationis.

Respondetur, quod scientia accipitur dupliciter; vno modo permanenter, & habitualiter alio modo actualiter. Primo modo designat *habitum acquisitum per de-*

*demonstrationem, eo modo, quo explicatur à D. Thoma 1. 2. quæst. 51. & aliquid tangitur in libris de Anima. Secundo modo designat operationem intellectus, causatam ex præmissis, & causantem habitum in anima, seu in eius potentis. Scientia ergo actualis non est effectus in regre demonstrationis, sed vnius partis illius, nempe præmissarum: scientia vero habitualis est effectus totius demonstrationis.*

¶ Quia igitur finis, & effectus demonstrationis est scire; ideo Philosophus præmittit definitionem ipsius scire, dicens: *scire arbitramur simpliciter cum causam arbitramur cognoscere propter quæ res est, & quoniam illius causa est, & non est coningere hic aliter se habere.* Ad cuius intelligentiam recolantur, quæ diximus libro 1. quæst. 3. in principio.

Nunc contra definitionem obijcies; videri obscuram, & facilius posse declarari quid sit scire, dicendo, quod est cognitio certa, euidens, & vera: nihil autem horum in prædicta definitione exponitur.

Imo videtur convenire alijs à definito: nam qui per fidem humanam, aut cognitionem probabilem cognosceret animal rationale esse causam risibilitatis in homine, re vera rem cognosceret per causam, & quod illius est causa: & tamen non cognosceret certo, & euidenter: ergo definitio convenit alijs à definito, quia fides humana, & cognitio probabilis non faciunt scire simpliciter.

6 Respondent Recentiores, Aristotelem hic non explicuisse ve-

ritatem, certitudinem, & euidenciam scientiæ, quia id supponebat, vt omnino certum, & ab omnibus admissum, eo ipso quod daretur scientiæ: sed solum intendit explicare id circa quod versari debet talis cognitio, vt scientiæ rationem obtineat; quod quidem non adeo clarum erat apud omnes.

Isti tamen non videntur legisse textum, vbi clare immediate ex communitè admissis declarat, & manifestat definitionem & ibi S. Thomas lect. 4. littera c. notat, quod hæc est recta manifestatio definitionis quid nominis: nam vt in 2. Topicorum capite 5. dicitur; *nomnibus vtendum est vt plures vsantur:* ergo ex eo quod illas cognitiones exigi ad scientiam, communitè supponeretur, non solum non obstat ad intentum Philosophi, sed erat ad id prorsus necessarium.

7 Coniicio deinde istos novos interpretes textum non legisse; quia confundunt ea, quæ Philosophus tradit in capite quarto de conditionibus præmissarum demonstrationis, cum his quæ hic docet de quid nominis ipsius scire: & non discernunt inter definitionem demonstrationis datam ex parte finis (vt est illa quæ iam nunc exponimus) & definitionem ex parte materiæ præmissarum, quam postea exponemus.

8 Nos in D. Thoma facilem inuenimus intelligentiam definitionis, & argumentorum solutionem. Pro quo notat lect. 4. littera b. quod scire aliquid est perfecte cognoscere ipsum; rem autem perfecte cog-

noscere est perfecte apprehendere ipsius veritatem: eadem enim sunt principia esse rei, & veritatis ipsius, vt dicitur 2. Metaphysic. Oportet ergo scientem, si est perfecte cognoscens, quod cognoscat causam rei scitæ. Et sic patet prima particula definitionis; & in illa habemus quod scire est circa verum.

9 Secundò notat, quod cognoscere effectus in virtute causæ, est scire secundum quid, & in potentia, & in virtute: cum autem loquamur de scire simpliciter, & perfecte; ideo oportet scientem simpliciter cognoscere etiam applicationem causæ ad effectum. Et hoc denotat illa particula: & quoniam illius causa est.

10 Tertio aduertit S. Thomas, quod quia scientia est etiam certa cognitio rei: quod autem contingit aliter se habere, non potest aliquis per certitudinem cognoscere; ideo vltèrius oportet; quod id quod scitur non possit aliter se habere. Ex quibus clarissima manet Philosophi definitio: & in illa radix veritatis, certitudinis, & euidentiæ declaratur: & aperta est distinctio scientiæ simpliciter à reliquis cognitionibus. De quo iterum infra q. 15. dicemus. Et sic cessant

rationes dubi-

tandi.

(.†.)



S. II.

*Altera Philosophi definitio declaratur in communi.*

11 **E**X priori definitione concludit Philosophus definitionem syllogismi demonstratiui desumptam ex materia: dicens: Si igitur est scire vt ponitur, necesse est, & demonstratiuam scientiam ex veris esse, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusio- nis. Probat hanc consequentiam; seu illationis necessitatem manifestat, quia licet syllogismus non requirat præmissas conditiones in propositionibus ex quibus procedit; requirit tamen eas demonstratio: aliter enim non faceret scientiam.

12 Contra hunc modum deducendi, & probandi definitionem est argumentum: nam definitio est indemonstrabilis, quia est propositio immediata, cuius non est causa, nec aliquid quod sit medium ad probationem: vnde Philosophus, & Sanctus Thomas libro 2. à lectione 3, & deinceps probant, quod ipsius quodquid est, & definitionis non est demonstratio: ne sit processus in infinitum. Ergo non recte Philosophus, iuxta expositionem relatam S. Thomæ vnā definitionem concludit ex alia.

Respondent nonnulli, quod hæc non est illatio demonstratiua, sed solum quædam deductio manifestatiua vnus definitionis per aliam. Ita Ortiz tractatu 6. conferentia 2. ad 3.

13. Hæc tamen doctrina non videtur consona Divo Thomæ libro 2. Posteriorum lectione 8. in principio. & quia libro 1. lectione 4. littera a. ad præsens intentum notat Sanctus Thomas, quod in omnibus, quæ sunt propter finem, definitio, quæ est per causam finalem, est ratio definitionis, quæ est per causam materialem, & medium probans ipsam: propter hoc enim oportet ut domus fiat ex lapidibus, & lignis, quia est operimentum protegens suos à frigore, & æstu. Sic igitur de demonstratione dat hic Philosophus duas definitiones; quarum una sumitur à fine demonstrationis, quod est scire; & ex hac concluditur altera, quæ sumitur à materia demonstrationis.

14. Igitur ad argumentum respondet M. Soto libro primo Posteriorum quæstione 2. ad confirmationem sexti argumenti, quod in diverso genere causæ non est inconueniens, quod definitio, quæ datur per causam materialem demonstratur per finalem: quod fit hoc modo. Omnis syllogismus faciens scire constat ex veris, primis, & immediatis: sed omnis demonstratio est syllogismus faciens scire: ergo omnis demonstratio constat ex veris, primis, & immediatis. Vnde cum Philosophus ait, quod immediata propositio est, qua non est altera prior, intelligitur in eodem genere; nihil tamen obstat aliam esse priorem in alio genere causæ. Et præter exemplum D. Thomæ de duplici definitione domus, de quo

iterum videatur S. Thomas 1. Posteriorum lectione 16. littera c. est exemplum M. Soto; folia vitis sunt ampliora, quam folia agmygdali ad defendendum vvas à tempestatibus, quæ sunt magis teneri fructus, quam agmygdala; & nihilominus tam immediata est ista propositio, *vitis est habens folia ampla*; quam ista: *vitis habet folia protegentia vvas à tempestatibus*: cum hoc discrimine, quod prima est immediata in genere causæ materialis, secunda vero in genere causæ finalis: & ideo bene compatitur, quod materialis demonstratur per finalem.

15. Hinc autem insurgit dubium, utrum demonstrare vnam definitionem de definito per alteram eiusdem definitionem, sit demonstratio secundum se, an vero solum quoad nos?

Mouet hoc dubium Caietanus libro 1. cap: 2. & non dissoluit vsque ad librum secundum cap. 7. dubio 3. vbi respondet has demonstrationes esse medias inter demonstrationes, quæ sunt tales secundum se, & inter eas, quæ sunt tales quoad nos: vnde sunt quodammodo per se notæ, & quodammodo non. Sapit naturam demonstrationis secundum se, quia vere videtur dari causa, quare altera causa, quæ primo fuit, insit vltimo in alio genere. Ex alia parte videtur solum demonstratio quoad nos, quia conclusio est propositio per se nota secundum se, quia causa intrinseca, à qua sumitur definitio, seu quodquid est, quod fit prædicatum cõclusionis, etiam in obliquo; est de ratione subiecti,

16 Quod possumus confirmare ex Philosofo 1. Posteriorum textu 22. dicente, *definitio aut est principium demonstrationis, aut demonstratio positione differens, aut conclusio quadam demonstrationis.* Vbi S. Thomas lectio 16. littera c. ait: patet ergo, quod definitio, quæ sumitur à fine, est principium demonstrationis: illa autem, quæ sumitur à materia, est conclusio: potest tamen utraque coniungi; & talis definitio continet totum, quod est in demonstratione, scilicet, medium, & conclusionem.

*Et ideo talis definitio est demonstratio positione differens: quia in hoc solo differt à demonstratione, quia non est ordinata in modo, & figura.* Idem dicit S. Thomas 2. Physicorum lectione 15. in fine. Et libro 2. sent. dist. 9. artic. 1. ad 1. ait S. Thomas, quod definitio, quæ sumitur ex fine formalior est inter omnes definitiones, & *medium demonstrans eas.* Quod & habetur opusculo 48. apud D. Thomam tractatu de Demonstrat. cap. 8. Et ideo videntur demonstrationes simpliciter, & secundum se.

17 Ex alia vero parte S. Thomas in 3. dist. 23. quaestione 2. articulo 1. ad 8. ait, quod si definitio de re aliqua daretur, quæ complete comprehenderet omnia principia rei, non esset unius rei, nisi una definitio. Quod, & docuimus cum S. Thoma libro 2. Dialecticæ cap. 4. quaest. 4. ac per consequens, quod una definitio demonstratur per aliam, est quia definitiones sunt inadæquatæ, & incompletæ: quod provenit ex imperfecta cognitione. Vnde concludo, vere quidem

unam definitionem demonstrari per aliam, ut probant auctoritates, & rationes adductæ; non tamen secundum se, sed solum quoad nos: quia secundum se, quæ intrant definitionem, de definito prædicantur in primo modo dicendi per se: licet quoad nos ex fine demonstratur materia; & ita optime Philosophus ex fine demonstrationis explicato in prima definitione, in secunda deducit materiam demonstrationis.

## § III.

*In particulari exponuntur secundæ definitionis particule.*

18 **D**Escendamus iam ad sigillatim exponendas relatione definitionis particulas. Debet syllogismus demonstrativus esse, vel procedere *ex veris*, quia conclusio demonstranda, quæ facit scire, debet esse vera, cum scientia sit circa verum: ergo & præmissæ debent esse veræ. Probatur consequentia: quia ex falsis non scitur verum; licet, aliquando ex antecedenti falso, semel admissio, sequatur conclusio vera.

19 Idem probat Philosophus, *quonia non est scire quod non est*: ubi non est sermo de esse existentia, sed de esse fundate veritate propositionis: unde S. Thomas lect. 4. littera m. ait; quod autem non est verum non est; nam esse, & esse verum conuer-

tuntur (vt dicitur 2. Metaph. textu 4. lect. 2.) Oportet ergo id quod scitur esse verum.

20 Quod autem demonstratio debeat procedere ex *primis, & immediatis* probat Philosophus, quia non contingit aliquem habere scientiam, nisi habeat demonstrationem eorum, quorum potest esse demonstratio: nam demonstrantur propositiones mediatae, & non immediatae, cum istae cognoscantur habitu principiorum, & non habitu scientiae: ergo vel syllogizantur ex primis, & immediatis? & sic habetur intentum, quod demonstratio est ex primis, & in demonstrabilibus: vel syllogizantur ex mediatis? aut ergo illarum propositionum mediatarum, seu demonstrabilium habet demonstrationem; aut non habet? si non habet; ergo non scit præmissas: & ita nec conclusionem propter præmissas; quia non sunt per se notae. Si autem habet; cum in demonstrationibus non sit procedere in infinitum, vt probat Philosophus libro 1. a lectione 13. vsque ad 36. tandem erit deuenire ad aliqua immediata, & indemonstrabilia principia.

21 Sed obijcies: cum tertia passio probatur conuenire subiecto per secundam passionem, est demonstratio, non solum quoad nos; sed etiam secundum se: vt patet, quia est cognitio euidens per causam; & tamen non procedit ex immediatis, sed ex mediatis, & demonstrabilibus, quæ possunt probari per primam passionem: ergo non conuenit omni demonstrationi, quod procedat ex primis, & immediatis,

seu indemonstrabilibus.

Respondetur concedendo maiorem; & distinguo minorem, non procedit ex immediatis proxime, & immediate; concedo minorem: remote, & mediate, nego minorem. Et eodem sensu distinguendum est consequens. Vnde S. Thomas lectione 4. littera n. ait; & sic demonstratio oportet, quod procedat ex immediatis; vel statim, vel per aliqua media; vnde, & in primo libro Topicorum capite primo dicitur, quod demonstratio est ex proprijs, & veris, *aut bis, quæ per ea fides si impserunt*: quando enim propositio est mediata non scitur perfecte nisi per resolutionem in prima principia: de quo iterum tractando de scientia subalternata in absentia subalternantis infra q. 14.

22 Procedit rursus S. Thomas cum Philosopho probans littera o. quod demonstrationis propositiones, seu principia sint *causa conclusionis*, quia tunc scimus, cum causas cognoscimus. Et ex hoc ostendit vltimus Philosophus, quod propositiones prædictæ sint *prioris*, & *notiores*, quia omnis causa est naturaliter prior, & notior suo effectui. Oportet autem, quod causa conclusionis demonstratiuæ, sit notior, non solum quantum ad cognitionem quid est, sed etiam quantum ad cognitionem quia est. Non enim ad demonstrandum, quod eclipsis Solis est, sufficit scire, quod est Luna interpositio; sed oportet etiam scire, quod Luna interponitur inter Solem, & terram.

23 Obijcies tamen primo nam cum per effectus notiores quoad nos demonstratur causa, est vera demonstratio: & tamē non est ex causis, sed ex effectibus: ergo demonstratio non debet esse ex causis.

Respondetur, quod causa, vel potest esse ex parte subiecti cognoscētis, quæ dicitur causa cognoscendi; vel ex parte obiecti, quæ dicitur causa essendi: omnis demonstratio debet esse ex causis in cognoscendo, quia in omni demonstratione interuenit discursus causalitatis præmissarum in assensum conclusionis: in demonstratione autem à posteriori non est per causam in essendo: quia ut notat S. Thomas 1. p. quæst. 85. artic. 3. ad 4. non est necesse, quod omne quod est principium cognoscendi, sit principium essendi, ut Plato existimauit: cum quandoque cognoscamus causam per effectum, & substantiam per accidentia: vnde demonstratio per effectum non est per causam in essendo: bene tamen in demonstratione à priori; & de ista solum nunc loquitur Philosophus, & de demonstratione propter quid: nam distinctionem inter demonstrationē quia, & propter quid nondum explicauerat, sed id exponit libro 1. lect. 23. apud D. Thomam.

24 Secundo obijcies, & instabis cōtra solutionē: nā dantur demonstrationes propter quid, quæ non procedunt ex causis in essendo: ergo ad demonstrationem propter quid non requiritur quod sit ex causis in essendo. Probat̄ur antecedens: quia non est realis causalitas, ubi non est

realis distinctio: non enim idem est causa realis sui. Sed in Metaphysica, quæ est nobilissima scientiarum, non est realis distinctio proprietatū ab ente, ut 1. p. illius late est ofensum: & tamen formantur vere demonstrationes propter quid: ergo ad istam sufficit, quod procedat ex causis cognoscendi, & non exigitur, quod procedat ex causis in essendo.

Respondetur cum Caietano libro 1. cap. 2. dub. 2. & cum communi expositorum, quod demonstratio simpliciter procedit ex causis in essendo, vel formaliter, vel virtualiter. Causa in essendo formaliter est illa, quæ vere causat, ut exponitur 2. Physicorum: causa in essendo virtualiter est ipsa ratio essendi à priori, quæ (si illud cuius causa dicitur causaretur) sufficiens in suo ordine, causa illius esset. Ita in simili docet ipse Philosophus 2. de Cælo, & mundo textu 13. & quando propria alicuius ratio assignatur formaliter, sufficit ut vera habeatur scientia illius. Rursus, adhuc dato quod passiones in nobis non distinguerentur realiter à subiectis, nihilominus demonstrarentur de illis, ut notat M. Soto hic quæst. 2. ad confirmat. 2. & colligitur ex D. Thoma locis citatis hic libro 1. q. 2. num. 35. & sic Metaphysica est scientia, & demonstrat propter

quid assignando rationes formales.

\*†\*

## QVÆSTIO IX.

*Utrum assensus præmissarum sit certior, & euentior quam assensus conclusionis?*

§. I.

*Quaedam prænotantur.*

**N**Otandum primò, quod ut ait S. Thomas in 3. sentent. dist. 26. quæst. 2. artic. 4. certitudo proprie dicitur firmitas adhætionis virtutis cognoscitiuæ in suum cognoscibile; quæ magnam habet latitudinem, iuxta diuersas causas huius firmitatis. Aliquando enim firmitas sumitur à lumine, quia obiectum est per se notum sensui, vel intellectui; aliquando autem à determinatione principiorum ad conclusiones cum illis connexas; & denique hæc determinatio, & firmitas solet prouenire ex inclinatione voluntatis, quæ omnes vires animæ ad actus suos mouet. De quo videatur S. Thomas in tertio sent. dist. 23. q. 2. art. 1.

2. Pariter S. Thomas 2. 2. q. 4. artic. 8. distinguit, quod certitudo potest considerari dupliciter: vno modo ex causa certitudinis: & sic dicitur esse certius illud, quod habet certiores causas: & hoc modo fides diuina est certior omni cognitione naturali, quia innititur veritati diuinæ. Alio modo potest considerari certitudo ex parte nostri; & sic dicitur esse certius, quod plenius

consequitur intellectus hominis: & sic de sensibilibus, & corporalibus; & de his quæ ratione naturali cognoscimus, secundum quid sumus magis certi, quia sunt nobis proportionata; & nõ plene assequimur ea quæ sunt fidei; cum sint supra intellectum hominis.

3. Hinc tertio est notandum, quod euentia distinguitur à certitudine: nam de his, quæ sunt fidei, certi sumus; & euentiam illorum non habemus, propter obscuritatem, & excellentiam mysteriorum fidei supra nostrum naturale lumẽ. Vnde euentia supra certitudinem addit claritatem, vel cognitionis immediatæ principiorum, vel mediata vt in scientia, vt sumitur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 1. artic. 4. & 5. & clarius quæstione 14. de Veritate artic. 1. ad 7. & artic. 2. ad 15.

4. Manifestum est igitur ex dictis, quod ad demonstrationem exigitur certitudo, & euentia præmissarum, & cognitio exercitata bonitatis illationis: quia non existimamus aliquẽ scire, nisi iudicemus nõ posse aliter se habere, vt inquit Philosophus: & notat S. Thomas lect. 4. littera b. quod hoc ideo est, quia scientia est certa, & perfecta cognitio. Imò lectione 6. in fine aduertit cum Philosopho S. Thomas, quod scienti, & demonstrati nihil debet esse certius, quam quod opposita principijs sint falsa: quia oportet scientem firmissime principijs assentire: quicumque autem dubitat de falsitate vnius oppositorum, non potest firmiter inha-

erere

re re opposito : quia semper formidat de veritate alterius oppositi: quod est non habere scientiam. Cum igitur euidencia, & certitudo cognitionis conclusionum procedat ex certitudine principiorum, vt ait S. Thomas 2. 2. quaestione 4. artic. 8. ad 3. & alibi saepe, videndum restat, vtrum hinc deducatur, quod maior sit euidencia, & certitudo praemissarum, quam euidencia, & certitudo conclusionis?

## §. II.

*Opinio recentiorum rejicitur.*

5 **H**ic quaestioni respondet Arriaga disput. 16. Logicae sectione 4. subsect. 2. conclus. 3. dicens: vtraque praemissa non est certior, quam sit ipse assensus conclusionis. Haec est (inquit) iam inter Recentiores communis, & euidenter probatur: intellectus cognoscit lumine naturae, & euidentissime, idem esse duo aliqua esse idem vni tertio, ac esse idem inter se: ergo non potest esse certior de veritate vnius, quam alterius. Patet consequentia, quia vbi non distinguit intellectus vnum, & aliud, non potest timere, ne vnum sit, & aliud non sit; sed aequae certus debet esse de vtroque, quia scit in re non esse nisi vnum; quandoquidem veritas conclusionis est eadem cum veritate praemissarum. Sectione tamen 5. contendit aliter philosophandum de euidencia, quam de certitudine: quia propositio per se nota euidentius est

illa, quae per discursum infertur.

6 Alij tamen Recentiores eiusdem Societatis contendunt etiam aequalem euidenciam habere intellectum de obiecto conclusionis, ac de obiecto praemissarum. Quod probant primo ex dictis: quia obiectum conclusionis identificatur cum obiecto vtriusque praemissae: ergo sicut hac de causa est aequae certus assensus, eadem ratione erit aequae euidens.

Secundo: nam per se notum est, certo, & euidenter esse eadem inter se, quae sunt eadem vni tertio: ergo aequae euidens est intellectui haec extrema esse eadem inter se, ac esse eadem vni tertio.

Denique, eo ipso quod quis assentitur praemissis debet assentiri conclusioni: ergo eandem certitudinem, & euidenciam habent praemissarum assensus, & assensus conclusionis.

7 In multis deficiunt Moderni isti. In primis rejiciendi sunt, qui parum considerate, & intrepide (ne dicam praecipitanter) euidentem, & communem vocant sententiam expresse contrariam Philosopho, & Diuo Thomae, & omnibus, non solum Thomistis, sed & alijs Interpretibus: vnde oppositum esse commune, etiam inter Recentiores, notauerat Pater Rubio capite 2. quaestione 5. loquendo in strictioribus terminis secundae nostrae conclusionis: nam primam vt manifestam supponit. Et vt de doctrina per se satis clara; & manifesta, de vtraque vobis conclusionem loquitur Pater Raphael

Aversa quaestione 28. sect. 8. & per  
sim alij.

8 Secundo deficiunt, quia non discernunt inter assentiri conclusio ni virtualiter prout in præmissis, seu vt in causis, & assentiri conclusioni formaliter, & explicite in se ipsis: quæ tamen distinguere debere ostendimus quest. 3. & hæc ipsa quaestio necessario præsupponit; nã si actus esset tantum vnus, non relinquitur locus comparationi inter istos actus, quis eorum sit certior, & euidentiore?

9 Tertio, debebant considerare, quod solutiones, quas æquibet axiomati, in quo inuititur Philosophus, iam diu erant relatæ, & solutæ à D. Thoma, & eius discipulis: vnde nihil replicando contra eorum solutiones, non debuerunt gratis ab eis discedere.

10 Quarto, ipsi fatentur clarius nos assentiri præmissis; & cum sint per se notæ, non video qua consequentia negent nos assentiri euidentiore? Admissa autem maiori euidentiore assensus, inconsequenter negatur maior certitudo: nam solutio Arriagæ confundit certitudinem obiectiuam, cum subiectiuam; & tamen circa ea, quæ euidenter cognoscimus, medio illo quo sumus magis, vel minus certi, medio eodem habemus maiorem, vel minorem euidentiorem: vnde, iuxta subiectam materiam, pari passu de certitudine, & euidentiore philosophandum erat.

11 Argumenta autem probant, id quod non negamus, quod æque certo, & euidenter cognoscimus præ-

missis; ac conclusionem prout in præmissis: sed hoc non est ad intentum quaestionis, in qua omnes tractant de assensu conclusionis in se ipsa per actum realiter distinctum ab assensu præmissarum, & realiter ab illo causatum, an per hoc quod causetur, & inferatur, deficiat à certitudine, & ab euidentiore principiorum, à quibus causatur. Exemplum aliud, quod avertit Arriaga de assensu fidei, non est ad rem: quia fides non nititur discursu causalitatis; quamuis in nobis admittat discursum successione, vel applicationis: de quo Theologi latius.

### § III.

#### *Vera, & communis sententia..*

12 **D**ico ergo primo; euidentiore, certius, & clarius assentimur primis principijs, quam conclusioni demonstratæ. Loquimur in sensu formali de conclusione vt demonstrata: nam ipse Philosophus notat, quod si aliunde conclusio esset nota, sicut per sensum, nihil prohiberet principia non esse magis nota conclusione in via illa, vt ait S. Thomas lect. 6. littera d. In hoc ergo sensu conclusio est expressa Philosophi, qui non solum eam docet, sed duplici ratione probat.

13 Primo ratione ostensiuam, vt ait S. Thomas littera b. nam propter quod vnusquodque, & iudicat magis, sicut si amamus aliquem propter alterum, vt si magistrum propter discipulum, discipulum ama-

mus

mus magis. Sed conclusiones scimus, & eis credimus propter principia: ergo multo magis scimus principia, & eis credimus quam conclusioni. Ergo assensus principiorum est certior, & evidentior quam assensus conclusionis.

14. Sed instabis: nam terra est calida propter Solem calefacientem; & tamen Sol non est magis calidus. Ergo axioma non est vniuersaliter verum.

Vt hanc instantiam, & similes præoccuparet S. Thomas, immediate subiungit: attendendum est autem circa hanc rationem, quod causa semper est potior effectu suo. Quando ergo causa, & effectus conueniunt in nomine, tunc illud nomen magis prædicatur de causa, quam de effectu: sicut ignis est magis calidus, quam ea, quæ per ignem calefiunt: quando vero causa, & effectus non conueniunt in nomine; tunc licet nomen effectus non conueniat causæ; tamen conuenit ei aliquid dignius: sicut, & si in Sole non fit calor; est tamen virtus in eo quædam, quæ est principium caloris.

15. Secundo obijcies: obiecta cognoscuntur ab anima propter species intelligibiles: & tamen illæ non sunt magis notæ: ergo etiam si conclusio intelligatur propter principia, non sequitur, quod illa sint magis notæ.

Respondetur ex D. Thoma q. 10. de Veritate artic. 9. ad 3. & 1. p. quæst. 87. artic. 2. ad 3. quod in his, quæ sunt in eodem genere causæ, vt si dicatur, quod sanitas est de-

siderabilis propter vitam, sequitur, quod vita sit magis desiderabilis; quia vtræque pertinet ad genus causæ finalis. Si autem accipiantur ea, quæ sunt diuersorum ordinum; axioma non habet veritatem: vt si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter medicinam; non ideo sequitur, quod medicina sit magis desiderabilis: quia sanitas est in ordine finium; medicina in ordine causarum efficientium. Species intelliguntur, vt quo, & obiecta vt quod; & ideo non est eadem ratio: *quoniam potius illud propter quod aliud cognoscitur, erit magis notum, sicut principia conclusionis.*

16. Alias duas limitationes axiomaticas assignat S. Thomas in 2. dist. 12. quæst. 1. art. 1. ad 2. & vt omnes comprehenderet Caietanus hic cap. 2. §. *Circa propositio nem illam vere, & subtiliter docuit propositio nem verificari, quando totus effectus potest reflecti supra veram causam: & est sensus; quando aliquid est tale propter aliud, quia illud est tale; illud propter quod tale dicitur & est: est magis tale. Et in isto sensu axioma aptum est ad intentum; & instari nequit. Exempla illius in omnibus generibus causarum proponit M. Soto hic quæst. 2. ad confirmat. 8.*

17. Secunda ratio Philosophi ducit ad impossibile: & sic formatur à D. Thoma littera c. principia præcognoscuntur conclusione, vt iam dictum est; & sic quando principia cognoscuntur nondum conclusio est cognita. Si igitur principia non essent magis cognita, quæ con-

conclusio, sequeretur, quod homo, vel plus, vel æqualiter, cognosceret ea, quæ non nouit, quam ea, quæ nouit. Hoc autem impossibile est. Ergo impossibile est, quod principia non sint magis nota conclusione.

18 Ex ista ratione habemus, quod sensus quaesiti a nobis, præcedente expositis, est iuxta mentem Philosophi, & S. Thomæ. Et efficacia rationis consistit in hoc, quod cognoscere in virtute causæ, est scire secundum quid; se id est cognoscere, & intelligere simpliciter, & inde causatur scire, quod est minus certo, & euidenter cognoscere. Cuius rationem assignat B. Albertus hic: nam quod per se est tale, magis est tale, quam quod est per aliud tale: ut ignis, qui per se est calidus, magis est calidus quam aqua, quæ per ignem est calida: sed prima principia per se, & exterminis sunt nota; ergo sunt magis nota quam conclusiones: & per consequens certius, & euidentius illis assentimur. Videantur etiam Philosophus, & S. Thomas 2. Metaph. lect. 2. & lib. 4. lect. 6.

19 Dico secundo; inter ipsas conclusiones demonstratas, certior, clarior, & euidentior est prima, quam secunda, & secunda quam tertia, & sic de alijs; quamuis iste excessus claritatis, & certitudinis, & euidentia, non semper sit perceptibilis. Ita Mag. Soto quest. 2. ad 8. & alij frequenter. Et meo videri clare eam docent Philosophus, & S. Thomas libro 1. Posteriorum lectione 38. littera e,

& lectione 17. littera e. ¶ Primam partem videntur probare rationes primæ conclusionis: nam ideo certius, & euidentius assentimur principijs: quia per se splendent ratione naturalis luminis: unde obliuione, vel fallacia facilius dimouemur à conclusione, quam à principijs per se notis, ut experientia patet: sed primæ conclusiones sunt propinquiores principijs, & aliæ sunt remotiores, & posteriores: ergo quo magis distant minus sumus certi, & minorem habemus euidentiam. Vnde ut in illis firmemur, & perfectius sciamus, in prima principia resoluiamus.

20 Secunda pars patet experientia: & etiã quia vix percipimus, que sit prima, & secunda, & tertia conclusio determinate: ergo multo minus poterimus percipere excessum certitudinis, & euidentia ultimæ conclusionis respectu anterioris.

21 Sed contra istas conclusiones arguitur: nam omnis causa naturalis producit effectum sibi æqualem, cum agat secundum vltimum potentia, ut ignis generat ignem: sed assensus præmissarum sunt causæ naturales respectu assensus conclusionis: ergo generant assensum sibi æqualem in certitudine, & claritate, seu euidentia.

Respondet bene Mag. Soto, quod aut comparatio fit in intentione actuum? Et sic cum intentio sit eiusdem rationis in principijs, & conclusionibus, non est necesse, quod quoad hoc, principia excedant conclusionem: ita possunt al.

assensum conclusionis æque intensum producere. Aut comparatio fit in certitudine, & claritate? Et sic se habent, ut causæ æquivocæ, quia intellectus principiorum statim habet certitudinem, & claritatem per se, & ideo nunquam dat tantam certitudinem, & claritatem conclusioni, quæ non est nota nisi per aliud. Vnde S. Thomas quaestione. 11. de Veritate articulo 1. ad 13. ait, quod certitudo scientiæ tota oritur ex certitudine principiorum: Videatur solutione ad 17. & in solutione ad 18. tradit S. Thomas solutionem eandem, quam nos adhibuimus argumento Platonis hic relato quaestione 1.

### QVÆSTIO X.

#### *De alijs conditionibus præmissarum demonstrationis.*

1. **I**N secunda definitione demonstrationis explicuit Philosophus conditiones demonstrationis, quæ deducebantur ex prima; postea tamen capite. 4. & sequentibus alias deducit conditiones præmissarum & ipsius demonstrationis, de quibus modo dicendum.

(.1.)

§. I.

#### *Debent esse necessariae.*

2. **D**ico primo; ambæ præmissæ demonstrationis debent esse necessariae. Ita expresse Philosophus libro 1. capite 7. textu 25. & ibi S. Thomas tota lectione 13. quam sic demonstrant littera c. Conclusio necessaria non potest sciri nisi ex principijs necessarijs: sed demonstratio facit scire conclusionem necessariam: ergo oportet, quod sit ex principijs necessarijs. Probat minor: nam quod scitur, impossibile est aliter se habere, ut patuit ex Philosopho, & D. Thoma lect. 4. definiens quid est scire. Ex qua doctrina Philosophus appellat *stultos* eos, qui arbitrati sunt, sufficere ad demonstrationem principia probabilia, ut *sophistæ* faciunt, qui apparent scientes, & non sunt.

3. Sed obijcit Arriaga disp. 16. Logicæ sect. 7. dicēs, non esse dubiū aliquas demonstrationes non requirere propositiones omnino necessarias; ut cum dico, *omne currans, movetur; sed Petrus est currans; ergo Petrus movetur*: ubi minor est omnino contingens, & solum est necessaria ex suppositione. Quod autem hæc sit demonstratio, probatur, quia ille syllogismus non est fallax, aut topicus; sed certus, & evidens: ergo negari non potest esse demonstrationem, nisi de voce contendendo. Idē sequuntur Recentiores, qui contendunt de necessarijs ex suppositione dari scientiam.

4 Hic tamen latet æquiuocatio, iam diu detecta à D. Thoma 1. p. quest. 86. art. 3. cum quo distinguendum, & dicendum, quod contingentia dupliciter possunt considerari: vno modo formaliter vt exercent contingentia, quod præcipue conuenit rebus materialibus prout in singularibus existunt; alio modo possunt considerari contingentia quoad connexionem, & quidditatem; & sic necessaria sunt: *nihil enim est ad se contingens, quin in se aliud quiddam necessarium habeat: sicut hoc ipsum quod est Socratem currere, in se quidem est contingens, sed habitudo cuius ad motum est necessaria,* ait S. Thomas.

5 Si loquamur ergo de contingentibus quoad existentiam, & formaliter vt contingentia sunt, sic de eis non potest esse scientia, & demonstratio, vt probat ratio Philosophi: & videatur S. Thomas quest. 15. de Veritate articulo 2. ad 3. & lib. 6. Ethicorum lect. 7. Loquendo autem de contingentibus quoad connexionem essentialem superiorum cum inferioribus, & passionum cum essentia, sic de contingentibus est scientia Moralis, quæ agit de actibus humani subiecti libero arbitrio: & similiter scientia Physicæ quantum ad partem quæ tractat de generabilibus, & corruptibilibus, agit de contingentibus: quia rationes vniuersales, & necessariæ contingentium quidditatiue cognoscuntur ab intellectu, vt ait S. Thomas. Ex cuius doctrina facile patet ad argumentum, quod illa non est demonstratio: quia minor dicit existentiam contingentem conuenientem; & ne-

cessarias secundum quid, non sufficit ad demonstrationem simpliciter. Vnde optime ait Thomas libro 1. lect. 14. littera c. quod ibi non est necessitas absoluta consequentis, sed est necessitas consequentia, secundum quod conclusio sequitur ex præmissis. Videatur etiam Caietanus libro 1. Posteriorum capite 6. per totum, & etiam cap. 7. & S. Thomas lect. 16. & quæ nos diximus lib. 1. quest. 11. n. 7. & 8.

## §. II.

*Qualiter debeant esse per se, & secundum quod ipsum?*

6 **D**ico secundo; præmissæ ambæ demonstrationis debent esse in primo, vel secundo modo dicendi per se; & debent esse de omni. Prior pars sequitur clare ex prima conclusione; quia omnis propositio necessaria est in primo, vel secundo modo dicendi per se: quia in illis prædicatum, vel est de essentia subiecti, vel habet necessariam connexionem cum illo: si igitur præmissæ debent esse necessariae, etiam debent esse per se.

Hinc ostensum manet, quod debent esse de omni, quia omnis propositio per se, est etiam de omni: si quidem quod necessario conuenit, semper conuenit, & non interdum inest, & interdum non inest subiecto.

7 Dico tertio; cum demonstratur prima passio per definitionem subiecti, conclusio est in primo modo dicendi per se, & minor in primo, & maior in quarto modo. Ita

S. Thomas 1. Posteriorum lectione 13. littera b. ita dicens: sciendum autem est, quod cum in demonstratione probatur passio de subiecto per medium, quod est definitio, oportet, quod prima propositio, cuius prædicatum est passio, & subiectum est definitio, quæ continet principia passionis, sit perse in quarto modo. Secunda autem, cuius subiectum est ipsum subiectum, & prædicatum ipsa definitio, in primo modo. Conclusio vero, in qua prædicatur passio de subiecto perse, in secundo modo. His verbis S. Thomæ est probata hæc conclusio, & confirmatum, quod supra diximus quæst. 6. §. 4. quod prima passio saltem quoad nos, potest demonstrari: ut in hac demonstratione: *omne animal rationale est disciplinabile; omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est disciplinabilis*: conclusio est in secundo modo, & minor in primo; & maior in quarto: & rursus ambæ præmissæ sunt etiam perse causæ conclusionis, quod pertinet ad quartum modum.

8 Addit bene M. Soto libro 1. capite 4. textu 10. quod quando prima passio demonstratur de subiecto per primam passionem; conclusio, & minor sunt in secundo modo; maior vero in quarto: ut si dicatur: *omne admiratum est risibile; omnis homo est admirativus; ergo omnis homo est risibilis*. ¶ Quando vero definitio materialis demonstratur de definito, per definitionem formalem, aut per finalem; conclusio, & minor sunt in primo modo, & maior est in quar-

to modo. Exempla iam preposuimus q. 8. §. 2.

De tertio vero modo mentionem non facimus, quia ut ex D. Thoma diximus quæst. 7. num. 12. non est modus prædicandi, sed existendi, vel essendi rerum, ut in complexe significantur.

9 Dico quarto; demonstratio propter quid potissima debet esse de prædicato vniuersali; dari tamen possunt demonstrationes in quibus id non reperitur in vtraque præmissa. Sumitur ex Philosopho, & D. Thoma lib. 1. Poster. lectione 11. littera f. & lectione 38. per totam. Priorem partem probant, quia demonstrator demonstrat passionem de proprio subiecto, & si demonstrat de aliquo alio, hoc non est, nisi in quantum pertinet ad illud subiectum: sed hoc est præmissas esse de prædicato vniuersali perse, & conuertibili: ergo perfectissima demonstratio ex tali prædicato constat,

Quod rursus probatur, quia sic perfectissime facit scire, probando propriam passionem de proprio, & adæquato subiecto cum ipso conuertibili, & per proprium propter quid passionis conuertibile cum ipsa.

10 Secunda pars probatur, quia demonstratione propter quid utitur ad probandam propriam passionem de aliqua specie; aut individuo subiecti ad quatuor, & etiam de ipso genere particulariter sumpto; in quibus casibus tantum vna præmissa est de prædicato vniuersali: ergo quod vtraque præmissa sit de præ-

prædicato vniuersali, non semper est necessarium.

§. III:

*An demonstratio debeat procedere ex proprijs*

11 **V**T notat S. Thomas lib. 1. Posteriorum lect. 15. in principio, & habetur opusculo 48. apud D. Thomam tractatu de demonstratione cap. 6. proprium aliquando dicitur esse aliquid, quia non est extraneum; & aliquando dicitur esse proprium, quia non est commune alijs.

12 Dico ergo quinto: demonstratio non est ex extraneis. Ita Philosophus, & S. Thom. locis citatis, & authores communiter: & ratio Philosophi sic formatur illo opusc. 48. supponendo quod in demonstratione sunt tres termini, sicut, & in quolibet syllogismo, scilicet, maior extremitas, quæ est propria passio; minor extremitas, quæ est subiectum, & medium, quod est definitio subiecti cum definitione passionis.

Sic ergo arguitur: si medium esset extraneum à maiori, vel minori extremitate, quod scilicet, non esset definitio vtrumque comprehendens, tunc maior extremitas nõ prædicaretur de eo per se: sed probatũ est, quod in maiori propositione maior extremitas prædicatur per se de medio in quarto modo dicendi per se, & in minori propositione prædicatur medium de minori extremitate per se in primo modo: ergo de

monstratio non procedit ex extraneis, sed ex proprijs.

13 Vel potest hoc probari eo modo quo ratio declaratur à M. Soto libro 1. cap. 7. notando, quod principia non possunt esse aliena, aut communia, nisi aut ratione subiecti, aut passionis, aut dignitatis. Rursus subiecta scientiæ, aut sunt omnino diuersa, aut vnum continentur sub alio vt species sub genere; aut quia addit supra illud differentiam accidentalem, vt differentia scientiæ subalternæ. Et hoc vltimo modo nũc nõ loquimur, quia licitus est transitus à subalternante ad subalternatam: vtitur enim Perspectiuis principijs Geometriæ, & Musica principijs Arithmeticæ: de quo postea. Secundo vero modo scientiæ non sunt diuersæ: quia ad eandem scientiam pertinet demonstrare passiones generis, & specierum illius. Sermo ergo est de scientijs diuersis primo modo.

14 Formatur ergo ratio sic: illa scientia non potest demonstrare ex principijs alterius scientiæ, cum qua non communicat in subiecto: sed scientiæ diuersæ, quarum vna non subalternatur alteri: non communicant in subiecto: ergo vna non potest demonstrare ex principijs alterius. Minor patet ex prænotatis. Et maior probatur, quia non potest sumere principia ab alijs, nisi vel in toto, vel in parte communicet cum illis in subiecto: quia medium, & extremitates debent esse eiusdem generis: si quidem medium debet esse definitio subiecti, quod est minor extremitas; & eius passio est

maior extremitas; & ex his tribus debent constare dignitates. Definitio autem, & passio per se debent conuenire subiecto: & per consequens debent esse eiusdem generis: quod si non conueniunt per se, iam accidentaliter conueniunt, atque adeo non erunt principia apta demonstrationi.

15 Contra hoc tamen obijcit Arriaga disp. 16. Logicæ sect. 8. conclus. 2. probans, quod demonstrationes perfectissimæ possunt fieri ex principijs communibus: ut si dicatur: *omnis bona definitio constat genere, & differentia: sed hoc, homo est animal rationale, constat genere, & differentia: ergo est bona*: Conclusio pertinet ad Philosophum; & tamen vna ex premisis, maior, scilicet pertinet ad Logicam. Eodem argumento vtuntur Recentiores eiusdem alij familiar, tantum exemplo materialiter variato, sic: *definitio, & definitum conuertuntur: homo, & animal rationale sunt definitio, & definitum: ergo homo, & animal rationale sunt idem*, seu conuertuntur. Vbi demonstratur conclusio Physicæ per medium Logicæ.

16 Huius argumenti solutionem possent legere in Philosopho, & D. Thoma 1. Posteriorum lect. 20. in fine, & in Caietano cap. 12. conclus. 4 & Soto cap. 8. in fine, & in alijs expositoribus, cum quibus dicendum, quod Logica, & Metaphysica vtuntur principijs communibus: Metaphysica quidem illa explicando, & defendendo, quia obiectum eius est ens in quatum ens: Logica vero agit de omnibus, quia tra-

ctat de operationibus intellectus; & quia circa omnia quæ sunt habet negotiari ratio; ideo dicitur in 4. Metap. quod agit de omni ente: non quia ens reale sit eius subiectum proximum, sed quia est eius materia remota. Est autem discrimen inter Logicam docentem, & vtentem: nam Logica docens, quæ demonstratiua est, tradit regulas quo modo fiant demonstratiuæ scientiæ ex parte conditionum materiæ, & iuxta formam artis Logicæ. At vero Logica vtens ministrat principia communia; & ideo dicitur tentatiua, quia tentare est ex principijs extraneis procedere: nam ens rationis est accidentale, & extraneum à naturis rerum; & ideo lib. 1. q. 1. §. 4. diximus non esse scientiam. Iuxta hoc ergo negatur illas esse demonstrationes, quia procedunt ex extraneis, & accidentalibus subiecti, & non per se ei conuenientibus.

17 Secundo respondetur, quod adhuc dato, quod illæ essent demonstrationes, esset peculiaris ratio de Logica, & Metaphysica, quæ sunt scientiæ communes, propter vniuersalitatem sui obiecti in Metaphysica, & Logica, quia est reperta ad introductionem in alias scientias, vt possent alijs ministrare in principia ex quo non posset inferri, quod in alijs scientijs posset esse transitus de genere in genus, & quod vna scientia demonstratiue procedendo posset vti principijs alterius scientiæ sub qua

non continetur,

(.†.)

## §. IIII.

*Qualiter demonstratio procedat  
ex communibus?*

18 **D**ico sexto, demonstratio propter quid non procedit ex principijs communibus, & remotis non conuertibilibus cum effectu. Ita Philosophus & S. Thomas lect. 17. & ratio est nam demonstratio debet procedere ex primis, & immediatis: sed utendo principijs communibus ambæ præmissæ demonstrationis non erunt immediatæ, & primæ; quia per multa media debent probari: non ergo ex talibus procedit demonstratio.

19 Ponit exemplum Philosophus cap. 10. Si quis ad probandum quod *lapis non respirat*, argueret in secundo modo secundæ figuræ: *omne respirans est animal: nullus lapis est animal: ergo nullus lapis respirat*: argueret per causam remotam non conuertibilem, cum dentur animalia non respirantia, quæ scilicet, non habent pulmonem. Affert aliud exemplum Anacharsidis, qui ad probandum in Scythia non esse tibicines, sic arguebat: *vbi sunt tibicines sunt vires: in Scythia non sunt vires: ergo non sunt tibicines*. Quæ nõ est demonstratio propter quid, cum vitis sit causa remota recte modulandi: medium enim propinquum esset, ut ait S. Thomas lect. 24. littera, d, non habere vinum, & adhuc propinquius, non bibere vinum; ex quo sequitur *lætitia cordis*, quæ mouet ad cætan-  
dum, vt sic sibilatio pro cantu intel

ligatur. Vel melius potest dici, quod *sibilus* hic accipitur, non pro quolibet cantu; sed pro cantu videntiantium, quod vocatur *celeuma*. Hæc ibi S. Thomas. Et habetur hæc vox in isto sensu in sacro textu Hieremiæ 25. versu 30. *celeuma quasi calcæium concinetur*. Et capite 48. versu 33. *nequaquam calcæi vna solitum celeuma cantabit*. Et cap. 51. versu 14. Vnde non video ex quo textu, vel translatione accepit P. Rubio cap. 10. quæst. 1. num. 4. hic esse sermonem de saltatricibus.

20 Obijcies primo: nam ut diximus quæst. 8. num. 21. cum tertia passio demonstratur de subiecto, est vera demonstratio propter quid: & tamen essentia est causa remota: ergo ad demonstrationem propter quid sufficit causa remota.

Respondetur concedendo maiorem; quamuis illa demonstratio non sit potissima, sed aliquo modo imperfecta: & distinguo minorem, est causa remota conuertibilis cum effectu; concedo: non conuertibilis, nego: & de ista loquitur Philosophus: de quo videantur Caietanus cap. 13. quæst. 5. & PP. Carm. disp. 18. q. 2. num. 31.

21 Secundo obijcies: nam prima principia communissima ingrediuntur demonstrationem ostensiuam, & propter quid: ergo falsum est, quod ista non procedat ex principijs communibus. Probatur antecedens primo: nam Auerrois 2. Physicorum textu 12. sic arguit: *idem simul esse, & non esse est impossibile: materiam primam esse sine forma est*  
f:

*simul esse, & non esse: ergo materiam primam esse absque forma est impossibile.* Et tamen maior huius demonstrationis est principium primum communissimum: ergo principia prima formaliter demonstrationem ingrediuntur. Secundò: nam sæpe inter arguendum recurrimus ad communissima principia: & tunc æque bene argumentamur, ac si ex proprijs argueretur: quod non esset, si ex cõmunibus demonstratio non posset confici.

22 Huic difficultati respondetur opusculo 48. apud D. Thomam tractatu de Demonstratione cap. 6. quod principia communia non intrant actu demonstrationes, quæ fiunt in scientijs, sed virtute tantum. Quod subtiliter, & copiose declarat Caietanus 1. Posteriorum cap. 12. dubio 1. dicens, quod virtualiter ingredi demonstrationem, est virtutem suam ad demonstrationem cooperari; quia id in quod siluatur principiorum virtus, illorum virtute conclusionem infert. Et hoc modo non est dubium prima principia omnes demonstrationes ingredi. Formaliter autem ingredi demonstrationem est secundum se ipsum in demonstratione assumi: & hoc, vel in terminis communissimis; vel cõtracta ad terminos speciales: vel in actu signato; vel in actu exercito.

23 Concedit ergo Caietanus principia prima in sua communitate demonstrationem ingredi in actu signato: & pariter admittit de eis vt contractis ad peculiariora genera: & hoc dicit probare argumentum. Ne

gat verò illa ingredi in actu exercito; quia id esset superfluum: & quia Philosophus de vfu primorum principiorum agebat; vltus autem rei attenditur panes exercitiũ eius; ideo absolute negat demonstrantẽ vti communibus principijs.

24 Forte in hoc sensu posset intelligi S. Thomas 1. Posteriorum lectione 20. littera a. in fine: probat enim, quod nulla demonstratio accipit principia vniuersalissima; quia nihil plus certificatur intellectus, siue assumantur, siue non; quia idem intelligitur per vtrumque; & sic esset inutilis repetitio. Quod intelligo in intellectu recte disposito: nã per accidens, contra ignaros, vel proteruos, necesse est tales propositiones assumere, vt ex Philopono notat Soto cap. 8. textu 26. addens hoc forte voluisse Philosophum, cum iuxta versionem Argyropyli ait: *nisi fuerit opus, vt hoc eiu-n pacto demonstraretur conclusio.* Et propterea Philosophus, & S. Thomas libro vñdec. Metaph. lect. 4. per totam docent, quod Mathematicus virtutur principijs communibus, secundum quod appropriantur scientiæ suæ: nam hoc principium: *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ relinquuntur æqualia sunt;* commune est omnibus quantis, & pertinet ad Metaphysicam; & tamen ab Arithmetico accipitur secundum quod pertinet ad numeros tantum; à Geometra secundum quod pertinet ad lineas, vel ad angulos. Idemque contingit in alijs principijs Metaphysicæ, quæ Physica sibi appropriat. Et sic de alijs.

25 Addit idem M. quaest. 4. ad 4. quod ad explicandam contradiccionem in aliqua particulari materia, non inconuenit principia vniuersalia assumere: ad probandum tamen alias conclusiones particularium scientiarum ostensiuæ, negat Philosophus principia vniuersalissima esse assumenda formaliter; quamvis intrent ibi virtualiter. Contra proteruos autem non est arguendum ostensiuæ, sed deducendo ad impossibile, vt ex Philosopho declarat S. Thomas lectione 20. littera b.

26 Explicata materia syllogismi, videbatur consequenter disputandum de forma ipsius: de qua agunt Philosophus, & S. Thomas libro 1. lectione 26. & opusc. 48. vbi supra capite 9. & 10. Sed quia id non continet aliquid examine dignum, sufficiet S. Thomam videre, vbi explicat, quod demonstratio potissima affirmatiua fit solum in prima figura, & in primo modo eius; & demonstratio potissima negatiua debet fieri in secundo modo secundæ figuræ; & recolantur dicta libro 3. Dialecticæ. Addit autem M. Soto hic capite 11. quod licet demonstratio affirmatiua commodius fiat in prima figura, & aptius ad concludendum efficacius, & ad faciendum scire; non tamen negatur quandoque fieri demonstrationem in secunda figura, præfer-

tim demonstratio quia,  
de qua iam pergimus  
disputare.

(†)

## QVÆSTIO XI.

*De demonstratione, quia.*

1 **H**ucusque egimus de demonstratione propter quid; illi enim conuenire definitiones relatas, notauit Philosophus capite 2. dicens: *Si igitur, & alius sciendi sit modus, posterius explicabimus*, scilicet, capite 10. in quo assignat differentiã inter demonstrationem quia, & propter quid, vt ibi exponit S. Thomas lectione 23. vsque ad 25. ex cuius doctrina, & ex his quæ habeantur opusculo 48. apud D. Thomam tractatu de Demonstratione capite 11. notandæ sunt definitiones, seu descriptiones vtriusque.

L. I.

*Exponitur quot modis fit demonstratio, quia.*

2 **D**emonstratio propter quid est illa, in qua manifestatur causa quare predicatum inest subiecto in conclusione. Demonstratio verò quia dicitur illa, in qua concluditur aliquid inesse subiecto alicui; non tamẽ assignatur causa quare sibi inest. Vnde est scire esse, & non propter quid est. Et sic notat Soto cap. 10. quod *ly. quia* nõ accipitur causaliter, sed per modum pure coniunctionis, quia est demonstratio quod hoc sit hoc.

3 Præterea notandum, quod demonstratio est duplex; alia à priori; & alia à posteriori: illa est per cau-

causam, seu rationem formalem, aut medium, quod est prius conclusione etiam in essendo: demonstratio à posteriori est per effectum, vel per signum, vel per aliquid posterius conclusione in essendo; licet in cognoscendo, & quoad nos sit prius.

4 Has duas diuisiones inaduertenter confundunt Didacus à Iesu disp. 17. quæst. 1. & Cauero disp. 2. dub. 4. & alij moderni, nullo moti fundamento, nisi quia negligunt legere Philosophum, & S. Thomam, & antiquos Interpretes.

5 Illorum tamen inaduertentiam diligenter excludunt PP. Carmelitani disp. 18. quæst. 3. num. 43. & P. Aueria quæst. 28. sect. 4. & alij frequenter: quia demonstratio per causam remotam non conuertibilem, non est demonstratio propter quid; sed quia; & tamen est à priori; siquidem causa remota est prior in essendo. Similiter Philosophus, & S. Thomas 1. Posteriorum lect. 25. littera b. docent, quod in scientia subalternata assignatur quia, eorum de quibus in subalternante assignatur propter quid: & tamen illæ procedunt per causam: ergo non omnis demonstratio quia est à posteriori, nec omnis demonstratio à priori est propter quid: quamvis omnis demonstratio propter quid sit à priori, & omnis demonstratio à priori sit quia; non tamen è contra.

6 Constituit ergo Philosophus duos modos demonstrationis quia in eadem scientia. Primus quando procedimus per effectus conuertibiles immediatos, quia effectus

est notior quoad nos; & secundum sensum, quam sit nota causa; licet causa sit notior simpliciter, & secundum naturam, ut si quis concludat, quod Planetæ sunt prope nos, quia non scintillant: non enim non scintillare est causa, quod Planetæ sint prope nos, sed è conuerso: stellæ enim fixæ scintillant, quia visus caligat propter earum distantiam. Syllogisimum ad hanc formam redigit S. Thomas lectione 23. littera b. *omnis non scintillans est prope: Planetæ sunt non scintillantes: ergo sunt prope.* Quia minore existente negatiua, conclusio deberet esse negatiua, quia conclusio sequitur de uiliorem partem; ideo in minori non subsumit: *Planetæ non scintillant.*

7 Si autem maior extremitas mutetur in medium, erit demonstratio propter quid per propriam, & adæquatam causam, quod fit in hac forma: *Stellæ, quæ sunt prope nos non scintillant: sed Planetæ sunt prope nos: ergo Planetæ non scintillant.* Vel *non micant*, iuxta versionem Argyropyli. Notat autem Sanctus Thomas in 4. distin. 1. quæstione 1. articulo 1. quæst. 1. ad 5. quod demonstratio quia (in ista acceptatione) est, quæ dicitur esse per signum à communi, ut in 1. Physicorum textu 4.

8 Secundus modus demonstrationis quia est cum *mediū extraponitur*, vel quia est diuersum à maiori termino, ut in syllogismis negatiuis, vel quia mediam est quasi contrarium, & non conuertitur cum maiori termino. Ita exponit

S. Thomas lectione 24. in principio. Et quod per hoc medium non possit demonstrari *propter quid* probatur à Philosopho, quia demonstratio *propter quid* est per causam: tale autem medium non est per causam proprie loquendo, ut in exemplis supra adductis de demonstratione per causam remotam apparet.

9 Aduertit autem S. Thomas lect. 25. in fine, quod illa differentia *quia*, & *propter quid*, quæ est secundum diuersas scientias, continetur sub secundo dictorum modorum, scilicet, quando fit demonstratio per causam remotam. Sicut quod *Ulcera circularia tardus sanentur*, Medici est scire *quis*, qui hoc experitur; sed *propter quid* scire est Geometræ, ad quem pertinet cognoscere, quod circulus est figura sine angulo, unde partes circularis vulneris, non appropinquant sibi, ut possint de facili coniungi.

10 Vitra hos modos demonstrationis *quia* à Philosopho assignatos, est alius constitutus à Themistio hic cap. 29. quem approbat Auerſa quæst. 28. lect. 4. in fine, de demonstratione procedente à committantia aliquorum, quæ separari non possunt propter connexionem; & tamen non sunt effectus, & causa: tunc enim ex vno poterit euidenter inferri aliud; ut risibile, & febile in homine: & diæ relationes mutue: & proportionales mathematicæ: ex his enim conficitur probatio euidentis, & necessaria, ac proinde non est cur non vocetur demonstratio.

11 Improbatur tamen ab Auerſi, & Zabarella libro de Speciebus demonstrat. cap. 5. & à Maffio hic lect. 1. quæst. 6. quia ubi est mera committantia; est connexio accidentalis, & ita non erit processus demonstratiuus, quia non erit de omni, & per se. Præterea, non potest concludi euidenter connexio aliquorum inter se, nisi propter connexionem cum tertio: quia in isto principio innitur tota ars syllogizandi, ut patuit libro 3. Dialecticæ: necessitas autem posterioristica syllogismi demonstratiui supponit necessitatem prioristicam ex parte formæ. Quæ propter hoc videtur tenendum, quod nisi sit aliqua dependentia, vel connexio quæ æquiualeat dependentiæ, ita ut saltem virtualiter, & æquiualeat sit causa proxima, vel remota, vel propter quid, aut quia, non erit demonstratio.

12 Argumenta, quæ videntur probare diuisionem demonstrationis in *quia*, & *propter quid* non esse adæquatam, referunt, & diluunt PP. Carmelitani disp. 18. q. 3. quæ omittimus, ut de diuisionis qualitate tractemus.

## §. II.

*Vtrum demonstratio quia simpliciter, & uniuoce sit demonstratio?*

13 **N**egant Soto quæst. 2. ad 2. & q. 5. ad 1. Maffio lect. 10. lect. 1. q. 1. & 2. PP. Carmelitani disp. 18. quæst.

Quæst. 4. n. 50. dicentes esse communem inter antiquos. Probât ex Philosopho c. 7. & D. Thoma lect. 18. dicente *scire ex proprijs principijs solum est veri scire*. Et lect. 23. affirmat demonstrationem *propter quid* esse demonstrationem simpliciter.

Secundo probatur: nam demonstratio simpliciter est quæ facit scire simpliciter: sola autem demonstratio propter quid hoc facit, quia dicit Philosophus cap. 2. quod *scire simpliciter est rem per causam cognoscere, &c.* Unde per demonstrationem, quia, non producitur habitus scientiæ; sed solum quædam dispositio ad illam. Et S. Thomas lect. 8. littera a. ait, quod *demonstratio, quæ fit ex nobis notioribus, non est simpliciter demonstratio*. Quod, & expresse videtur ibi docere Philosophus.

14 Affirmat Sanchez lib. 7. q. 11. citans B. Albertum tract. 3. cap. 6. Themistium, Averroem, & alios. Et probât primo ex D. Thoma 1. p. q. 2. art. 2. ad 2. ubi admittit vere demonstrari causam per effectum, & Deum esse, docet per creaturas demonstrari. Ratione arguit: demonstratio in communi est syllogismus faciens scire: demonstratio quia est huiusmodi: quia cum concludat evidenter, non est cognitio principiorum, nec probabilis, aut supposita; erit ergo vera demonstratio.

15 Sequuntur eandem sententiam plures, quos refert, & sequitur Rubio capite 10. quæst. 2. Aversa quæst. 28. sect. 2. Didacus à Iesu disp. 17. quæst. 2. & M. Ioannes à S. Thoma quæst. 25. artic. 4. qui ut argumenta dissolvat, addit quod de

demonstratio quia ex modo procedendi certo, & evidenter est univoce demonstratio; est tamen imperfecta respectu ad ea, quæ attingenda sunt de obiecto; quia versatur solum circa *an est*, non attingendo radicem, & causam veritatis propter quam est. Et videtur versari circa præambula ad scientiam, quamvis ministerialiter appropientur scientiæ principali, ut in simili docet Cajetanus 1. p. q. 2. art. 3.

16 Iudico utramque sententiã valde probabilem: imò, ut ait M. Soto, forsam disputatio est de nomine, an demonstratio quia sit simpliciter demonstratio? quia postquam omnes conveniunt, quod evidenter *an est* demonstrat, & certo, & evidenter concludit; item omnes concordant, quod *propter quid*, & causam non manifestat; remanet ergo disputatio de usu illius vocabuli *demonstratio simpliciter*, an illo significetur sola demonstratio per causam? an verò significet in genere omnem syllogismum procedentem ex certis, & evidentibus? & quamquam apud multos antiquorum in priori strictissima significatione usurparetur; quia tamen iam fere usus scholæ invaluit, ut in latiori significatione accipiatur, loquamur ut plures, & secundã sententiã amplectamur. Præcipue, cū ratio syllogismi procedentis ex certis, & evidentibus videatur unius rationis formalis genericæ, & univoce, quæ in istas duas species subdividitur. Quæ ratio autem sunt in eadẽ scientia, differunt specie materiali, seu in esse rei; nõ tamen formaliter in esse scibili, sicut

iuxta dicta libro 1. quæst. 4. & videtur omnino Caietanus 1. 2. q. 54. art. 4. §. ad tertiam rationem. & S. Thomas 1. 2. q. 67. art. 1. & q. 8. de Virtutibus, quæst. 5. de Cardinali, articulo ultimo.

### §. III.

#### *An sit species infima?*

17 **O** Ritur autem circa hanc sententiam quæstioncula, an demonstratio propter quid, & quia sint species infimæ?

Respondet P. Didacus à Iesu disp. 17. q. 2. conclusione 2. quod demonstratio propter quid est vna species infima, quia constat materia eadem in specie, nempe, propositionibus necessarijs, & causis conclusionis ordinatis ad eundem finem. Demonstratio tamen quia est species subalterna, quia complectitur demonstrationem per causam remotam, demonstrationem à posteriori, & à signo. Item demonstrationem ostensivam, & demonstrationem ducentem ad impossibile: quam ad demonstrationem signorū reducit Averrois 1. de Cælo commento 5. quas omnes in essentiali perfectione constat distingui: ergo demonstratio quia sub se plures species continet.

18 Secundam partem huius sententiæ facile omnes admittent. Quam circa ultimam probationem oporteat notare, melius dixisse M. Soto libro 1. q. 5. ad cõfirm. 2. quod demonstratio ad impossibile aliqua reducitur ad demonstrationem prop-

ter quid; & aliqua ad demonstrationem quia, vt ibi exemplis adductis probat. Videatur S. Thomas lect. 40.

19 Priorem verò partem frequenter alij reijciunt; & merito: nam demonstratio affirmatiua, & negatiua specie differunt, vt in simili diximus lib. 2. Dialect. cap. 8. quæst. 2. & tamen dantur etiam demonstrationes negatiuæ, quæ sunt quasi propter quid. Ponit exemplum S. Thomas 1. Posteriorum lect. 26. littera e. in prima figura sic: *Nulla quantitas est substantia: omnis linea est quantitas: ergo nulla linea est substantia.* Et in secunda figura hoc modo: *Omnis linea est quantitas: nulla albedo est quantitas: ergo nulla albedo est linea.* Videatur etiam Philosophus capite 21. & S. Thomas lect. 39.

Deinde, inter demonstrationes propter quid continetur illæ, quæ pertinent ad scientias specie differetes: ergo loquendo (vt nunc loquimur) posteriori scilicet, ex parte, scilicet, materiæ, negari nequit dari diuersas species demonstrationis propter quid.

## QVÆSTIO XII.

### *Vtrum demonstratio circularis sit vitiosa?*

1 **C**irculus proprie loquendo in demonstratione est, quod conclusio fiat præmissa, & præmissa fiat conclusio: & hoc vel inter duas demonstrationes propter quid; vel inter duas demonstrationes quia, aut in eodem genere causæ, aut in diuerso genere. Vtroque autem modo, vel solum præmissas transmu-

tendo, & circulum, & regressum  
aciendo formaliter: quia probare-  
tur per æque notum isti: vel cum  
premissa, & conclusio sunt materia-  
liter eadem; & tamen quia affertur  
nova probatio, vel sensu, aut expli-  
catione, aut aliunde nouo modo ma-  
nifesta, est quasi formaliter diuersa.

2 Dico primò; circulus forma-  
lis in demonstratione est vitiosus,  
& illicitus. Ita Philosophus, & S.  
Thomas libro 1. lect. 8. vbi probant  
tribus argumentis; sed duo priora  
facilius percipiuntur. Prima ratio  
talis est. In circulari syllogismo  
idem sit conclusio, & principium:  
principium autem demonstratio-  
nis est prius, & notius conclusio-  
ne, iuxta dicta lect. 4. Sequitur er-  
go quod idem sit prius, & posse-  
rius respectu vnius, & eiusdem, &  
notius, & minus notum: hoc autem  
est impossibile. Ergo est impossi-  
bile circulariter demonstrare. Hec ra-  
tio solum procedit de demonstra-  
tione propter quid, vt in fine capitis  
tertij notat Caietanus, & indicat S.  
Thomas satis clare.

3 Secundò probat Philosophus:  
nam si sit demonstratio circularis  
sequitur, quod in demonstratione  
probetur idem per idem. Sic autem  
facile est circulo demonstrare om-  
nia: hoc enim facere quilibet po-  
terit, tam sciens, quam ignorans:  
& sic per demonstrationem non  
acquiritur scientia: quod est con-  
tra definitionē demonstratio-  
nis. Nō ergo potest esse demonstratio cir-  
cularis.

De tertij ratione Philosophi le-  
gatur S. Thomas lect. 8. littera e, &

Soto capite tertio in fine.

4 Dico secundò; regressus, vel cir-  
culus materialis in demonstratio-  
ne non est illicitus; quando est per ali-  
quid aliunde notius; vel in alio gene-  
re cause; vel est regressus difformis.  
Ita sanctorum ex D. Th. 1. Posterior.  
lect. 14. littera a, in fine. & lect. 16.  
littera c. & lib. 2. Posterior. lect. 12. in  
principio & lib. 2. de Cælo lec. 16.

Probaturque primò ex Philo-  
sopho 1. Posteriorum textu 23. vbi  
admittit demonstrationem ex no-  
tioribus nobis ad notiora secundū  
naturam; nobis autem notiora so-  
lent constare per sensum; & notiora  
secundum se, constare solent demō-  
stratione à priori. Idem colligitur  
ex 1. Physicorum tex. 1. & 2.

5 Rursus, primo de Anima tex-  
tu 11. admittit ex cognitione essen-  
tiæ cognosci accidentia, & ex acci-  
dentibus essentias: ergo licitus est  
regressus in demonstratio-  
nibus istis, si vna sit ex notiori secundum se, &  
alia ex notiori quoad nos,

Tertio, vt docet Philosophus 2.  
Phys. tex. 31. & probabitur in Phy-  
sica, causæ adinuicem sunt causæ in  
diuerso genere; & ideo q. 8. §. 2. di-  
ximus demonstrari vnā definitionē  
demonstrationis per aliā: ergo circu-  
lus materialis, & difformis est licit⁹.

6 Quarto probatur: nam isto  
modo procedendo nō sequuntur in  
cōueniētia primæ cōclusionis, quia  
non probatur formaliter idem per  
idem; nec minus notum per magis  
notum: quia bene potest idem esse  
magis, & minus notum per diuer-  
sa media. Quod subtiliter decla-  
rāt Caietanus libro primo Posterioris

rum cap. 13. dub. 2. & Aversa q. 28. sect. 14. multos citans : quamvis in modo loquendi differant: nam Caietanus negat demonstrationē circularem puram, & concedit demonstrationem circularem admixtam, & fulcrum aliquo alio adminiculo; quod nos alijs verbis vocamus regressum materialem, & formalem.

7 Non desinam tamen notare, quod si secundū rē loquamur, & sola utamur perfectissima demonstratione propter quid; absolute videtur neganda circularis demonstratio. Quod videtur docere S. Thomas lib. 1. lect. 8. littera a. in fine dicens: ex his ergo apparet, quare dialecticus syllogismus potest esse circularis: procedit enim ex probabilibus: probabilia autem dicuntur, quæ sunt magis nota, vel sapientibus, vel pluribus: & sic dialecticus syllogismus procedit ex his, quæ sunt magis nota nobis. Contingit autem idem esse magis, & minus notum quoad diversos; & ideo nihil prohibet syllogismum dialecticum fieri circularem (non loquitur de circulo omnino repetente idem per idem; sed quando iper diversa media est magis, & minus notum.) Sed demonstratio (propter quid) fit ex notioribus simpliciter, & ideo ut dictum est, nō potest fieri circularis demonstratio.

8 Secundo id constat, quia secundum se loquendo vna demonstratio perfectissima omnes causas debebat complecti iuxta ea quæ diximus q. 8. n. 17. & ideo non datur locus circulo demonstrationum.

9 Demum, ut docet S. Thomas 1. p. q. 47. art. 1. ad 3. Medium demon-

strationis, quod perfecte demonstrat conclusionem, est vnum tantum; sed media probabilia sunt multa. Ergo qui cognosceret medium, & demonstraret perfecte, aliam demonstrationē à priori, & perfectam formare nō posset: ergo multo minus egeret demonstratione circulari.

### QVÆSTIO XIII.

#### De subalternatione scientiarum.

1 **S**olent plerique hic longam, & prolixam texere disputationem, non solum de scientia, quæ est effectus demonstrationis; sed etiam de omnibus habitibus intellectus; non attendentes, id quod admonent Philosophus, & S. Thomas 1. Posteriorum lect. 44. quod de his agere pertinet, vel ad Metaphysicam, vel ad Philosophiā naturalem in libris de Anima, vel ad Philosophiā moralem, quæ dicitur Ethica.

2 Nos breuiter iam explicitimus: quid sit scientia, tum hoc libro, exponendo definitionē syllogismi q. 8. tum etiā lib. 1. q. 3. Ibi etiā q. 4. tetigimus Logicis necessaria de scientiarum vnitare; quare horū exactā discussionē suis locis reseruantes; duo tantū restant ad cōplementum doctrinæ huius libri, quæ explicare debemus, videlicet, de requisitis ad subalternationē scientiarum; de quo puncto expresse meminerunt Philosophus, & S. Thomas hic lect. 25. & 15. & de distinctione scientiæ à cognitionibus, & habitibus in eundē tibus, & evidentibus, de quo tractat Philosophus, & S. Th. lect. 44.

§. I.

*Acceptiones subalternationis.*

3 **V**T scientiarum subalternationem explicemus, supponimus, ex vocis significatione, quod scientia subalternans est scientia sub se alteram continens; scientia vero subalternata dicitur, scientia sub altera contenta; quod quia multis modis contingit, ideo multiplex est acceptio subalternantis, & subalternata.

4 Tres acceptiones distinguit Flandria lib. 1. Metaph. quaest. 8. artic. 4. & passim authores; nempe subalternationem *ex parte finis*; *ex parte principiorum*, *ex parte obiecti*. Est subalternatio ex parte finis, in quantum finis vnius scientiae ordinatur ad finem alterius; & sic omnis scientia practica subalternatur Politicæ, secundum Philosophum. 1. Ethicorum: & S. Thomas 1. p. quaest. 1. art. 5. ait, quod practicarum scientiarum illa dignior est, quæ ad vltiorem finem non ordinatur, sicut Civilis Militari: nam bonum exercitus ad bonum ciuitatis ordinatur.

Subalternatio ex parte principiorum est, quando vna scientia accipit pro principijs conclusiones in alia demonstratas; sicut Medicina subalternatur Geometriæ, quia aliqua eius accipit principia, vt in exēplo adducto quaest. 11. num. 9. & Geometria accipit aliqua principia Arithmeticæ.

Subalternatio ex parte subiecti est, quando vna scientia collocatur

sub alia ratione obiecti: vnde Auerrois hic cōm. 30. ait; *id accidere in omnibus, quorum subiecta sunt quadam sub quibusdam.*

5 Aduertit autem S. Thomas opusculo 70. quaest. 5. artic. 1. ad 5. & libro 1. Posteriorum lect. 25. quod, hoc contingit dupliciter: vno quidem modo quando subiectum vnius scientiæ, est species subiecti superioris scientiæ; sicut animal est species corporis naturalis; & ideo scientia de animalibus est sub scientia naturali; alio autem modo quando subiectum inferioris scientiæ, non est species superioris scientiæ; sed subiectum inferioris scientiæ comparatur ad subiectum superioris sicut materiale ad formale, sicut Perspectiua se habet ad Geometriam: ista enim est de linea, & alijs magnitudinibus; Perspectiua autē est circa lineam visualem, quæ non est species lineæ simpliciter.

6 Addit Soncinas libro 4. Metaph. quaest. 9. quod aliqua scientiæ subalternantur, *quantum admodum*; quod contingit quando vna scientia dicit tantum quia de aliqua conclusione, & alia dicit *propter quid* de eadem: & hoc modo Medicina subalternatur Geometriæ in ista conclusione; *vulnus circulare tardius sanatur.*

7 Demum solet contingere, quod in eisdem scientijs adunantur subalternatio ex parte principiorum, & ex parte obiecti, & ex parte modi, quia videlicet ab illa accipit principia, obiectum huius addit ditte: entiam accidentalem supra obiectum alterius, & inferiori

solum assignatur quia eorum de quibus in superiori assignatur propter quid: & tunc absque dubio est perfectissima subalternatio.

## §. II.

*In quo consistat subalternatio?*

8. **H**is acceptionibus expositis, ut ad intentum applicemus; dubitatur primo, quæ sit essentialis ratio subalternationis?

Certum est primo, quod subalternatio solum ex parte finis, est imperfecta, & minus propria ad intentum: quia illa potissime deseruit pro artibus, & scientijs practicis, & nunc loquimur præcipue de speculatiuis scientijs: & etiam quia ex illo capite potius dicitur vna ars, vel facultas alteri deseruire, & ministrare, quam ei subalternari.

9. Secundo est certum, quod subalternatio solum quoad vnum, vel alterum principium, non est subalternatio simpliciter, ut probat M. Soto hic q. 5. ad confirm. 5. arg. quia hæc nõ est dependens totalis, & simpliciter, sed partialis, & secundum quid: vnde Philosophia non subalternatur Geometriæ; licet interdum ab illa accipiat: nec Chirurgia subalternatur Geometriæ, quia corpus sanabile non est inferius ad quantitatem, sed subiectum eius. Et Theologia accipit multa principia Physicæ, & Ethicæ, ut patet in tota prima parte summæ S. Thomæ, & per totam primam secundæ; in quibus multa Philosophiæ naturalis, & moralis assumuntur; & tamen

illis non subalternatur Theologia: quia, ut ait S. Thomas 1. p. quæst. 1. art. 3. ad 2. Theologia non accipit ab alijs quia eis indiget; sed ad maiorem manifestationem suæ doctrine; & ideo non accipit ab alijs scientijs tanquam à superioribus; sed utitur eis tanquam inferioribus, & ancillis: sicut architectonicæ videntur subministrantibus, ut Ciuilis Militari.

10. Supponimus tertio, id quod cum communi Doctorum ostendimus 1. p. Metaphysicæ Controu. 4. art. 4. quod vnam scientiam sub alia collocari, quia obiectum scientiæ inferioris est species subiecti superioris, vel sub illius ratione communissima transcendentem essentia. licet continetur, non sufficit ad subalternationem rigurosam, in eo sensu in quo nunc loquitur Philosophus, ut notat S. Thomas hic lect. 25. littera b. nam subiectum inferioris scientiæ debet comparari ad subiectum superioris sicut materiale ad formale; quod fit addendo differentiam accidentalem, ex cuius additione constituitur speciale genus scibilis.

11. Quarto supponendum, quod B. Albertus hic, tres proponit condiciones ex communi Doctorum requisitas ad subalternationem. Prima, quod obiectum subalternatæ contrahat obiectum subalternantis, & se habeat ex additione ad illud. Secunda, quod addat illi differentiam accidentalem. Tertia, quod talis differentia non sit propria passio, quia ad eandem scientiam pertinet subiectum, & passionem confide-

si derare: & sic non differrent scientia subalternans, & subalternata.

12 His conditionibus ab antiquis assignatis, addit Caietanus lib. 1. cap. 12. q. vlt. quod inter differentiam additam, & id cui additur sit connexio per se primo, sicut inter definitum, & eius principium, quia ex ista coniunctione oriuntur speciales passiones de ipsa demonstrabiles. Et tandem quinta conditio est, quod subalternans dicat *propter quid* principiorum subalternata, quorum ipsa accipit *quia* iuxta Philosophum, & S. Thomam 1. Posteriorum lect. 25.

13 Hinc ergo est occasio dubij an videlicet propriissima subalternatio attendatur ex additione differentie accidentalis, modo predicto; an vero potius debeat attendi ex parte principiorum?

14 Quod potissime attendatur ex parte additionis differentie accidentalis, videtur communis sententia, videlicet Fladriæ, & Socinatis ubi supr. 1. & PP. Carm. disp. 19. q. 1. ubi multoscitatur; alios refert Vazq. 1. p. disp. 6. c. 2. licet ipse non parum discrepet à predictis conditionibus: eas tamen communiter acceptari testatur Rubio hic cap. 10. & Zumel 1. p. q. 1. art. 2. q. 3. notabili tertio. Et hæc sententia funditur in autoritate Philosophi, & S. Thomæ, & in communi significatione istarum vocum: & quia sic convenienter assignatur discrimen inter subalternantes, & subalternatas: desumptum ex parte obiecti, à quo species scientiæ sumitur.

15 Alia vi: Caietanus 1. p. q.

1. art. 2. §. Circa hanc, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez libro 7. q. 12. concl. 2. Aversa hic quaest. 27. sect. 6. Nazarius 1. p. quaest. 1. art. 2. in expositione textus, & controuers. 2. Alteda 1. p. disp. 1. conclus. 4. & alij ex Thomistis, explicant primam, & essentialem differentiam inter subalternantem, & subalternatam, dicendo quod sumitur ex principijs: quia scientia in hoc distinguitur ab alijs virtutibus intellectualibus, quod respicit conclusiones visibiles in alio, id est, in principijs, quia omnis scientia oritur ex principijs: conclusiones autem subalternantis sunt visibiles in principijs, & ex principijs immediate: subalternata vero conclusiones visibiles sunt ex principijs & in principijs per se notis solū medio habitu scientifico subalternatæ. Et hæc est essentialis, & per se differentia inter subalternantem, & subalternatam scientiam. Cæteræ autem conditiones sunt consequentes, aut sunt talis subalternatæ non subalternatæ ut sic.

16 Hæc opinio Caietani videtur omnino tenenda. Primo, quia est ad mentem S. Thomæ 1. parte. quaest. 1. art. 2. in principio cor. & quaest. 14. de Veritate artic. 9. ad 3. & opusculo 70. quaest. 2. artic. 2. & in Prologo sentent. & alibi sæpe. Secundo, quia oritur ex proprijs scientiæ: nam hæc est cognitio veritatis necessariæ mediata, & omnis eius certitudo, & euidencia est ex resolutione ad prima principia visa, quæ per se præsto sunt intellectui: ergo radicalis, & per se differentia

de

desumitur ex continuatione mediata, vel immediata cum primis principijs.

17 Ad fundamenta prioris opinionis respondetur, quod in scientijs procedentibus ex lumine naturali, non stat vniuersalis subalternatio quoad principia, quin simul stet subalternatio ex obiecto, & ex modo: & quia ista magis nobis innotescunt, per istas circūscribit Philosophus aliam. Præterquam quod, iam diximus, quod cum subalternatio est perfecta, coniunguntur subalternatio ex principijs, & ex obiecto, & ex modo; & ad omnes comprehendendas, tot conditiones multiplicarunt antiqui, relinquendo posterioribus authoribus disputare, quæ sit conditio primaria, & essentialis?

### §. III.

*Vtrum subalternata sit vere scientia?*

18 **H**OC est secundum dubium, quod ex dictis oritur. Cui ex parte videtur negativè respondere P. Pereyralib. 1. Physicorum capite 4. docens scientiam subalternantem, & subalternatam, non convenire vniuoce in ratione scientiæ; sed solum conveniunt analogice; eo quod scientia subalternata essentialiter à subalternante dependet: dependentia autem causat in æqualitatem, & analogiam, & impedit vniuocationem.

19 Dicendum tamen est, scientias subalternantes, & subalterna-

tas vniuoce convenire in ratione scientiæ: vnde subalternata vere, & proprie est scientia. Ita Philosophus, & S. Thomas 1. Posteriorum lect. 25. littera c. dicens: ostendit qualiter se habeant prædictæ scientiæ ad invicem secundum conveniētiam. Et dicit, quod fere huiusmodi scientiæ sunt vniuoca ad invicem. Dicit autem fere, quia communicant in nomine generis, & non in nomine speciei, &c. Quare ita tenent communiter Doctores.

20 Et ratione probatur: nam Musica, Perspectiva, Machinativa, Astrologia, & similes sunt vere scientiæ, & tamen subalternantur Geometriæ, vel Arithmeticæ, quæ etiam sunt vere scientiæ; ergo scientia subalternans, & subalternata vere sunt scientiæ, & in hac ratione vniuocantur. Imo & in genere magis proximo conveniunt; si quidem Geometria, & Arithmetica simpliciter Mathematicæ sunt, & aliarum quædam adhuc in specie conveniunt, ut ait S. Thomas: nam, & Navalis dicitur Astrologia, & practica Musicæ dicitur Musica.

21 Secundo à priori probatur ex definitione scire: nam est rem per causam cognoscere &c: sed omnes prædictæ scientiæ demonstrant per causam, & ostendunt quod non potest aliter se habere, ut inductione patet: ergo omnes sunt vere, & proprie, & vniuoce scientiæ.

22 Ad rationem prioris sententiæ in simili iam respondimus libro 2. Dialecticæ capit. 8. quæst. 2. ad primum ex D. Thoma 1. Perihel. lect.

lect. 8. in principio, quod prioritas, & dependentia est duplex; alia secundum propriam rationem, & naturam diuidentium; alia secundum participationem illius. Primum non tollit vniuocationem generis; ut patet, nam numerus ternarius dependet a binario, & tamen aequaliter, & vniuocè participant rationem generis. Sed secundum impedit vniuocationem generis; & ideo ens dicitur analogice de substantia, & accidente; quia hoc in ratione entis dependet a substantia, cum sit ens. Igitur scientia subalternata in ratione scientiæ non dependet a subalternante; sed in participando rationem communem in particulari dependet, sicut conclusio dependet a præmissis, & vna operatio intellectus dependet ab alia; & tamè vniuocè conueniunt.

23 Secundo difficilius obijcitur: de ente per accidens non potest esse scientia, ut docent Philosophus, & S. Thomas 6. Metaph. lectione 2. sed obiectum scientiæ subalternata est ens per accidens: ergo de illo non potest esse scientia. Probatur minor ex subiecto, & accidente non fit vnum per se, ut docet S. Thomas 7. capite de Ente, & essentia, & alijs locis reatis q. 18. num. 16. libro primo quia constat rebus non solum primo diuersis; seu quarum vna est substantia, & alia accidens: sed scientia subalternata addit differentiam accidentalem supra subiectum subalternantis: ergo ex vtraque non fit vnum per se.

Respondet S. Stephanus 6. Metaph.

disputatione 5. & alij quæ tenent, & legitur Aueris quaest. 26. arti. 4. de ente quod est vnum per accidens, & per aggregationem dari posse vnam scientiam; sicut Medicina de corpore sonabili; Philosophia Moralis de homine leuiticabili; Mathematica de quantitate mensurabili. Insuper Arithmetica considerat numerum, Musica numerum sonorum, Politica Rem publicam; quæ omnia sunt entia per accidens. Et huius ratio est: quia dantur sua prædicata, & passionibus, quæ de his subiectis sciri possunt; dantur etiam media quibus probari, & demonstrari possunt. Ergo de his subiectis potest dari scientia: cum modo non sit ens per accidens casuale, seu fortuitum, ut dicunt Comib. hic quaest. 2. art. 1. in capite 10.

24 Hæc tamen solutio aperte contrariatur Philosopho, & S. Thomæ, & communi Lectorum 6. Metaphys. capit. 2. & libro 11. capit. 9. Leinde bene tenetur a Caietano hic cap. 13. quaest. vltima: quia passionibus ordinate dimanant a subiecto; ab aggregato autem per accidens passionibus, quo ordine, aut qua aggregatione, & colligatione oriuntur. Intererea, quomodo subiectum illud habebit vnam definitionem; cum entis per accidens nulla sit definitio, ut dicitur 7. Metaph. textu 12. Tertio, & vrgentius: nam qua ratione de hoc aggregato *linea v. s. a. i.* est scientia, pari ratione de *linea tangibili, & dulci, & calida,* erit scientia: & sic infinite erunt scientiæ subalternatæ Geometriæ.

Idem dicit Caietanus tomo 3. opusculorum tract. 4. quare non bene profecitat eum Auerſa, cum ex profefſo eius ſententiam impugnaret.

25 Occurrunt Maſius hic capite 10. ſect. 2. q. 2. & alij dicentes, quod ens per accidens in genere rei, in genere ſcibilis eſt vnum per ſe, & de illo eſt vna ſcientia: & ſic ſubalternata tractat de obiecto, quod eſt vnum per accidens in genere rei; & vnum per ſe in genere ſcibilis.

Parum tamen diſſert hæc ſolutio à precedenti; & contra eam militant authoritates, & rationes factæ: quia hac diſtinctione ſaluari poſſet quod de ente per accidens eſt ſcientia, & ſcientiæ multiplicabuntur in infinitum. Et ruruſum definitio eſt principium ſcientiæ: entis autem per accidens non eſt vna definitio, ſicut nec vnum genus, & vna diſſerentia: ergo nec entis per accidens eſt vna ſcientia, vt latius dicetur 3. p. Metaph. contr. 2.

26 Quare melius reſpondet Caietanus, & authores communiter, quod ſcientiæ ſubalternatæ non tractant de Ente per accidens: quia alterum illorum conſiderant directe & formaliter, & aliud indirec- te, & materialiter. Quod indicat S. Thomas lect. 25. littera b. dicens, quod *ſubiectum inferioris ſcientiæ comparatur ad ſubiectum ſuperioris ſicut materiale ad formale.* Itaque, hæc forma prout in tali materia, fundat tales paſſiones, quas non fundaret, ſi in alia materia conſideraretur: ſufficit autem vnitas entis artificialis ad obiectum ſcientiæ: quia eſſe vnum per ſe multis modis contingit, vt

ex D. Thoma notatum eſt libro. 1. quaſtione 4. numero. 2. & libro 2. quaſtione 17. num. 8. & per hoc reſpondetur fundamento primæ ſolutionis. Iuxta hanc vero dicitur, quod illa ſunt vnū vnitate artificialis perfectionis, & ordinis, & ſic vnū per ſe: quia ſubiectam conſideratur vt principium, & forma accidentalis, vt formale obiectum. De quo PP. Carmeli diſput. 19. quaſt. 2. à num. 19. vſque ad 24. late tractant, & ſubtiliter Caietanus.

### QVÆSTIO XIII.

*Vtrum ſubalternata ſit vere ſcientia in eo, qui non habet ſubalternantem?*

§. I.

*Due opiniones.*

1 **S**Vnt in hoc puncto duæ principales ſententiæ. Prima abſolute negans in abſentia ſubalternantis dari poſſe ſcientiam ſubalternatam; nam iſta, vt ſit ſcientia, debet in eodem intellectu ſuppone- re notitiam euidentem principiorum, ex quibus immediate procedit. Ita Aureolus, & Gregorius in Prologo 1. ſententiarum; Suarez diſp. 1. Metaph. ſectione 5. num. 46. Vazquez 1. p. diſcut. 4. capite 5. & 6. Auerſa diſput. 27. ſectione 6. & alij moderni. Ex Thomiſtis obiter idem dicunt Soucinas libro 4. Metaph. quaſtione 9. artic. 1. §. *Sciendum*, & art. 2. in prin-  
ci-

capio. Bañez 1. p. quæst. 1. artic. 2. dubio. 1. ad 2. Citatur ab aliquibus Caietanus; sed inmerito, quia oppositum ubique expresse docuit, ut videbimus.

Ex parte fauer, nouissime Lerma libro 8. Logicæ quæst. 14. conclusione 4. dicens, quod si principia scientiæ subalternatæ ab vno, vel altero Magistro accipiuntur; conclusiones inde deductæ non erunt scientiæ. Secus vero si de principijs habeat certitudinem moralem: quam habere potest carens illa scientia, si omnes; qui in illa scientia docti habentur, verbis, & scriptis absque contradictione aliquorum conspirent in asserendo talia principia vere, & euidenter in scientia subalternante demonstrari: ex ista enim certitudine morali principiorum, deduci potest scientia, licet imperfecta conclusionum subalternatæ. Videtur hic dicendi modus in re coincidere cum illo, quem referemus ex sententia Sanchez, & aliorum.

3 Per oppositum alij contendunt in absentia subalternantis scientiam subalternatam esse vere, & proprie scientiam; licet non habeat statum scientiæ, nisi continetur cum subalternante. Ita Capreolus quæstione 1. Prologi conclus. 1. & ad argumenta contra illam. Caietanus hic capite 13. & 1. p. quæst. 1. artic. 2. §. ad eidentiam, ut ipse se declarat 2. 2. q. 1. artic. 5. esse que communem Thomistarum testantur PP. Carmelitani disput. 19. quæst. 3. citatis pluribus, quos sequuntur Magist.

Ioann. à S. Thoma quæst. 26. artic. 3. Mag. Oriz tractatu 6. conferentia 4. §. 2

4 Hæc secunda sententia tenenda est, quia videtur omnino ad mentem S. Thomæ 1. p. quæst. 1. artic. 2. ubi ait: *sicut Musica creditur principia sibi tradita ab Arithmetica; ita doctrina sacra creditur principia reuelata sibi à Deo*: ex quo infert Theologiam esse scientiam, quia ex certitudine principiorum fidei, deducit conclusiones.

Respondet Magister Bañez, quod simile adductum à D. Thoma, non tenet quoad hoc, quod vnus habeat Musicam, & alius Arithmeticam; sed solum quoad hoc, quod sicut non obstante, quod Musica accipiat ab Arithmetica sua principia, est scientia suarum conclusionum; ita nostra Theologia accipit sua principia à scientia beatorum, & tamen est scientia. Cum hoc discrimine, quod fides Theologica est firmior omni humana cognitione: secus vero fides humana.

5 Sed contra sunt verba S. Thomæ: nam credere non dicitur, qui scientiam habet: sed S. Thomas loquitur de credente principia: ergo loquitur de illo, qui caret scientia subalternante. Secundo; nisi hoc modo intelligatur, simile, non convinceret intentum; quod erat explicare, quod cum fide principiorum, stet scientia conclusionum.

6 Præterea, S. Thomas in 1. ad Anib. distinctione. 1. articulo 1. ait, *quod in istis proximum principium est credidit principiorum ab alijs* sit-

*suppositivum &c. Quod, & docet a. 14. de Veritate art. 9. ad 3. & li-  
tius prosequitur S. Thomas opusc.  
70. quest. 2. art. 2. ad 5. dicens: in  
scientiis subalternatis supponuntur, &  
creduntur alia quae à superioribus scientiis  
subalternantibus: & huiusmodi non sunt  
per se nota nisi superioribus scientiis. Et  
ad 7. dicit: aliquando fides est proxi-  
mum principium scientiae; sicut patet in  
scientiis subalternatis, quia earum con-  
clusiones sic & ex proximo principio pro-  
cedunt ex fide eorum, quae supponuntur à  
superiori scientia, &c.*

7 Respondere S. Thomam im-  
proprie fuisse loquantem, est evasio  
indigna Theologo; quia Angelicus  
Magister scholastice disputando,  
si verba acciperet improprie, me-  
dium sumeret à quovocce, & sic ni-  
hil concluderet, Et rursus; Theolo-  
gia, principia accipit per fidem stri-  
cte sumptam. Ergo ut exemplum  
esset ad rem, & de fide proprie sum-  
pta, & de scientia in specie scientiae lo-  
quitur S. Thomas.

## §. II.

### *Varie probatur secunda sen- tentia.*

8 **N**ON vna via defenditur hæc  
conclusio: nam Caietanus v-  
bi supra, Nauarrere 1. p. contra 1. 4.  
& Ioan. à S. Thoma, & alij, ex eo  
probant: quia subalternata ex spe-  
cie sua debet ut claritas, eo quod in-  
clinat ut continetur cum subalter-  
nante, & media illa participet à pri-  
mis principiis claritatem, & eiden-  
tiam: ergo procedit ex principiis

presuppositivae evidentibus: ergo  
est scientia.

9 Hæc tamē ratio probat, quod  
subalternata ex specie sua fit, scientia  
(quod authores contrarij non  
negant) non tamen, quod in isto in-  
tellectu habente fidem principio-  
rum, habeat essentiam scientiae: quia  
ista debet esse à notioribus, ut pa-  
tet ex Philosopho hic cap. 2. & 6.  
Ethic. cap. 3. & qui credit, obscuri-  
tatem habet, non vero evidentiam,  
& claritatem.

Secundo; quia bene compatitur;  
quod alicui obiecto ex natura sua  
scientia, & demonstratio debeat;  
& tamen ego de illo solam habeam  
fidem, vel opinionem, propter im-  
perfectionem luminis, & medij: er-  
go ex eo, quod ex specie sua, vel ex  
inclinatione, habitus fit scientifi-  
cus, non sequitur, quod cum prin-  
cipiorum tantum habetur fides;  
conclusionum fit scientia.

10 Aliter Sanchez lib. 7. q. 12.  
PP. Carm. n. 28. & alij, quos sequi-  
tur Ortiz, id explicant, quia ad scien-  
tiam sufficit certitudo principiorum,  
quando eis sine vlla hæsitacione ad-  
hæremus, quia nec Philosophus in  
definitione scire posuit evidentiam;  
& eo ipso quod sit certa cognitio  
mediatæ veritatis, non est cur non  
sit scientia. Sed eo ipso quod cog-  
noscamus principia illa in alia scien-  
tia demonstrari; credimus sine hæ-  
sitacione. & habemus quasi eviden-  
tiam in attestante, sicut novimus ef-  
se Indos, aut esse Romanam, quia stul-  
tum est dubitare de his, quæ to-  
tus mundus dicit: ergo ex hac cer-  
titudine principiorum possunt eiden-  
den-

genter conclusiones deduci; & istæ erunt scientiæ subalternatæ.

11 In ista ratione multi hærent in maiori: quia S. Thomas 2. 2. q. 1. artic. 5. & quæst. 14. de Verit. artic. 1. & 10. videtur exigere evidentiam mediatam ad rationem scientiæ; quæ est certitudo cum claritate. Vnde S. Thomas in 3. dist. 23. quæst. 2. artic. 2. quæstiuncula 3. ad 1. ait. quod certitudo scientiæ consistit in duobus, scilicet in evidentia, & firmitate adhesionis.

Sed quia in Prologo ad Anibaldum, videtur se explicare de evidentiâ principiorum primorum; nõ verò de evidentiâ sumpta ex principijs immediatis ideo admittit maiori, de qua 1. p. quæst. 1. art. 2. & artic. num. 18.

12 Adhuc videtur difficilis minor: quia omnis fides humana est fallibilis, quia *omni homo mendax*, & quamvis appareat doctus decipi potest: ergo nunquam assentimur sine hæsitatione.

Respondet Lerma, quod vnus, vel alter decipi potest; non tamen omnes Doctores, & omnes libri quando nullo contradicente concordant.

13 Sed contra primo: qui non debet, qui desiderat acquirere scientiam subalternantem, omnes Doctores totius mundi consulere, ne decipiatur: quia facilius posset scientiam superiorem addiscere. Secundò: si illi non excedit limites humane fidei, poterit metaphysice indicari falsa, & prudenter hæsitare: & ita non erit principia scientiæ. Tertio nam conclusio sequitur debilo-

rem partem: & ita si vnũ principium solũ habet evidentiam morale, etiã conclusio non erit scientifica: sicut si principium solum esset probabile, vel illatio non esset necessaria, conclusio non esset scientia.

§. III.

*Melius probatur, & exponitur vera scientia.*

14 **A**Liter ergo dici potest, quod qui vult addiscere scientiam subalternantem, & non vacavit scientiæ subalternanti, potest illius conclusiones, vel saltem aliquas, cognoscere, vel per sensum, vel ex notuitatis ab alia scientia; non quidem perfecte penetrando, sed notitiã quadam confusa; sed quæ non nitatur solum authoritati, sed rationi: & ad hoc forte significandum Nazarius 1. p. quæst. 1. artic. 2. dixit, quod non credit homini, vt homo est, sed vt scientificus est: & qui sic supponit principia, in alia scientia perfecte demonstrabilia, per notitiã quã si procedit quodammodo ex notioribus, & perficietur eius cognitio; si continetur cum superiori scientia: interim tamen alia via possunt principia esse nota, vt aduertit S. Thomas 1. Posteriorũ lect. 6. littera d. & lect. 5. littera e. in fine ait: *Sunt quedam propositiones, quæ non possunt probari, nisi per principia alterius scientiæ; & ideo oportet, quod in illa scientia si proponantur; licet probentur per principia alterius scientiæ.* Sicut à principio punctum est rectam lineam euectre, supponit Cœmetra, & probat

Naturalis, ostendens, quod inter quælibet duo puncta sit linea recta média. Iste tamen suppositiones explicatæ, aliquando patent ad sensum; sæpe, saltem confuse, probantur ex his, quæ in superiori à priori clare demonstrantur. Et cognitio ista imperfecta, comparatiue ad aliam est fides, & credulitas: in suo tamen genere omnino certa; ac per consequens apta, ut inde conclusiones scientifice deducantur.

15 Quod amplius declarari potest ex illo celebri dicto Philosophi, & S. Thomæ lectione 25. lit. b. quod ad subalternatam pertinet *quia*, ad subalternantem *propter quid*: quod non est sic intelligendum, quasi subalternata non dicat *propter quid* suarum conclusionum; alioquin non essent simpliciter, & perfecte scientiæ, etiam continuatæ cum alijs: unde bene docet M. Sora quæst. 5. ad 6. quod scientia subalternata suas conclusiones, non solum demonstrat ab effectu, sed à priori, & *propter quid*. Dicitur ergo ad ipsam pertinere *quia* duplici titulo; vel quia principia, quæ scientia superior demonstrat à priori, ipsa solum per viam suppositionis demonstrat *quod an est*, & imperfecte, & ex inde conclusiones deducit scientificas; sed non habentes statim scientiæ perfectam, usque dum scit *propter quid* eorum quæ solum noat *quia*.

16 Secundo dicitur ad ipsam pertinere *quia*, eo quod applicat ad singularia, & per sensum agnoscit aliqua scientia inferior, quæ solum in eorum uni considerantur in scien-

tia superiori. Imò tanta solet esse eius abstractio, quod applicatio ad illa particularia nõ pertinet ad scientiam superiorem, sed solum ad inferiorem. Quod esse de mente Philosophi aduertit S. Thomas lectione 25. littera d. dicens: & ideo dicit primo Philosophus, quod scire *quia* est sensibile, id est scientiarum inferiorum, quæ applicant ad sensibilia; sed scire *propter quid* est Mathematicorum, id est, scientiarum quarum principia non applicantur ad sensibilia, &c. Posset apponi exemplum in ista propositione: *corpora à longe visa apparent minora*, quam experitur Perspectiuus, & *propter quid* demonstrat Geometra, quia res à longe videntur per minorem angulum.

17 Ex quibus habemus duas probationes conclusionis. Prima est, ut sit scientia, saltem imperfecta, sufficit, quod principia immediata, sint nobis certa quoad sensus, licet non sint notiora simpliciter: sed scientiæ subalternatæ, quando sunt in absentia subalternantis, assumunt principia nota quoad sensus; licet illorum ratio abstracta, & *propter quid* pertineat ad superiorè scientiæ: ergo habent essentialè rationè scientiæ. Cõsequentiã est legitima. An hæ præmissæ sunt ex dictis manifestæ: & maior est D. Th. lect. 4. in fine: & patet in naturalibus scientijs, in quibus essentiæ, & virtutes rerum, propter hoc quod in materia sunt, sunt occulta, sed innotescunt nobis per ea, quæ exterius de ipsis apparent: unde in talibus sunt demonstrationes in plurimũ per effectus, qui sunt notiores

res quoad nos, & nō simpliciter. Minor verò, videlicet, quod quoad hoc eadē sit ratio de subalternatis, ostēsa est ex D. Th. lect. 25. verbis relatis: & quia ista sciētia, quia inferiores, applicant magis ad singularia, & sensibilia, quam sciētia subalternates, quae sunt nobiliores, & magis abstractae. Est exemplū, iā saepe adductū, de illa propositione, *vulnera circularia ter diu sanantur*: de qua Medicus scit quia: nā hoc experitur; sed *propter quid* scire est Geometrae, ad quem pertinet cognoscere, quod circulus est figura sine angulo: quod notat S. Tho. lect. 25. in fine. Et pariter in exemplo numeri precedentis.

18 Secūda ratio est: nā ad habendam scientiā, nō est necessariū, quod omnium principiorū habeamus scientiā *propter quid*, sed sufficit quod quorundā habeamus demonstrationem *quia*, quia sic possumus esse certi omnino de principijs, & de cōclusionē: & omnium habemus quādā virtualē evidētiā: quia principia omnino prima sunt per se nota, & media demonstratione illa, virtualiter cōtinuatur demonstrationes *propter quid* inferioris scientiae, cū primis principijs per se notis: formaliter autē haec cōtinuatio est cū sunt simul sciētia subalternans, & subalternata; & haec, illa mediāte, cōtinuatur cum primis principijs. Sed in absentia subalternatis scimus *quia* eorū, quae in illius praesentia scimus *propter quid*. Quod ultra dicta, amplius probatur experientia: nā iste est cōsaetus modus tradendi sciētias, quae ab alijs dependēt; quod nō solum ab illis quasi mutuumus, & accipimus pro principijs, si-

forū cōclusiones; sed quasi rudi minerva rationes conclusionū, quae in sciētia superiori latius explicātur, in sciētia inferiori summam proponuntur: ergo illis cōvincimur ad certo cognoscendū *an est* illorū principiorū. Ergo hac notitia supposita, possumus certo scire conclusiones, quae inde deducuntur, & illarū conclusionum habebimus scientiam, & evidētiā virtualiter, & mediāte.

## § IV.

*Solvuntur argumenta*

19 **O** Bijcies primo: nā demonstratio *quia* generat sciētia, quia est syllogismus certus, & evidens: ergo si habemus demonstratiōē *quia* cōclusionū subalternatis, habemus iā sciētia subalternatē; sed casus huius quaestionis est ex suppositione, quod sciētia subalternata sit in absentia subalternatis, quia in isto subiecto est sciētia inferior, & non est actu sciētia superior: ergo haec secūda ratio nō probat cōclusionē intētā.

Respondetur primo, quod ut supra diximus q. 11. §. 2. apud antiquos sola demonstratio *propter quid* vocabatur simpliciter demonstratio; & solū *propter quid* producebatur scientia. In hac autem sententia totaliter cessat difficultas: nam demonstratio *quia* principiorum subalternatae, dat illorum certitudinem, & virtualiter illis mediantibus communicatur evidētia primorum principiorum conclusionibus subalternatae: non tamen sufficit, ut acquiratur scientia subalternans, usque dum in demonstratione *propter quid* sunt conclusiones illae, quae nun-

sunt principia : quod solum erit ac-  
quisita scientiâ subalternante.

20 Quia tamen propter com-  
munem vltimam scholæ supra iudica-  
turus esse probabilius, quod de-  
monstratio *quia* sufficit vt gene-  
ratur scientia imperfecta; ideo illa  
sententia admissa, respondetur,  
quod quando demonstratio *quia*, &  
*propter quid* sunt in eadem scientia,  
per quamlibet generatur habitus;  
licet non sit perfectus, vsque dum  
fit demonstratio *propter quid*. Quan-  
do verò *propter quid* pertinet ad sci-  
entiam superiorem, & *quia* assigna-  
tur à scientiâ inferiori, & extranea,  
& ex mutatis ab alia scientia; de-  
ficit à rigore demonstrationis, eo  
quod non procedit ex proprijs, sed  
ex extraneis; & ideo non generat  
scientiâ principiorum, quia demon-  
stratio generatiua scientiæ debet esse  
ex proprijs, vt in eius definitio-  
ne patuit; quæ quoad hanc condi-  
tionem militat in omni demonstra-  
tione generante scientiam.

21 Quia tamen ille syllogis-  
mus est certus, & euidentis, commu-  
nicat certitudinem sufficientem, vt  
supposita notitia illa illorum prin-  
cipiorum, inde deducantur conclu-  
siones demonstratæ à priori, & prop-  
ter quid in scientia inferiori. Et sic  
in absentia subalternantis erit subal-  
ternata substantialiter scientia ex mu-  
tuatis à subalternante, à qua habet  
certitudinem, & virtualement euiden-  
tiam medijs syllogismis reductiue,  
& dispositiue pertinentibus ad scien-  
tiam, vel habet certitudinem, &  
evidentiam acceptam ab inductio-  
ne singularium desumptam à sensu

bus. Quamuis non habeat statum  
scientiæ, nisi actu in eodem subie-  
cto continuata sit cum illa, cui sub-  
alternatur: quod videtur docere  
Sanctus Thomas quæst. 14, de Ve-  
ritate artic. 9, dicens: *Quod omnis  
scientia in visione rei præseatis perficitur.*  
Et in 3, distinctione 33, quæstione  
1, articulo 2, quæstiuicula 4, vi-  
deatur.

22 Præterea solet argui ex Phi-  
losopho 1. Posteriorum capite 2,  
vbi vt probet, quod *demonstratio est  
ex primis*, sic ait: *ex primis autem in-  
demonstrabilibus est, quia non sciet non  
habens demonstrationem ipsorum. Scire  
enim est habere demonstrationem, quorum  
demonstratio est, non secundum accidens.*  
Ergo ex mente Philosophi, qui non  
habet scientiam principiorum de-  
monstrabilium (quia videlicet prin-  
cipia non sunt omnino prima, & in-  
demonstrabilia omnino) non habet  
scientiam conclusionum. Cum er-  
go principia proxima scientiæ sub-  
alternatæ, non sint per se nota, sed  
demonstrabilia; qui istorum scien-  
tiam non habet, non habebit scien-  
tiam conclusionum, quæ inde de-  
ducuntur.

23 Hoc argumentum confir-  
mat omnia, quæ hucusque dixi-  
mus. Quod perspicuum fiet, duo  
aduertendo ex D. Thoma ibi lec-  
tione 4, littera n. Primū est, quod  
ideo dicit Philosophus, *non secun-  
dum accidens*, quia possibile esset sci-  
re aliquam conclusionem, non ha-  
bens demonstrationem præmissa-  
rum, etiam si essent demonstrabi-  
lia, quia sciret eam per alia prin-  
cipia; & hoc esset secundū accidens.  
Quod

Quod videtur id quod euenit in nostro casu: nam conclusio, quæ est demonstrabilis in scientia superiori, scitur in inferiori, vel ex sensu, vel ex mutuatis ab illa scientia; & per accidens contingit, quod sine demonstratione simpliciter præmissæ demonstrabilis, deducatur conclusio simpliciter demonstrata in scientia inferiori.

24 Alterum quod notat ibi S. Thomas nostro fauens intento, est quod demonstratio debet esse ex propositionibus immediatis mediate, vel immediate. Et assert ibi Philosophum 1. Topicorum cap. 1. dicentem, quod *demonstratio est ex proprijs, & veris, aut his quæ per ea sibi sumpturunt.* Quod verificatur in absentia subalternantis, quia; modo prædicto, continuatur cum primis principijs media notitia imperfecta superioris scientiæ, quæ simpliciter deficit, & secundum quid adest sufficienter, vt ex inde conclusiones deducantur. Sicut in nobis viatoribus certitudo fidei supplet, quod in naturalibus facit euidentiâ principiorum; & ideo Theologia nostra est vere scientia secundum S. Thomam 1. p. quæst. 1. art. 2. subalternata scientiæ Dei, & beatorum.

### QVÆSTIO XV.

*Qualiter scientia distinguatur ab alijs cognitionibus euidentijs, & ineuidentijs?*

1 **Q**uamquam, vt diximus initio præcedentis quæstionis, huius exacta discussio excedat li-

mites Logica; non possumus non exmutuatis ab alijs scientijs, saltem terminorum expositionem tradere; quia eis indigemus, & illis frequenter vtimur in alijs scientijs.

#### §. I.

#### *Distinctio scientiæ ab alijs.*

**S**upponimus ex D. Thoma in 2. distinct. 24. q. 2. art. 4. ad 4. quod scientia & actum, & habitum nominare potest: est enim scire in actu, & scire habitu. Hoc est, quod acquiritur per demonstrationem: & cum hanc formamus, actu scimus.

2 Secundo notandum ex D. Th. 1. Poster. lect. 7. litt. d. quod scientia accipitur dupliciter vno modo large, pro omni cognitione certa; alio modo stricte pro cognitione certa mediata. Primo modo accipit scientiam Philosophus ibi cum dixit; *nos autem dicimus, neque omnem scientiam demonstrabilem esse: sed scientiam immediatam inderonstrabilem*: accipit enim (exponente D. Thoma) scientiam large pro qualibet certitudine cognitione, & non secundum quod scientia diuiditur contra intellectum prout dicitur; scientia est conclusionum, & intellectus principiorum. Idem docet lect. 44. litt. c.

3 Pro quo recolenda sunt, quæ diximus libro 1. quæst. 2. n. 3. & ad nostrum intentum bene proponuntur à D. Thoma lib. 1. Poster. lect. 44. littera 1. quod Aristoteles in 6. Ethic. ponit quinque, quæ se habent semper ad verum, scilicet, artem, scientiam, sapientiam, prudentiam, & intellectum; subiungens duo, quæ se

se habent ad verum, & falsum, scilicet suspensionem, & opinionem.

Prima autem quinque se habent solum ad verum, quia important rectitudinem rationis. Sed tria eorum, scilicet, sapientia; scientia, & intellectus important rectitudinem cognitionis circa necessaria. Scientia quidem circa conclusiones; intellectus autem circa principia, sapientia autem circa altissimas causas, quæ sunt causæ diuinæ. Alia vero; scilicet, ars, & prudentia important rectitudinem rationis circa contingenta: prudentia quidem circa agibilia, id est, circa actus, qui sunt in operante, puta, amare, odire, eligere, & huiusmodi, quæ pertinent ad actus morales, quorum etiam est directiua prudentia. Ars autem importat rectitudinem rationis circa factibilia, id est, circa ea quæ aguntur in exteriorem materiam, sicut est secare, & alia huiusmodi opera, in quibus dirigit ars. Hic autem addit (Philosophus) rationem, quæ pertinet ad deductionem principiorum in conclusiones. Hac S. Thomas.

4 Quia tamen de arte liberali, & mechanica, nonnulla diximus illa q. 3. & de habitibus, qui se habent semper ad verum, tractatur 1. 2. q. 57. & alijs locis relatis; & de distinctione scientiæ à sapientia late egimus 1. p. Metaph. controu. 4. art. 1. ideo eis pro nunc omisis. Circa inevidentes notandam quod S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 1. quatuor actus inevidentes agnoscit in intellectu, nempe, dubitationem,

suspensionem, opinionem, & fidem; quorum actuum distinctionem explicat dicens: quidam vero actus intellectus habent quidem cogitationem informem absque firma assensione: siue in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti: siue in vnam partem magis declinent, sed tenentur aliquo leui signo, sicut accidit suspicanti: siue vni parti ad hæreant; tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti. Sed actus iste, qui est credere, habet firmam adhesionem ad vnam partem; in quo conuenit credens, cum sciente, & intelligente; & tamen eius cognitio non est perfecta per maximam visionem, in quo conuenit cum dubitante, suspicante, & opinante. De qua doctrina videndus S. Thomas in 3. distinct. 23. quæst. 2. art. 2. & quæst. 14. de Veritate art. 1. De horum actuum distinctione multa alij tractant in præsentia, nostro instituto sufficiet nonnulla dubiola de opinione determinare.

## §. II.

### De opinione.

5 ¶ Inquiritur ergo, vtrum opinio necessario generet 11. discursu; an vero aliquæ opiniones sint immediate?

Respondetur dari opiniones discursu acquisite, & alias sine discursu, & immediate: vt expressè docet Phil. 1. Post. cap. 26. de Opinione asserens: *hec autem est existimatio vacantis medio, & non necessaria præpositionis.* Vt S. Th. lect. 44. lit. c. ait quod

quod hoc intelligi potest dupliciter: vno modo sic, quia propositio immediata, in se quidem sit necessaria, sed ab opinante accipiatur vt non necessaria. Alio modo vt ipsa propositio immediata sit in se contingens: dantur enim inter istas, propositiones ex terminis probabiles; eo quod in praedicationibus non proceditur in infinitum: vnde propositiones contingentes mediatæ, debent reduci ad aliquas contingentes immediatas: quia necessaria non sunt principia contingentium, nec ex necessarijs potest concludi contingens. Ergo est aliqua propositio immediata contingens, & aliqua mediata: sicut circa immediata necessaria, est intellectus, & circa mediata necessaria est scientia.

6 Aduertit autem Caietanus libro 1. cap. 25. quaest. 1. quod loquendo secundum se, & obiectiue, opinio est veri contingentis; ad differentiam scientiæ; quæ est veri necessarij. Loquendo autem ex parte actus, seu quoad nos, etiam circa obiecta necessaria in se dantur opiniones, vel defectu luminis, vel ex mala ordinatione mediij, vel ex inordinationephantasmatum. Quod late prosequitur, & exponit.

7 Secundo dubitatur, vtrum opinio discursiua sumat probabilitatem solum ex præmissis; an verò etiam ex illatione?

Quod solum sumat ex præmissis tenet Auerſa quaest. 29. sect. 2. quia syllogismus habet formam illationis eidentem, & ideo ex necessarijs, non nisi conclusio necessaria inferatur. Alia species argumen-

rationis suam vim habent à syllogismo, qui sub intelligitur.

Oppositum docet Mag. Soto capite vlt. quaest. 8. vt retulimus hoc libro q. 5. n. 8.

8 Respondetur vtramque sententiam sustineri posse; si prima intelligatur secundum se, & sic illam docet S. Thomas relatus num. 5. quia illatio, vel est necessaria, vel nulla. Et secunda est vera, quia loquitur ex parte nostri: & sic S. Thomas quaest. 16. de Malo artic. 6. asserit, quod in nobis falsa opinio accidit plerumque ex indebita ratiocinatione. Sicut autem existimantes nos scire solemus errare ex defectu alicuius principij cognoscendi, ita possumus opinari, vel ex præmissis, vel ex imperfecta cognitione illationis.

9 Quando autem vna præmissa est probabilis, etiam si alia sit certa, & illatio euidens, conclusio solum est probabilis: nam hæc sequitur debiliorem partem. Quando autem vtraque præmissa est probabilis, non semper conclusio est probabilis; quia duæ propositiones contradictoriæ, & simul incompensibiles, solent esse probabiles: vnde solet deduci conclusio sophistica. Quod bene declarat Auerſa.

10 Vltimo inquiritur, qualiter opinio differat a Solertia?

Solertia, vt ait Phil. 1. Post. cap. vlt. est bona quadam concessio mediij in tempore ad modum breui: sicut si aliquis videns, quod semper Luna, quando conuertitur opposita ad Solē; splendorem habet per totū, statim intellexit propter quid, hoc fit, scilicet, quia

quia illustratur à Sole. Et simili-  
ter in actibus humanis duo alia e-  
xempla proponit.

14. Igitur quidam, quos sequi-  
tur Auerſa quaest. 29. sect. 3. diui-  
dunt opinionem in solertiam, & o-  
pinionem non solertem.

Oppositum tamen esse de mente  
Philosophi, notat S. Thom. 1. Pos-  
teriorum in fine ita cōcludens, Vn-  
de patet, quod solertia est quaedam  
perspicacitas velociter apprehen-  
dendi medium: quod contingit ex  
naturalis aptitudine, & etiā ex exer-

citio. Posuit autem diuersa exem-  
pla solertiae, vt ostendat, quod in  
omnibus praedictis habitibus, scili-  
cet, prudentia, & sapientia, &c. pos-  
sit esse solertia. Hec S. Thomas: cu-  
ius doctrinae, & orationibus refera-  
tur quidquid verum, & apte elabo-  
ratum in hoc opere inueniatur. &  
imbecillitati meae adscribatur, sique  
falsa, si quae minus grata noceant;  
omnia tamen sint, ad laudem San-  
ctissimae Trinitatis, & Iesu Christi  
Domini nostri, & eius Matris sem-  
per Virginis Mariae.

## INDEX QUESTIONVM LIBRI TERTII Logicae P. M. Fr. Ioannis Martinez de Prado.

Quaest. 1. Vtrum omnis doctri-  
na fiat ex praexistente cog-  
nitione? pag. 498.

Quaest. 2. De Praecognitionibus, &  
praecognitis. 501.

Quaest. 3. Vtrum eodem actu cog-  
noscantur conclusio, & princi-  
pia? 507.

Quaest. 4. De causalitate praemissa-  
rum in conclusionem. 515.

Quaest. 5. Vtrum assensu praemissa-  
necessitetur intellectus ad assen-  
sum conclusionis? 520.

Quaest. 6. Quid sit propositio imme-  
diata, & per se nota? 526.

Quaest. 7. Quid sint propositio de  
omni, & per se, & secundum  
quod ipsum? 536.

Quaest. 8. Vtrum Philosophus rec-

te definiat demonstrationem? 542.

Quaest. 9. Vtrum assensus praemis-  
sarum sit certior, & euidentior,  
quam assensus conclusionis? 550

Quaest. 10. De alijs conditionibus  
praemissarum demonstrationis.  
555.

Quaest. 11. De diuisione demonstra-  
tionis in quia, & propter quid. 562.

Quaest. 12. An demonstratio circu-  
laris sit vitiosa? 566.

Quaest. 13. De subalternatione scie-  
ntiarum 568.

Quaest. 14. Vtrum scientia subal-  
ternata sit vere scientia in absen-  
tia subalternantis? 575.

Quaest. 15. Qualiter scientia distin-  
guitur ab alijs cognitionibus e-  
uidentibus, & ineuidentibus? 581

# DEO GRATIAS.